IOHANNIS FABRICII ... CONSIDERATIO VARIARUM CONTROVERSIARUM VIDELICET EARUM, ...

Johann Fabricius

IOHANNIS FABRICII

S. Theol. D. & prof. primarii, abbatis Regiæ Lutterae, Ser^mi Ducis Brunſvic. ac Luneburg. conſiliarii eccleſiaſtici, & academiae Iuliae h. t. prorectoris,

CONSIDERATIO
VARIARVM CONTROVERSIARVM

Videlicet earum, quae nobis intercedunt
Cum
Atheis, Gentilibus, Iudaeis, Mahommedanis, Socinianis, Anabaptiſtis, Pontificiis, & Reformatis,
in veritate & caritate inſtituta.

Acceſſerunt Indices neceſſarii,
Et quaedam hactenus inedita Chriſtiani Dreieri, Herm. Conringii, Io. Conr. Dürrii, & Io. Fabricii, auctoris parentis.





HELMESTADII,
Apud Georgium Wolfgangum Hammium, Academiae typographum. MDCCIV.

Ad Ephes. IV. 15.

Ἀληθεύοντες δὲ ἐν ἀγάπῃ.

Sed veritatem ſectantes in caritate.

Io. Brunnemannus in Iure eccleſ. p. 119.

Putarem, in elencho debere veritatem non tantum, ſed etiam charitatem proximi praeſidere. Haec omnium noſtrarum actionum, & ita etiam elenchi debet eſſe moderatrix.

Frid. Taubmannus in carmine, Tractationi Zeaemanni de Colloq. ratisbon. ſubiuncto.

Turbare, inſani eſt: ſani, componere lites.



REGIAE SCIENTIARUM SOCIETATIS

Perilluſtri & excellentisſimo

PRAESIDI,

Caeterisque nobilisſimis ac praeſtantisſimis

MEMBRIS

Iohannes Fabricius

S. P.

Poſtquam eo me honore & favore complexi eſtis, ut in ſocietatem veſtram ſponte atq; ultro immerentem cooptaretis, ſaepe cogitavi de monumento debitae gratitudinis, quod magnis nominibus veſtris erigerem: nihil enim pietati convenientius eſſe iudico, quam erga fautores & benefactores gratum ſe exhibere. Nunc itaque, cum *Controverſiarum*

siarum haec *Consideratio*, Deo favente in publicam prodit lucem, intermittere non possum, quin eam vobis, viri celeberrimi, reverenter dedicem atque inscribam, non modo ne ingratus, ut dixi, esse videar; sed etiam quia vos pro summa eruditione & pia moderatione vestra, proque iudicii vestri vi & acumine, quam optime de contentis illius iudicare valebitis. Accipite ergo serena fronte levidensem quidem, at certam tamen pietatis meae tesseram, & plane vobis persvadete, me operae pretium sat magnum laturum, si vobis (at quantis viris) labor hic meus non displicuerit. DEVS vos servet ad multos annos, & consilia ac negotia vestra, in scientiarum optimarumque artium grande commodum & augmentum, fortunet clementissime. Ita valete. Scribebam Helmstadii in academia Iulia die 8. Aprilis, quae *Irenaei* fert nomen, A. C. 1704.



PRAE-

PRAEFATIO
AD LECTOREM.

Qui controversias vult tractare theologicas, eum oportet Dei timentem *esse*, probum, humanum, mitem, iustum, aequum, solide eruditum, industrium, accuratum, iudicio valentem, & pacis aeque ac veritatis amantem, *ita ut rem agat positis* praeiudiciis *pravisque* affectibus, *neque* suspicionibus *indulgeat, &, quod* meliorem sensum *admittit, statim in deteriorem interpretetur. Eundem oportet discrimen facere inter* sententias integrarum ecclesiarum *& particularium doctorum, inter* scripta symbolica *& huius vel illius auctoris, inter* dogmata fundamentalia *& quaestiones annatas, quorum illa sine periculo salutis ignorari aut negari nequeunt, hae vero in utramque partem disputari possunt, inter* incommodas nonnullorum scriptorum locutiones *& dexteriorem earum sensum, inter ea*, quae quis expresse docet, *& quae ei per consequentiam, ab ipsomet tamen non agnitam, sed reiectam & improbatam, tribuuntur atque imputantur, inter* personas seu integras

sectas

sectas *earumque errores & vitia, quorum haec reiicere & odisse licet, minime vero illas: illae enim considerandae sunt velut homines, velut christiani, adeoque sive generali, sive speciali & christiana caritate prosequendi. Praeterea requiritur, ne aliorum sententias petat unice ex suae religionis, sed multo magis* ex adversariorum, *& potissimum ex eorum* scriptis publicis atque symbolicis, *quae auctoritatem publicam & vim probandi nacta sunt, neve sit* servus aut mancipium hominum, *atq. in verba magistrorum iuraverit, & pro piaculo habeat, vel tantillum ab iis, si veritas postulet, recedere. Vtile quoque est, cum dissentientibus de rebus controversis* colloquia *instituisse, eorumque* sacris & disputationibus *saepius interfuisse, & quid illi sive obiiciant, sive respondeant, sive excipiant, quove modo se declarent, probe percepisse. Neque etiam studium ei ponendum est in alendis, exaggerandis, amplificandis, cumulandisque controversiis, sed potius, quantum fieri potest,* in minuendis & componendis. *Sicut enim illi, qui in seculo bella gerunt, pacem tanquam scopum sibi propositam habent, aut certe habere debent, ita nec controversiarum tractator aeternis litibus intentus est, sed illarum compositioni, aut saltem imminutioni; neque inani strepitu, aut elumbi miserabilium inexcusabiliumque quaestionum, & ambiguarum locutionum, terminorumque exterminandorum, quasi ararum & focorum, propugnatione ac defensione delectatur, sed optat potius, nervosque intendit omnes, ut labores suos*

ad

ad promovendam pacem & concordiam *dirigat, remque omnium pretiosissimam, hoc est, tempus in melioribus atque utilioribus studiis collocet, & collocandum ostendat, memor, instare diem illum, quo reddenda sibi sit ratio, non quam frequenter, aut plausibiliter, & in speciem disputaverit, sed quam bene vixerit, & quam candide atque ingenue egerit cum aliis, etiam adversariis, agendumque docuerit. Curat etiam, ut singulas controversias transferat* ad usum salutarem, *videlicet ad celebrationem gloriae divinae, ad veritatis confessionem, defensionem, vivamque expressionem, ad mortificationem carnis & vivificationem spiritus, ad exercitium patientiae, tolerantiae & mansuetudinis, ad caritatem proximi, & progressum in stadio virtutum, atque ad proximi emolumentum & aedificationem. Neque turpe ipsi est, in rebus, quae non sunt manifestatae, & ubi aqua haeret,* ignorantiam propriam *rotunde atque aperte profiteri, secundum pervulgatum illud:*

Nescire velle, quae magister maximus
Docere non vult, erudita inscitia est.

Denique vincit se ipse primum, *& exorbitantes affectus & cupiditates suas, ac deinde curat, ut & alios vincat, non rigore, pertinacia, simulatione, calumniis, aculeatis dictis, conviciis, & callidis sententiarum detorsionibus, sed moderatione, lenitate, mansuetudine, candore, aequitate, caritate, sanctitate, & spirituali ac potente veritatis demonstratione. Ad amussim horum requisitorum aut, si mavis, legum, an & ego in praesente*

sente

sente controversiarum tractatione incesserim, piis, excellenter doctis, prudentibus, moderatis, & exacto iudicio pollentibus iudicandum relinquo; caeteros autem, in quibus contraria omnia deprehenduntur, res suas sibi habere, suoque sensu abundare sino, sciens, saltem conatum me esse studuisseque ad illam incedere lineam, nec in disputatione Dei timorem, caritatem proximi, candoris studium, & veritatis sive indagationem sive conservationem, unquam ex animo oculisve dimisisse, neque etiam meam, sed Dei ac veritatis gloriam, & ecclesiae atque scholarum nostrarum honorem, quo eas ab inutilibus controversiis & ineptis nugacibusque disputatoribus praeservarem, sectatum esse. Vale, benevole lector, Deumque nobiscum ora, ut iis, qui in erroribus versantur, meliorem det mentem, cumque ea illuminatos oculos, quo veritatis iubar videant atque agnoscant, & ecclesia ipsius in dies magis magisque crescat, ac disperse & palantes oves ad verum ovile perducantur, tandemque unus grex fiat, qui unum pastorem placide atque humiliter sequatur, & debitis laudibus in aeternum concelebret.



CON-



Q. D. B. V.

CONTROVERSIAE
CVM
A T H E I S.



Theorum alii ſunt theoretici , alii practici. *Atheorũ diſtinctio.* *Athei practici* ſunt, qui, cum impie vivunt, & omnis generis vitiis indulgent , mallent , non eſſe Deum , qui mala ipſorum opera vindicet ac puniat. *Athei theoretici*, & quidem ſtricte ac proprie tales , vocantur , qui doctrina & decretis ſeu placitis ſuis inficiantur , Deum eſſe. Et tales homimines, aut potius talia hominum monſtra *dari*, experientia teſtatur : atque ad ſummam hanc impietatem & irrationabilitatem plerumque perveniunt illi, qui Deum factis ſuis aliquandiu negarunt.

Athei practici] De hisce videatur Clemens alexandr. Stromat. l. 3. p. 443. & ſeq. J. Andr. Schmidt, venerabilis abbas Mariaevallenſis & collega meus aeſtimatiſſimus , in Theol. natur. poſit. §. 8. & maxime reverendus Niemeierus , collega itidem honoratiſſimus , in diſp. de Exiſt. Dei §. 39. Ac de talibus ſermo eſt Pſ. 14. 1. 53. 2. Tit. 1. 16. Phil. 3. 19. Rom. 16. 18.

Athei theoretici, ſtricte & proprie tales] Diſtinguendi hi ſunt ab illis, qui indirecte Deum negant: item a Deiſtis. *Indirecte Deum*

A *negant,*

negant, 1. qui animae rationalis immortalitatem negant: hac enim sublata, non potest non tolli omnis Christianorum fiducia, videlicet resurrectio mortuorum, & cum hac omnis de existentia Dei opinio. 2. Qui vel a Deo tollunt perfectionem propriam, vel eidem id tribuunt, quod essentiae ac perfectionibus ipsius repugnat, e. g. qui negantes creationem, mundum ab aeterno esse statuunt, aut qui providentiam Dei negant: negata enim creatione & providentia, nihil interest, sitne in rerum natura, quod *Dei* nomine appellatur, vel non. Ger. Theodor. Meier, theologus huius academiæ optime quondam meritus, in Histor. relig. p. 13. Niemeier l. c. §. 30. 31. At in diiudicatione talis atheismi, (qui per consequentiam alteri impingitur) probe attendere debemus ad consequentiam, an sit remota, remotior, remotissima, vel prona, pronior, pronissima; an mediata, vel immediata; an necessaria, vel non necessaria; an evidens, vel obscurior. Meier ibid. *Deistae* autem dicuntur, qui Deum quidem profitentur, sed eius attributa & opera negant. Meier. p. 25. Niemeier §. 47. 60. 61. Bentley in Stult. ath. p. 8. Autor tractatus gallici de Verit. relig. christ. in Actis Erudit. A. 1685. p. 126. Godfr. Arnoldo Deistae sunt, qui Deum quidem confitentur, sed pariter docent, quamvis Deo religionem placere. Alii addunt, eos negare immortalitatem animae, & remunerationem ac punitionem post hanc vitam. Hist. eccles. & hæret. tom. 1. lib. 17. c. 16. n. 19.

Dari, experientia testatur] Novi ego hominem, qui locutus est cum eiusmodi stultis, qui non quidem aperte atheismum profitebantur, atheistica tamen argumenta obiiciebant, & se satis in illa impietate informatos esse prodebant. Idem triginta abhinc annis in amoenissima Europae regione cum aethiope quodam, ex intima Africa oriundo, locutus, & interrogans, cuinam religioni concives eius addicti essent, ex eo percepit, nullam ibi vigere religionem, neque se quidquam de Deo unquam audivisse, usque dum ad Christianos esset delatus. Nec dubitant de talibus hominum monstris Meier p. 13. 17. auctor Histor. eccles. in usum gymnasii gothani concinnatae, part. 2. p. 4. Spizel. de Atheismi radice p. 9. 14. Negat vero auctor Relig. medici sect. 19. & auctor tractatus gallici, in Actis Erudit. A. 1685. p. 126. Huc etiam pertinet, quod I. Lud. Fabricius Apologiam

logiam scripserit pro genere humano, in qua asserit, nullam esse gentem adeo efferatam, quin numen aliquod habeat. Exstat illa in operum eius pag. 119. Nonnulli quidem existimant, *aliud atheos illos theoreticos loqui, aliud sentire*, cum rationes eorum nimis soleant esse frivolae, ieiunae, debiles, nugaces, & male cohaerentes: sed unde probatur, quod ipsismet ita videantur & credantur? Et de hisce theoreticis ac proprie dictis atheis Bentleius p. 7. intelligit dictum Psal. 14. 1. item auctor Hist. eccles. gothan. lib. 2. pag. 4. Interim tamen verum est, quod scribit Schmidtius noster in Theol. natur. positiva: *An etiam athei speculative tales dentur aut dari possint, qui in intellectu certi sunt, & non ad aliquod tempus tantum, sed* per totum vitae spatium fixam sententiam habent, nullum in orbe numen esse, neque etiam ullum in conscientia sentiunt stimulum contrarium, *maxime dubitamus, immo negamus. Nam si omnis cognitio numinis plane eradicari e mente posset, tum nullum in homine remaneret lumen, quod excitata conscientia illum redderet inexcusabilem: quod tamen absurdum est. Deis etiam reclamat universalis & communis gentium consensus. pag. 55.*

Plerunque perveniunt illi, qui Deum factis suis aliquandiu negarunt] Vide Meierum pag. 14. 15. 21. ac Niemeierum §. 18. 29.

Non jam distincte recensebo & nominabo, sive ex veteribus, sive ex recentioribus, qui atheismi insimulantur: sed satius fuerit, si animum nostrum contra eorum tela muniamus, eaque avertere & repellere discamus.

Distincte recensebo] Vti quidem fecerunt Meier p. 21. Niemeier §. 19. & seqq. Spizel. de Ath. rad. p. 20. Nec temere quis turpi atheismi crimine est notandus. Meier p. 7. Iuvat autem considerare characteres seu signa atheismi. Meier p. 16. Spizel. de Ath. rad. 15. Ioh. Christoph. Sturmius, philosophus academiae Altorfinae celeberrimus, in Philos. eclect. p. 473. Schmidt. p. 55.

Muniamus, eaque avertere) De modo tractandi atheos cum theoreticos, tum practicos, videatur Meier p. 26. & 33. Niemeier §. 73. item in disp. de Atheismi eversione. Et quod ex cathedra acad. tractatur, non statim pro concione in ecclesia est dicendum. Meier p. 27.

Aliter autem tractandus is, qui est dubius de Dei existentia, aliter,

aliter, tentatus a satana quoad Dei existentiam; aliter, ille, in quo malae cogitationes de Dei existentia subito exurgunt. Meier p. 32. 33.

Argumenta contra Atheos. Munire autem possumus animum nostrum, considerantes, esse quædam in natura principia, ex quibus, beneficio rectæ rationis, homo mentis suæ compos concludere valeat, esse Deum, hoc est, ens omnium perfectissimum, independens, a quo omnia facta, & quod sit totius universi dominus & rector. Cuius asserti rationes sunt sequentes, quia (1) Omne, quod fit, ab alio fit. (2) Omnia entia naturalia finis gratia agunt. (3) Tota mundi fabrica ita est ordinata, ut omnes eius partes uni serviant homini. (4) Omnes paene gentes numen aliquod agnoscunt. (5) Vis & dictamen conscientiae in homine, Deum arguit.

Quaedam in natura principia] Disputatio enim de Dei existentia, proprie ad philosophos pertinet, & inter theologiae praesupposita est, esse Deum. Hildebr. theol. dogm. p. 90.

Beneficio rectae rationis] Non enim hominis menti, nisi ille rationem adhibeat, Dei notitia actualiter inhaeret aut insita est. Ioh. Fabricius, parens meus optimus, in Syst. theol. p. 45. Bentleius Stult. ath. p. 6.

Deum, h. e. ens omnium perfectissimum] Hunc enim conceptum de Deo formant ipsi illi, qui negant Deum esse. Bentley p. 15. I. Christoph. Sturmius, seu potius L. B. a Metternich, in Theosoph. quæ subiuncta est Sturmii Physicæ elect. 891.

Perfectissimum] Perfectionis nomine intelligitur quaevis realitas, affectio aut conditio, quae rem in statu meliore ponit, quam ea quidem futura esset sine illa. Perillustris auctor Theosoph. p. 891.

Omne, quod fit, ab alio fit.] Ex hoc principio per se noto, sic concluditur: Dantur entia facta in rerum natura. E. datur ens aliquod non factum, seu independens. Ratio consequentiæ est, quia omnia entia non possunt esse facta, cum non possint facta esse a se ipsa. Hoc enim implicat contradictionem: quia sic simul facta essent, & non facta. Facta, quia a se essent producta: non facta, quia se ipsa produxissent. Fuissent itaque ante, quam essent; & iam essent,

sent, cum fierent. Nec possunt facta esse ab alio, quod ipsum factum est, quia alioqui facta non essent: Factum enim supponit facientem. At faciens dari non potest, si omne faciens, factum est: daretur enim processus in infinitum; quod impossibile est. Excipiunt (1) Quid, si *circulus* detur? ℞. Hic impossibilis est, si in circulo ens reperiatur, quod factum sit. Tum enim redit idem argumentum: Illud ens factum, ab alio factum est. Non potest autem factum esse a se ipsum. Nec a suo effecto: hoc enim implicat contradictionem, quia ante effectum suum esse praesupponitur. Ergo ab alio factum sit, oportet. Et si aliud illud ens factum est, necesse est, ut ab alio factum sit, & hoc rursum ab alio, atque ita in infinitum. Quod cum impossibile sit, necesse est, ut concludamus, dari aliquod ens non factum, & ab alio independens, immo ens, a quo alia facta dependent, ut a primo ente, causa & principio suo. Excip (2) Potest dari *processus in infinitum*. Ponamus enim generationem hominis ab æterno. In æterno infinitus est processus. ℞. Processum in infinitum dari, vetat ratio causae & effecti. Si infinitus processus est, non dabitur primum: ergo neque causa. Neque dabitur ultimum: ergo nec effectus. Nec dabuntur causae mediae; quia illae sunt inter primam & secundam: ergo nec generatio prima hominis, & per consequens nulla. Ab æterno non potuit esse hominis generatio, quia absolvitur certo tempore, puta VII. aut IX. mensibus. At isto tempore absolvi non potest, nisi initium istorum mensium ponatur: Initium autem in æternitate nullum est. Et quomodo generatio concipi potest aeterna, si datur genitus? nam ille ab aeterno genitus, aut fuit adultus, aut infans. Si adultus, quomodo genitus est? Si infans, quomodo adolevit & educatus est? Necesse est, ut aliam generationem ab aeterno statuas: de qua eadem absurda occurrent. Exc. (3.) Homines ex *putri* materia gigni possunt, uti vermes & insecta. ℞. Hoc fingitur sine ratione & experimento ullo. Exc. (4.) Sunt loca, ubi homines sponte sua *nascuntur e terra*, aut *a coelo producuntur* in terra. ℞. At ubi sunt illa loca? Et pone esse; illi homines gignunturne infantes, an adulti? Si adulti, ubi isti conspiciuntur? cur non semper generantur? quot generantur numero? Si infantes, quomodo adolescunt?

lescunt? Dicis: *Creatus fuit homo ab aeterno.* ℞. Si creatus ab aeterno, ergo non genitus ab aeterno, quia generatio in eodem instanti fieri non potuit, quo creatio. Neque etiam creatio ab aeterno dari potest, quia contradictionem implicat, ut in instanti fiat transitio a non ente ad ens.

Omnia entia naturalia finis gratia agunt] Itaque necesse est, ea rectoris alicuius consilio gubernari. Rectorem autem illum necesse est esse ens illud independens. Consequentia probatur, quia quaecunque finis gratia agunt, ea necesse est ut vel suo, vel alieno consilio dirigantur ad finem istum. Nam si finis gratia agunt, tum certe aut finem istum ipsa norunt, & appetunt, & consequi student; aut, si eum non norint, nec appetant, ab alio eo diriguntur: Hoc enim est finis gratia agere. Atqui naturalia, quae solo naturae instinctu agunt, suo consilio ad finem istum, propter quem agunt, non diriguntur, ut lapides, semina, plantae, & bruta animantia. Nec enim lapides deliberant de motione deorsum; nec triticum, degignendo grano ad speciei suæ conservationem, vel ad alendum homines; nec asini aut porci de modo coquendi cibum in ventriculo, eundemq; vertendi in chylum, & chylum in sanguinem. Illa etiam, quae consilii capacia sunt, multa agunt, quae naturae solius instinctu fiunt sine consilio. Ut mater utero gerens filium, non consultat, qua ratione infans in utero formetur, nutriatur, & aptam corporis structuram nanciscatur. Alieno igitur consilio hæc dirigantur, necesse est. Id autem est entis omnium primi, & summi. Excipiunt (1.) Quicquid agit finis gratia, illud finem illum nosse oportet. ℞. Hoc non sequitur. Nam telum in scopum fertur, navis in portum dirigitur, horologium designat intervalla temporis: nec tamen id norunt, quo diriguntur. Nec equus saepe novit, quo dominum suum vehat, & eum tamen vehit finis alicuius gratia. Excip. (2) *Natura* in singulis rebus ipsa est, cuius consilio singulae diriguntur in fines suos. ℞. Quid est natura ista? an cuiusque rei naturalis proprietas? At hæc non est capax consilii, cum res ipsae brutae sint. An communis quaedam natura, ex singularibus rerum naturis collecta? At communis natura non est extra singula-

gulares naturas. An ſubſtantia aliqua intelligens & cognoſcens, cuius conſilio ſingula diriguntur? Sic autem, ex natura Deum facis, & Deum negans, eundem ſub naturae nomine agnoſcis.

Vni ſerviant homini] Nam coeleſtes omnes orbes propter aërem & aquam ſunt: aër vero & aqua propter terram, terra propter herbas, herbæ propter animalia, animalia propter hominem. Serviunt ſingula ſingulis, uni omnia, homo ſolus Deo. I. Lud. Fabricius Opp. p. 53. Excipiunt (1) At terram colit homo. ℟. Non terræ, ſed ſui ipſius cauſa. Exc. (2.) *Non videtur veriſimile*, *cœlum*, *ſtellas*, orbesque omnes coeleſtes, hominis unius cauſa eſſe, cum tota terra ne puncti quidem minutiſſimi proportionem habeat ad ea, homo autem ad terram, ne apicis, ne ſtigmatis, ne atomi quidem menſuram. Quo igitur modo mente concipi poteſt, iſta eſſe propter hominem, eique velut inſtrumenta ſubſervire? ℟. Haec difficultas facile ſuperatur, ſi conſideretur, 1. hominem, cui ſervire iſta dicuntur, ens eſſe multo nobilius, quam ipſa ſunt. Quid enim vetat, multa, maximeque ignobiliora uni ſervire nobiliori? Entis perfectio non eſt aeſtimanda ex mole & quantitate, ſed ex virtute ſeu facultate excellentiori. Nempe una formica aut muſca perfectior eſt tota terra, mari, ſole & luna: Vivere enim & ſentire longe melius eſt, quam ſimpliciter eſſe, quia perfectionem maiorem addit ad ipſum eſſe. 2. Cum *homini ea ſervire* dicimus, non intelligimus unum aliquod vel plura individua in ſpecie humana, (quanquam & hoc intelligere poſſemus) ſed ſpeciem totam humanam, in qua innumera ſunt individua, quae ſingulis iſtis corporibus, etiam propter numerum, multo excellentiora ſunt. 3. Magna multaque inſtrumenta uni rei exiguae ſervire, non eſt inconveniens. Grano minimo foecundando & ad frugem perducendo, ſol, aër, pluvia, & terræ ipſius gremium ſervit. Tota mater, omnesque animae vegetativae facultates, ſerviunt exiguae particulae ſeminis, aut *embryoni* in utero efformando. *Regi*, licet homuncioni, famulantur ſaepe aliquot ſtipatorum millia, curiae, provinciae, regna, exercitus. 4. Niſi ſerviant haec omnia homini, cui fini erunt? An forte quaelibet res ſui generisque ſui

gratia

gratia est, per accidens autem homini servit, quia homo natus istis occurrit? Sed,quaeso, cui bono, aut quod bonum pro se consequitur, sol, quod luceat & calefaciat ; plantæ, quod frondes, flores, fructus ferant, & genus suum propagent ; mare, quod fluat & refluat; luna, quod luceat & humectet? Nec enim sentiunt, nec intelligunt, nec percipiunt illud bonum suum. Bonum itaque illud, bonum ipsorum non est, non magis, quam si non essent; aut saltem non magis, quam si lapides essent : nec magis sentiunt bonum suum, quam candela, quae homini lucet, aut ignis, qui eum calefacit. Bonum certe, quod proprie alicui bonum est, in perceptione ac fruitione boni positum est. Dicis: At *animalia sentiunt*. ℟. Ergo propter animalia saltem illa esse, dicendum foret, & non per accidens. Deinde animalia ipsa non nisi sensu istud bonum percipiunt; non intelligunt, quale, quantumque sit. Itaque illo tantum fine ista esse, verisimile non est: cumque homo intellectu supra animantia omnia praeditus sit, ac proinde bono isto frui plenius possit, quam animalia, ipsisque istis animalibus uti ac frui possit, cur non dicamus, omnes creaturas cum animalibus, hominis gratia esse? Si autem omnia ita se habent, ut homini serviant, tum profecto ista omnia sapientissimi rectoris consilio sunt id, quod sunt. Ratio: quia alia servitutis vel subordinationis illius causa dari non potest, aut concipi. Si enim alia causa esset, ea esset vel ex parte ipsorum coelestium corporum, & elementorum homini famulantium, vel ex parte hominis, vel ex parte utriusque simul. Non ex parte corporum cœlestium & elementorum, quoniam carent consilio, iudicio, & arbitrio proprio. Nec ex parte hominis, quia nullum ius, nullum imperium habet in coelestia. Nec ex parte utriusque simul, quia consensio inter ista non potuit fieri mutua. Quid restat ergo, nisi ut concludamus, istam subordinationem esse opus sapientiae alicuius rectoris, quem nos *Deum* dicimus? Excip. *Casu* ista subordinatio contingere potuit, per tumultuarium quendam *atomorum concursum*, nullo consilio, nulla sapientia. ℟. Si ex aspectu tugurii aut aediculae in sylva vel insula auctorem hominem, ex imagine depicta pictorem, ex auditu citharae

tharae artificem colligis, quaeso, quî fieri potest, ut tam ordinatam fabricam, tam artificiosam molem, tam pulcram tot diversarum, & tamen adeo suaviter inter se conspirantium rerum, fortunæ & casui tribuas? Et si casu ista sic evenerunt, quis ille fuit, praeter cuius intentionem evenerunt? Quis ille agens & intendens fuit? quam intentionem habuit? Porro si casu evenerunt, cur non casu cessant? Casus enim est eorum, quae raro eveniunt. Neque *atomis* hoc tribui potest. Nam unde atomorum iste fluxus & motus? an ante confluxum istum permixtæ fuerunt? Graves igitur & leves simul fuerint, necesse est: quod absurdum. Nam si simul fuerunt, quomodo separatae fuerunt sine motore? & quando? quod motus istius principium? quieta enim moveri a se non possunt. Et si tamen fluxisse eas velis & concurrisse, cur non fluxere aquarum atomi supra totam terram, quoniam aqua terra levior est, & terrae innatat atomica sua proprietate? cur atomi solis, medium coelum occuparunt, & motum eius fecerunt inaequalem? quomodo ex iis genitus homo est, infans, an adultus? si infans, quomodo is alios genuit? si adultus, cur plures ex iis non fluxerunt? Vivaene, an mortuae fuerunt? Si vivae, quomodo mortua corpora produxerunt? si mortuae, quomodo ex iis vita fluxit? Videte, tantum est hoc de atomis commentum!

Porro, nec dici potest, *omnia haec naturae quadam necessitate ita evenisse ab omni aeternitate*. Nam aut ab omni aeternitate necesse est hominem extitisse, aut solis astrorumque beneficio eum productum esse. Sed utrumque est absurdum. Nam hominem ab aeterno extitisse, impossibile est. Si enim ab aeterno extitit, aut genitus fuit ab aeterno, aut non. Illud impossibile esse, supra monstravimus. Si autem ab aeterno extitit non genitus, aut a se ipse extitit, aut creatus est. Si a se ipse extitisset, esset Deus, & proinde sic esset adhuc: quomodo enim periisset? Si autem adhuc est, ubinam est? An forte *generando, se perdidit*, & tamen generavit ab aeterno? Ergo generando ab aeterno se perdidit. Ab aeterno igitur fuit, & non fuit. Et quae causa est, ut, quod a se necessario est, esse desinat? Ingenerabile enim est incorruptibile. Ad haec, si generando se perdidit, aut scivit illud, aut nescivit. Si

B scivit,

scivit, se ipsum generando se perditurum, & tamen generavit. fuit stultus: si nescivit, miser fuit. Neque *solis, astrorumque beneficio hominem productum esse*, dici potest: nam sol & astra non sunt animata, nec intellectu praedita. Aut si sunt, cur non singulis momentis aut diebus, homines ab illis producuntur? Porro si produxerunt, aut ab aeterno produxerunt, aut in tempore. Si ab aeterno, nulla itaque generatio esse potuit. Si in tempore, cur hoc, & non illo tempore produxerunt? Cur unum & non plures? aut, si plures, cur nunc non producunt ullum amplius? Quae enim necessitate naturae producunt aliquid, ea semper & eodem modo agunt, neque tempori adstringuntur. Vana igitur haec sunt omnia.

Omnes paene gentes] Tam quae sapientia & ingenio valuerunt, quam aliae stupidiores aut barbarae: illas enim decipi, has decipere, non est credibile. Hinc ita colligo: Tam constans, tam universalis consensus, causam aliquam habuerit, necesse est. Nam quae ex arbitratu humano veniunt, ea non sunt communia omnibus, nec eadem ubique & crebro mutantur. Deinde cum populi fere omnes, inprimis barbari, natura sua inclinent in ea, quae libertatem peccandi promittunt, abhorreant autem ab iis, quae frenum animo suo iniicere possunt, vero utique simile videtur, si falsum esset, Deum esse, eiusmodi de Dei existentia opinionem animis ipsorum non inhaesuram fuisse. Contrarium autem ex historiis patet: Vix enim ulla tam barbara, tam immanis & effera est natio, quae non numen aliquod agnoscat, adeo ut, licet in numine designando inter se discrepent gentes, in numine tamen generatim agnoscendo mirifice conspirent & consentiant. Causa huius tanti consensus alia dari non potest, quam aut oraculum Dei ipsius, aut traditio, aut rei ipsius, seu rationum & principiorum, ex quibus id intelligitur, evidentia, quatenus illa, veluti primae notiones sunt, quae mentem cogunt assentiri, si quis ulla modo ratione duci velit. Si causa eius est ipsius Dei oraculum, tum certum est, Deum esse. Si est traditio, nulla causa assignari potest idonea, cur primos istos parentes credamus falsum aliquod tradere posteris voluisse, in re maximi momenti. Si vero ipsa rei evidentia

dentia causa est, tum consensus inde ortus validissimum praebet argumentum ad rem hanc confirmandam. Exc. 1. *Populi & nationes integrae* reperiuntur, quae omni numinis sensu atque opinione carent, e. gr. in Brasilia, & compluribus utriusque Indiae locis. Ry. Incertum est, an tales populi reperiantur. Sed esto; nihil aliud inde sequitur, quam notionem illam divinitatis non esse omnium animis naturaliter insitam & impressam. Quod non negamus; nam si naturaliter esset impressa, nullo modo extingui & suffocari posset. Potest itaque fieri, ut non nullae gentes in media barbarie educatae, & solis tantum sensibus ad instar brutorum assuefactae, rationis usum paulisper extinxerint, & in belluas degenerarint, nihil aliud credentes, quam quod sensibus obvium est, & palpari potest. Horum autem populorum non est habenda ratio, quia & pauci sunt, & simul atque conversantur cum aliis, ad rationem, & illa rationis principia eos deducentibus, haud gravate iis assentiuntur, atque ex veterno barbariei ac stultissimae ἀθεότητος resurgunt. Exc. 2. *Inter ipsos philosophos fuere athei.* Ry. Philosophi isti vel gentilitios deos, eorumque idola, & superstitiosum cultum potius, quam Deum negarunt: (unum agnoscebant Deum, sed a polytheis athei vocabantur per summam iniuriam) vel pauci fuerunt, qui aut novitatis studio, aut ambitione, aut lascivia, aut rationum probabilium specie decepti & occoecati, ad illam stultitiam deflexerunt. Rectius itaque sic colligitur: Plerique omnes philosophi, rectaeque rationis, Deum esse intellexerunt, & rationes paucorum contra sentientium reiecerunt. E. rectae rationis ope ad istam cognitionem perveniri potest. Si enim id fieri non posset, non modo plerique, sed nulli unquam, illius beneficio, eo pervenissent. Non autem recte concluditur: Quidam ad Dei cognitionem non pervenerunt. E. eo pervenire non potuerunt. Causa esse potuit, quo minus eo usque pervenirent. Quae illa fuerit, incertum est. Hoc autem certissimum, omni aetate & seculo, quo quisque fuit probior, eo diligentius ab ipso custoditam de Deo notitiam; ut omnino necesse sit, a pravo eorum ingenio, quorum interest, ne Deus sit, pura mente colendus, atheismi originem profectam esse.

Vis & dictamen conscientiae in homine] Quam in omnibus hominibus, tanquam testem sui assiduam, esse voluit Deus, etiam in iis ipsis, qui omnem numinis reverentiam posuerunt. De vi conscientiae, effecta eius docent. Ligat, obligat, accusat, testatur, absolvit, damnat; non aliter, quam si Dei vicem in homine gereret. Eam sentiunt etiam potentissimi monarchae, & qui in occulto quid perpetrant. Exemplo est Caligula, qui minabatur coelo, & cum Jove simultates alebat, si pantomimis obstreperet plueretve. Quodsi autem fulguraret, aut coruscaret, caput obnubilabat, seque sub lectum condebat. Cur, & quem metuebat? Hominesne, an Deum? At contra illos politia munitus erat, & hunc negabat, aut certe eius gubernationem in rebus humanis. Exc. 1. Scriptura docet, homines eo usque malitiae pervenire, ut reddantur *ἀπηλγηκότες*, i. e. *doloris omnis*, quem conscientia alioquin solet inserere, *expertes*, Eph. IV. 19. idque per *obdurationem cordis* ipsorum, ut versu praecedente indicatur, immo eo usque, ut conscientiam habeant *κεκαυτηριασμένην*, i. e. *cauterio inustam*, ac proinde sensu omni seu remorsu tristi privatam, I. Tim. IV. 2. Rx. Phrases istae sunt metaphoricae, & benigne interpretandae. Nempe indicant animum, conatum & studium eiusmodi profanorum hominum, eiusque conatus effectum illum, qui foris apparet, quando scelerati isti inter ipsam profanam vitam fiduciam ostendunt, & obfirmatum ad scelera animum, quasi nullo scelerum sensu aut conscientiae morsu urgeantur ac premantur. At non indicant, quales illi intus sint. Hoc enim non apparet, hoc dissimulare in publico possunt, & toto animi annisu student dissimulare. Si exterius eos vides, sine sensu, sine dolore sunt, quin & sine eo se esse asseverabunt. At si intus eos videre liceret, animum eorum carnificem videres. Interim negari non potest, esse quosdam sceleratos aliquando & aliquandiu sine sensu ac remorsu, cumprimis cum omnia iis fluunt ex animi sententia, cum vires constant & valetudo integra est, & favor publicus adest, & turba eodem modo viventium, quin & adulantium & blandientium, eos quasi tegit. Callus tum obducitur animo, ita ut rationes in eum non tam facile penetrent, doloremve illum imprimant. Tota caro, quae volu-

voluptatem fentit, obftat punctionibus rectae rationis, nec magis fenti eius ftimulum, quam caro callo obducta punctionem aciculae. At ut fenfum omnem prorfus fublatum credas, nulla caufa eft. Dormit confcientia, non mortua eft: ebria eft a carne, fed non plane extincta. Et hoc probari poteft (1) ex Rom. 2, 15. coll. cum cap. 1. 28. 32. (2) ex ipfis gentilibus pene omnibus, tam hiftoricis, quam oratoribus & poëtis, pro certo ftatuentibus, confcientiam fuffocari non poffe. (3) ex experientia. Videmus, confcientiam, veluti veterno aut lethargo fepultam, fubinde expergefieri, & aculeum fuum fentire, inprimis fi periculum imminet, & omnium maxime, cum mors digitum intentat, & medicus fupremam horam adeffe indicat. Tum vero expavefcunt, pallefcunt, liquefcunt, & diffolvuntur. Si qui funt, qui contra agunt, ii profecto oppido funt pauci, & bonam mentem eiurarunt. Ex his omnibus autem verifimiliter colligitur, Deum effe, & cuncta regere. Exc. 2. *Imbecilles & timidae funt animae*, quae aculeum eiusmodi fentiunt. ℞. Immo & robuftiffimae, eaeque invitae. Exc. 3. Ifta confcientia eft *ab educatione*. ℞. Etiam eos terret, qui in ipfa impietate, & ad omnem profanitatem educati fuere. Exc. 4. *Natura ipfa eft caufa* talis confcientiae. ℞. Sic ipfa natura aliquid fruftra faceret, fcilicet metum fine caufa. Aut fi putas, naturam certo fine ifthoc caufari, tunc naturae confilium & prudentiam tribuis, atque ex ea Deum facis. Exc. 5. *Ratio* in homine, eius caufa eft. ℞. Quae ratio, cum homo ipfe non exftet, nifi ab alio priore generetur? unde ratio illa in homine eft? Deinde ratio haec non foret recta ratio, quia metum fruftra ingeneraret animo hominis. Exc. 6. Morfus confcientiae etiam falfo principio niti poteft, ut apparet in fuperftitiofis & falforum deorum cultoribus, qui confcientiae morfum fentiunt, fi liberos fuos non immolent deaftro fuo, & vitam ponant pro falfa religione fua. ℞. Argumentum hoc quidem evincit, rationem noftram non effe plane apodicticam, non tamen evincit, eam omni verifimilitudine & probabilitate carere. Deinde fuperftitioforum & infidelium eiusmodi hominum alia eft conditio, quam horum atheorum. Illi enim morfum iftum fentiunt, quia praeiudicio aliquo laborant, veluti morbo, qui eos imbecilles

reddit & infirmos ad morbum istum superandum. Hi robustae mentis sunt, & tota animi vi id agentes, ut morsum istum excutiant, atque extorqueant animo suo, & tamen volentes nolentes illum sentiunt. Denique superstitiosi illi adduci aliquando possunt, & non raro adducuntur, ut superstitionem suam agnoscant, & deserant, adeo, ut non modo nullum ex eius derelictione morsum sentiant, sed & dolorem experiantur, si ad superstitionem redeant. Sed Athei nullis rationibus adduci possunt, ut morsum istum plane excutiant ex animo, atque eiiciant.

Alia duo. Istis argumentis ex principiis rectae rationis deductis, subiungi etiam possunt duo alia ad hominem, quae merito atheum permovere possunt, ut saltem sui ipsius, & utilitatis suae causa, credat, esse aliquod nomen. Et primum quidem est hoc: *Si Deus non est, nulla resp. nulla societas est tuta.* Nam sine virtute, & religione nihil tutum esse potest. Societas humana nihil aliud erit, quam coetus, in quo cuique, quod libet, licet, in quo nullum fas aut nefas, nullum imperandi ius, nulla obsequendi necessitas. Secundum: *Si Deus non est, nemo homo vel ad momentum tutus est aut securus a vi, fraude, periurio, & caede.* Nisi enim repagulum divinitatis obdatur, nullus locus erit fidei & innocentiae, omnia patebunt vi & licentiae.

Saltem sui ipsius, & utilitatis suae causa] Si non DEI ipsius, religionisque vindicandae ergo, hoc sibi persuadere velit.

In quo nullum fas aut nefas] Optimus in illo coetu erit, qui vaferrimus, & dominus, qui potentissimus est. Nullo freno continebitur imperantium licentia, nullo subditorum rebellio, suo quisque animo impune serviet, & in occasiones intentus, commodis suis studebit, nulla publicae tranquillitatis reverentia ductus.

Omnia patebunt vi & licentiae] Contra hoc excipitur: *Humana edicta obstant.* R. 1. Humana edicta non faciunt, ut fides atque innocentia inter virtutes censeri, visque ac violentia, immo scelera & flagitia in numero peccatorum haberi debeant, quorum ultor

Deus

Deus metuendus sit. Vnde & 2. edictorum rigor & severitas animum non mutabit in melius, sed contra reddet cautum, vafrum, & in omnes fallendi artes intentum, ut, quod palam non licet, clam faciat, sui commodi causa.

Objectiones Atheorum. Caeterum obiectiones Atheorum frivolissimae sunt, & quae facile possunt solvi. Nam prima est: *Q. nullo sensu potest percipi*, id non est in intellectu, adeoque etiam non in rerum natura. Atqui Deum esse, nullo sensu potest percipi. ℞. Ad majorem propositionem per instantiam: Propositiones generales, sive morales sive intellectuales, nunquam fuerunt in sensu, & tamen sunt in intellectu tam speculativo, quam practico, e. g. Contradictoria non posse esse simul vera & falsa, Honeste vivendum, Neminem laedendum, Suum cuique tribuendum esse. Neque etiam de omnibus obiectis simplicibus vera est: Nam anima in intellectu est, seu cognoscitur, quamvis nunquam fuerit in sensu. Excipiunt: At *effecta eius in sensu sunt.* ℞. Bene: Interim causa ipsa non fuit in sensu. Si autem causa ex effectis colligi potest in intellectu, cur ergo ex tam admirandis effectis, quae in toto mundo vobis in oculos incurrunt, non colligitis eorum causam & factorem, Deum optimum maximum?

II. *Si Deus ab aeterno statuitur, tunc etiam statui potest, omnia haec ab aeterno esse*, quia non potest dari ratio, cur, dum melius ab aeterno esse potest, non pariter sic esse possit vilius. Atqui, secundum vos, absurdum est posterius. Ergo & prius. ℞. Contemplemur rem omnium, quas conspicimus, praestantissimam & nobilissimam, hominem. Hic cum fiat per generationem, impossibile est, ut ab aeterno aut factus sit, aut creatus. Necesse igitur est, ut statuatur aliquod ens homine nobilius, a quo ille intellectum accepit,

pit. Hoc ens necesse est sit ab aeterno, quia alias dabitur processus in infinitum. Excipiunt: *Coelum, astra, sidera, non generantur, nec fiunt.* Illa itaque potuerunt esse ab aeterno. ℞. Aut illa propter hominem sunt, aut homo propter illa. Si prius, quomodo homo post illa coepit existere, & quidem sine ipsis, aut sine consilio eorum? Frustra itaque fuerunt, antequam homo esset, & quidem ab aeterno. Neque etiam posterius, quia hoc absurdum est: Nam si factus est, & tamen non ab ipsis, a quo ergo factus est? & quem usum aut fructum percipiunt illa ab homine? Si dicunt, *Homo ab astris & sideribus est productus, certa quadam eorundem constellatione posita*: quae si eadem redit, eodem modo ab illis producendus homo est. ℞. Vnde hoc probatur? Si ab aeterno sunt astra, necesse est, ut eadem siderum positio redierit. Cur ergo non plures ab iis fuere homines producti? Et in quem finem ista siderum positio novum hominem produceret, dum terra hominibus jam plena est? ad speciemne humanam conservandam, an ad prolificam suam vim ostendendum? Non illud, quia species iam satis conservata est: neque hoc, quia eius finis ostendi non potest, nec *prolifica vis* nominari aut celebrari potest, quae non nisi intra 36000. annorum spatium (sic enim omnia aiunt redire ad idem punctum suum) redeat: quo modo vilissima animalia, ut mures, lepores, insecta maiore vi prolifica praedita sunt, quam coelum ipsum, immo etiam plantae eo foecundiores.

Intra 36000. annorum] Vt statuit Cardanus.

III. *Si Deus est, animal est*, quia alioqui sensibus non frueretur. Si autem sensibus fruitur, mutatur, quia voluptatem & dolorem sentit; & si mutatur, corrumpitur. Si corrumpitur, perit, vel saltem corrumpi & mori potest. Atqui haec omnia sunt absurda, ergo & prius. Similiter: *Si Deus*

Deus corpore caret, caret & actione, i. e. vita & loquela. Itaque truncus, aut mutus est. Item: *Si Deus est, beatus est*: Si beatus, *virtutibus praeditus est*: Si virtutibus, etiam *passionibus obnoxius est*, quia virtutum quaedam moderantur passiones, ut Continentia. ℞. Obiectiones hae indignae sunt homine, qui sana ratione est praeditus. Cur enim ens primum, quod Deum nuncupamus, aequiparetur animalibus & nudis hominibus, & non potius anteferatur? Quin potius sic colligendum est: Si entia omnia ab illo primo ente sunt, tanto illud praestat optimo inter entia creata, quanto optimum caeteris inferioribus, immo infinitis modis praestat illi optimo. Deus non est concipiendus ad modum entium factorum, neque perfectio eius mensuranda ad entia facta, & imperfecta. Si dicunt: *Nos aliter illud ens ingenio nostro non possumus concipere.* ℞. Non possumus quidem illud pro dignitate concipere; sicut & bestiae non capiunt, quid homo sit, & quomodo remp. gubernet, mare naviget, & astrorum cursus metiatur: interim bene possumus concipere, ac debemus, illud tanto, immo infinities nobis esse praestantius, quanto nos praestantiores sumus bestiis.

IV. *Si Deus esset, tunc omnia posset.* At non potest omnia: nam non potest facere, ut ignis sit frigidus, nix nigra, ut praeteritum non sit praeteritum, ut bis dena non sint viginti; neque etiam potest mori, dormire, oblivisci. ℞. Per *omnia*, quae Deus posse dicitur, sunt intelligenda possibilia, ita ut iis non repugnet esse, sive quae contradictionem non implicent; item, quae ipsius subiecti naturae non repugnant, seu quae non involvunt imperfectionem aliquam, aut maiorem perfectionem continent, quam natura subiecti patitur. Allata igitur exempla non continen-

tur sub serie possibilium, adeoque nihil probant contra Dei omnipotentiam & existentiam.

Vt iis non repugnet esse] Vt e. g. ignis frigidus: Nam sic esset & non esset ignis. Item nix nigra. Sic etiam fieri non potest, ne a Deo quidem, ut factum sit infectum, ut aliquid fiat a se ipso.

Quae non involvunt imperfectionem] Talia autem sunt, posse mori, dormire, oblivisci, quando Deo tribuuntur.

Aut maiorem perfectionem, quam natura subiecti patitur, continent] Vt si diceretur, Deum non posse facere, ut aliquid sit factum ab aeterno, ut creatura sit ab aeterno. Haec non posse, non est impotentiae, sed perfectionis.

V. Si Deus esset, isque bonus, sapiens, & iustus rector mundi, *non essent tot inutiles res in mundo*, ut terra magnam partem sterilis & inhabitabilis, maria inaccessa & glacie concreta, pluviae in mare decidentes, flumina & vada inhospita: *nec tot noxiae res*, ut ferae & belluae, serpentes & mineralia venenata, spinae, fulmina, tempestates, morbi: *nec tot viles, & minutulae*, ut vermes, muscae, insecta. ℞. Contrarium potius ad hunc modum concludendum fuerat: Si Deus earum omnium autor est, sine dubio finis & utilitatis alicuius causa eas singulas esse voluit, illumque finem is optime novit, etiamsi nos eum non semper plene ac perfecte capiamus. Ipsa etiam venena inserviunt medicinae. Neque muscae, aut alia, quae habentur pro vilissimis animalculis, omni utilitate destitutae sunt: Sunt enim muscae hirundinum pabulum, & esca aranearum; araneae autem utiles ad repurgandum aërem.

Sine dubio finis & utilitatis alicuius causa] Hic si officinam chirurgi, pharmacopoei, chemici, fabri ferrarii intramus, multa ibi videmus instrumenta, tam magna quam parva, ignorantes, in quem finem adhibeantur, non tamen dubitamus, eorum finem aliquem & utilitatem esse. Quae igitur dementia, quanta improbitas & impu-

impudentia, ea dicere inutilia & superflua, immo etiam vilia & Deo indigna, de quibus nescis, cui usui aut fini inserviant!

VI. Si Deus est autor huius universi, tunc *aliqua re motus fuit ad faciendum*, & per consequens *mutatus* ex non agente in agentem: Et si mutatus, quaeritur, *quid ante egerit*, & *an in tempore* tum aliquo fuerit, aut egerit. ℞. In actione non necesse est mutationem fieri ex parte agentis, sed patientis, v. g. cum ignis aquam frigidam calefacit, non ignis in aquam agens mutatur, sed mutatio est ex parte aquae, quae per calefactionem ex frigida fit calida. Par ratio est de creatione, in qua mutatur non creans, sed terminus ad quem, qui, cum antea nihil esset, creando actuatur, & de nihilo fit aliquid, & sic aliquam quasi mutationem subit. Proprie autem ibi non habet locum mutatio, quia ad talem, praeter terminum a quo & ad quem, requiritur subiectum praeexistens. Quale in creatione non datur. Hildebrand. Theol. dogmat. cap. 7. §. 3. p. 258.

VII Si Deus est rector universi, *non esset tanta inter bonos & malos inaequalitas*, qua hi abundant omni voluptatum genere, & impune quidvis perpetrant, illi adversis omnibus, inopia, contumeliis, cruce & afflictionibus premuntur, nec pietatis suae fructum gustant aut sentiunt. Lucian. de Monf. d' Ablancourt, part 2. p. 73. ℞. De pietate alterius, nemini potest certo constare, cum illa potissimum sita sit in corde. Nec vere mala sunt, quae vitae, sanitati, ac fortunis alicuius sunt noxia. Non sunt illa ethice, sed physice mala, eaque Deus immittit, aut evenire finit tribus fere de causis, 1. propter se ipsum & gloriam nominis sui. 2. propter alios, sive impii sint, sive nondum vere pii ac probi. 3. propter ipsos pios, sive bonorum bono. Episcop. T. I. Part. I. 366. Quod attinet ad malos, ex eo, quod bonis

nis huius vitae abundant, non recte infertur, iis bene esse. Nemini enim bene esse potest a bonis fortunae, nisi qui iis recte uti novit. Et per divinam providentiam fit, ut ea malis obtingant, nempe ut per ea meliores reddantur, Act. 17, 27. Porro quamvis eorum poena differatur, non tamen aufertur. Si non omnes illorum subire tenentur corporales poenas, aeternam tamen non poterunt declinare. Immo ab omnibus illis etiam in hac vita exigitur poena, qua molestior & exquisitior dari non potest, dum propria eos cruciat conscientia.

: *Propter se ipsum & nominis sui gloriam*] Hoc enim in Dei gloriam cedit, quod ille subditos sibi facere possit ac faciat, qui ultro ac sponte sua in mediis malis, adversitatibus & calamitatibus, infracti atque invicti manent, & satanae, extrema omnia pro virili tentanti, ut eos a Deo avertat, ludibrium faciunt.

Propter alios, sive impii sint] Vt impietatis suae convincantur, & videntes, quantum possit virtutis pietatisque amor in iis, qui, non obstante pietate sua, malis premuntur, vel pudore suffundantur, vel ad similium virtutum amorem inflammentur, vel metu gravioris divini iudicii terreantur.

Propter alios, qui nondum sunt vere pii & probi.] Vt ab iis exemplum verae ac generosae pietatis petant, non contenti quovis in speciem pio vivendi genere.

IIX. Si Deus esset, *non essent tot mala, tot scelera, tot errores & haereses:* Nam Deus eas non permissurus esset, utpote omnis veri & boni fons & auctor. ℞. Ex Hildebrandi Theol. dogmat c. 3. §. 9. p. 94. Mala ista formaliter non sunt in Deo, sed sunt extra ipsum, & permissive duntaxat, atque ab ipso in fines optimos, & in sui gloriam diriguntur. Et nititur ratio adducta duabus falsis hypothesibus: 1. Peccatum tantum malum esse, ut eius coëxistentia cum Dei providentia, Deo prorsus indigna, adeoque per se impossi-

possibilis sit. 2. Proprietates istas divinas tales esse, ut quae secundum eas administratur providentia, ea secundum ultimum & extremum earum posse, administranda sit. Episcop. T. I. part. I. 375.

Duabus falsis hypothesibus.] Nam prima falsa est, quia, etsi peccatum malum est, oppositum bono & sanctissimae Dei naturae, tamen tale malum non est, quod summum est, seu quod ex aequo cum summo bono contendit, ita ut summi boni universum ordinem excedat, atque ab illo ipso summo bono in ordinem redigi, & sic ad bonum dirigi non possit. Ratio est, quia si peccatum tale ac tantum malum esset, non fecisset Deus creaturam ullam liberam peccati capacem. Secunda: Ideo enim quod Deus fecit creaturam liberam peccati capacem, consequitur etiam, proprietates istas divinas non modo non requirere, ut providentia secundum ultimum earum posse circa illam administretur, atque ita peccatum per earum vim impediatur; sed contra requirere, ut providentia, quae secundum eas administratur, secundum illud posse earum administretur: per quod creaturae liberae proprietas non tollitur, sed sarta tecta conservatur.

IX. Si Deus esset, qui curam gereret rerum humanarum, haud dubie *sustineret magnam molestiam & angeretur*. ℟. Miseria & molestia non est in providentia, sed in defatigatione. Deus vero defatigari non potest: Siquidem nullo labore rerum notitiam habet, nullius obliviscitur, sed omnia, praesentia & futura, uno intuitu videt, ipse existens simplicissimus, & nullius capax alterationis.

Denique si quis libros aut tractatus Atheis oppositos nosse cupit, ei ex plurimis, praeter Systemata theologiae, sequentes indicari possunt: Ioh. *Mülleri* Atheismus devictus, Christoph. *Franckii* Atheus convictus, Sebast. *Niemanni* Atheus refutatus, Dominici *Lopezii* liber de S. Scripturae auctoritate, Ioh. *Lassenii* Besiegte Atheisterey/ Theodori *Vndereyckii* Närrischer Atheist/ Theophili *Grosgebaueri* *Scripta Atheis opposita.*

baueri Praeservativ wieder die Pest der heutigen Atheisten/ Theoph. *Spizelii* Scrutinium atheismi, & Epistola ad Henr. Meibomium de Atheismi radice, Gebhardi Theodori *Meieri* Historia religionum, Ioh. Bartholdi *Niemeieri* disputationes de Existentia Dei, & Atheismi aversione, Ioh. Henr. *Alstedii* Turris Babel destructa pag. 724. Petri *Charronii* Les trois veritez, contre les Athées &c. Ioh. Christoph. *Sturmii* disputatio de Visionis organo, quae exhibetur in Philosophiae elect. parte 1. pag. 425. & altera, Physicae electivae tomo 1. subiuncta, atq; a perillustri Guelpho L.B. *a Metternich* elaborata, de Theosophia seu cognitione Dei naturali, Rich. *Bentleii* Stultitia atheismi, Henr. *Hammondi* Lhättges Christenthum/ Ioh. *Tillotsonii* Gründlicher Beweiß wieder die Atheisten/ Rob. *Oudworths* Systeme of the Vniverse, Iac. Benigni *Bossueti* Historia universalis, Philippi *a Limborgh* Refutatio Exemplaris humanae vitae, scripti ab Vriele Acosta, Friderici *Hoffmanni* oratio de Atheo convincendo ex artificiosissima machinae humanae structura, Marii *Mersenni* Comment. in Gen. p. 434. Francisci *Valesii* Philosophia sacra c. 58. Gisberti *Voetii* Disputationes selectae p. 210. Bartholomaei *Fibus* Demonstratio tripartita. Vt taceam Iulii Caes. *Vanini* Amphitheatrum aeternae providentiae, & Thomae *Campanellae* Atheismum triumphatum, quoniam nonnullis monstri quid alere videntur. Confer Voetii Bibliothec. stud. theol. p. 701. & Slüteri Propyl. hist. eccl. p. 200.

Praeter Systemata theologiae] Vt Gerhardi, Brochmandi, Calovii, Quenstedii, Episcopii, Curcellaei, Philippi a Limborgh, &c. In iis enim & quidem in loco de Deo, haec quaestio solet tractari.

Tractatus de verit. relig. christ] E.g. Mornaei, Lud. Vivis, Grotii, G. Calixti, autoris anonymi, qui nomen habet Abbadie. De quo vide Acta Erudit. A. 1685. p. 126.

Domi-

Dominici Lopezii] Sub quo nomine latet Faustus *Socinus*, ut indicatur a Mart. Ruaro Epist. parte 1. pag. 101. Christoph. Sandio in Biblioth. Antitrinitar. p. 66. & auctore praefationis in ipsum illum libellum, pag. 265. tomi I. operum F. Socini.

Iulii Caes. *Vanini*] Qui A. 1619. Tolosae vivicomburio fuit necatus.

Thomae *Campanellae*] Qui post varias persecutiones, mortuus est A. 1639. Parisiis in palatio card. Richelieu.

Nonnullis] Vt Meiero p. 22. Niemeiero disp. de Exist. Dei §. 20. Grosgebauero in dedicat. Praeservativi p. 527. Ruaro Epist. parte I. p. 237. & Mersenno ibid. pag. 238. I. C. Sturmio Elect. philosoph. part. I. 176. & auctori der Vorstellung der Verfälschungen Gottfr. Arnoldi p. 51. Arnoldus enim defenderat Vaninum in Hist. eccl. & haer. part. 2. p. 600. & Campanellam part. 3. p. 83.

CONTROVERSIAE CVM GENTILIBVS.



Religio ethnica seu gentilis & pagana vel idololatrica, describi potest ex Rom. I, 23. quod sit talis religio, *quae mutat gloriam invisibilis Dei in efformatam imaginem corruptibilis hominis, & volucrium, & quadrupedum, & reptilium.* *Religionis ethnicae descriptio.*

Ethnica seu gentilis] Sic appellata, quod idololatria apud plures gentes inde ab initio mundi esset frequentior, praesertim ex quo Dei ecclesia & vera religio in populo Dei hospitabatur. G. Theod. Meier in Histor. relig. p. 312.

Pagana] Sic dicta ab ipsius cultoribus, qui *Pagani* appellabantur a pagis, quia conversis ad christianismum populis, gentilismus ex urbi-

urbibus proscriptus, in pagis apud rudiores diu permansit ac retentus est, sicut & hodienum inter paganos sive rusticos, eius vestigia, quoad superstitionem & magiam illicitam ac veneficia, reperiuntur.

Idololatrica] Quod idolorum, seu imaginum variorum deorum cultum proponeret & commendaret: sicut ex descriptione patet. In scriptura S. *Ethnicus* dicitur ille, qui a vera religione & ecclesia est alienus. Et hinc eadem totum genus humanum distinguit in *Iudaeos* & *Gentes sive Graecos.* Ortis autem Christianis, Gentes eos *tertium hominum genus* nominarunt, teste Tertulliano in Apologet. Bernh. Varenius Ethnicos distinguit in 4. classes sive genera, quorum 1. sunt *homines feri*, sylvestres, anthropophagi & athei, qui sine ulla Dei & numinis cognitione vivunt. 2. illi, qui *stellas colunt*, cumprimis solem & lunam. 3. illi, qui *multos venerantur deos*, & 4. illi, qui unum quidem Deum venerantur supremum, sed *cum eo plures.* Originem religionis ethnicae quod attinet, nonnulli eam referunt ad tempora Enosi eo, quod dicatur Gen. 4. ult. *Tunc coeptum est* profanari *nomen Iehovae.* Sed haec versio non recte se habet: sic enim legimus in fonte אז הוחל לקרא בשם יהוה id est, *Tunc coeptum est* invocare (vel vocare) *in nomine Iehovae.* Sensus est: Tunc, videlicet post natum Enosum, coeperunt homines pii, ad differentiam Cainitarum, *vocari* filii vel homines Dei. Confer c. 6, 1. vel, tunc coeptum est *invocari* nomen Dei, videlicet publice & in ecclesia, postquam hactenus vel una vel paucissimae familiae domi cultum exercuerant. Et in hoc posteriore sensu phrasis קרא בשם י״י usurpatur etiam Gen. 12, 5. vel 8. & 13. 4. Interim probabile videtur, religionem ethnicam etiam antediluvianis temporibus fuisse. Sed gentilismus postdiluvianus coepit, ante dispersionem gentium, in Chaldaea, occasione nimii astrologiae studii: Omnium enim primo astra pro diis sunt culta, post heroës, denique animalia. Diodorus siculus ex traditione refert l. 1. Biblioth. *homines antiquissimos mundum supra se contemplatos, nec absque stupore admiratos universi naturam, existimasse, esse deos aeternos ac primos solem & lunam, eorumque illum* Osiridem, *hanc* Isidem

Iſidem *appellâſſe.* *Oſiris* autem Iovis filius, Iſis Inachi filia erat. Ad iſthunc aſtrorum cultum, & quidem ſolis ac lunae, per oſculum manus, ſeu manum ori admotam, reſpicit Iob. c. 31, 27. quae verba an a Tremellio & Iunio (*& oſculatum eſt os meum & manus mea*) vel a S. S. (*& oſculata eſt manus mea os meum*) aut a L. (daß meine Hand meinen Mund küſſe? & in gloſſa: Hand küſſen heiſſet ſein eigen Werck preiſſen/ welches allein GOtt zugehört) ſatis recte verſa ſint, eruditioribus iudicandum relinquimus; ſic enim legimus in fonte: ותשק ידי לפי. Quod LXX. ita reddunt: *Εἰ δὲ χεῖρά μου ἐπιθεὶς ἐπὶ στόματί μου ἐφίλησα*, i. e. *& ſi oſculatus ſum manum meam, ponens ad os meum;* vulgatus: *Et oſculatus ſum manum meam ore meo.* Nempe ſignificat Iobus, ſe nullum honorem divinum aſtris exhibuiſſe, neque clam, neque palam, clam cogitatione, palam adoratione: Mos enim antiquus fuit in adorando, manum ori admovere, honoris cauſa, Druſ. in h. l. Caeterum triplex fuit Ethnicorum theologia, mythica ſeu *fabularis*, *naturalis & civilis*. Prima illa hauriebatur ex poëtarum figmentis, altera ex naturae myſteriis, & tertia ex legislatorum decretis.

Quamvis autem inde uſque a praedicatione Apoſtolorum, multi gentilium converſi fuerint ad fidem chriſtianam, maior tamen hominum pars hodienum tenebris religionis immerſa eſt; & ut fateri cogimur, Lutheranos hactenus parvam & tenuem ad Gentilium converſionem operam contuliſſe, ita non inutile eſt, ſcire modum convertendi ethnicos, & diſputationem dextre cum iis inſtituendi. *Multitudo Gentilium.*

Multi Gentilium converſi] Series huius converſionis in 4. diſtinguitur aetates: 1. a primordiis eccleſiae chriſtianae uſque ad Conſtantinum magnum. 2. Inde uſque ad Carolum magnum. 3. Ab hoc uſque ad detectum novum orbem: quod contigit ſub finem ſeculi decimi quinti. 4. Inde uſque ad haec noſtra tempora. In qua ultima periodo, Hiſpani in America quidem aliquid praeſtiterunt, ſed auro magis, quam ſaluti hominum inhiantes. Et in **China Ieſuitae gallicani magnam hominum multitudinem Chriſto**

adduxerunt, ficut teſtantur Noviſſima Sinica illuſtris viri, Godofredi Guil. Leibnitii, & Programma acad. Iuliae in feſto pentecoſt. A. 1701. Vide etiam Kunckelii Lil. inter ſpin. p. 211.

Maior tamen hominum pars.] Nam Africa dimidiam circiter partem eſt idololatrica, uti & Aſia; America autem, praeter illos, qui ab Anglis, Belgis & Hiſpanis converſi ſunt, idololatriae eſt immerſa. Meier in Hiſt. Rel. p. 319. Et ſi quid eſt hominum in terris borealibus & meridionalibus, utrique polo proximis, quas orbe noſtro maiores viri docti autumant, id omne ſine dubio ethnicae idolomaniae eſt addictum. Id. ibid.

Lutheranos hactenus parvam & tenuem] Immo nullam, ut videtur Meiero 319. Nunc autem in Tartaria primitias converſionis eiusmodi conſpici aiunt.

Non inutile eſt] Sicut docet Hoornbeeck in Summa controverſ. p. 56. 57. Qui etiam ſibi propoſuit ſcribere peculiarem tractatum de Converſione Indorum p. 56. & Reinboth contra Keddii Sonnenſtadt/ T. I. 667. Adde Iuſtinianum (L. B. a Wels) von Bekehr. unglaubiger Völcker / & Anonymi Erinnerung an Iuſtinianum, Seine Vorſchläge betreffend.

Modus Gentiles convertendi. Nempe cum Gentilibus diſputatio eſt vel de illis, quae ex natura oſtendi docerique poſſunt, vel de aliis, quae ſupra naturam ſunt, & ex ſupernaturali revelatione, quae Dei verbo continetur, petuntur. De utriſque docendi illi ſunt, & defectus theologiae naturalis ſupplendus ex revelata, ut ad fidem & ſalutem perducantur. Hoornb. in Summa controv. p. 58.

De illis, quae ex natura oſtendi poſſunt]. Vt quae Deum, & quae homines concernunt, & ſpeciatim de Dei natura & eſſentia, eiusque operibus, ſcilicet creatione & providentia, de cultu Dei, & quidem ſine idololatria & magia, de animae humanae immortalitate, hominis αὐτεξουσίᾳ, & animarum transmigratione, item de deponenda nuditate corporum, feritate, fornicatione, inceſtu, & polygamia.

Ex ſupernaturali revelatione] Vt de perſonarum divinarum trinitate

nitate, hominis creatione & lapsu, Christo, iustificatione, sanctificatione, deque hominis extremis, resurrectione, iudicio, vita aeterna,& inferno.

Theologiae naturalis] Haec est scientia practica, ex principiis naturae de Deo praescribens homini viatori cultum Deo convenientem, eumque explicans, confirmans ac defendens, consequendae in Deo, & a Deo, beatitudinis aeternae causa. Baier in Comp. theol. posit. p. 30.

Ex revelata.] Theologia revelata est scientia practica, docens, confirmans ac defendens, ex divina revelatione, ea omnia, quae homini peccatori, cum ad fidem in Christum cognitu, tum ad vitae sanctimoniam factu sunt necessaria, consequendae a Deo, & in Deo,beatitudinis aeternae causa. Baier. p. 67.

Defectus theologiae naturalis] Scilicet pro praesente statu,& posito lapsu hominis: quia in hoc statu homo a Deo aversus, & ad mala Deo displicentia propensus est, neque etiam in theologia naturali invenit medium, quo Deo placetur & reconcilietur; immo nec, quae alias ad cultum Dei pertinent, perfecte cognoscere, sibique praescribere, neque eum cultum, quem Deo deberi vi luminis naturalis intelligit, praestare potest. At in statu integritatis potuisset homo, ductu theologiae naturalis, & per concessas sibi vires, ad sufficientem Dei agnitionem, cultumque Deo debitum, absque defectu seu peccato praestandum pertingere, adeoque hoc modo beatitudinem aeternam impetrare. Baier. p. 19.

Initio adhibenda sunt motiva externa & argumenta inducentia, quibus ethnicae superstitionis absurditas ipsis reddatur evidens, & religionis christianae veritas, scripturaeque autoritas, probabilis. Quorum illud praestari potest, si ostendatur, religioni ethnicae per se adhaerere dogmatum stoliditatem & morum foeditatem. Utique enim est stolidum, plures uno habere deos, & deos quidem facere non tantum ex hominibus, saepe pessimis, verum etiam ex brutis, & rebus inanimatis terrenis, atque astris.

Quam superstitionem ultra modum deliram iam olim risserunt saniores Gentilium, Socrates, Plato, Aristoteles, Cicero, & alii. Foeditas morum inde conspicitur, quod deos agnoscunt criminibus pollutos, ut Venerem impudicam, Iovem adulterum, Martem sanguinolentum, Mercurium fraudulentum, Bacchum ebrium; quod vitiis coluerunt deos suos, ut Corinthii olim Venerem promiscuo concubitu; quodque dediti sunt victimis humanis, homicidiis, hominum devorationibus, fornicationibus, incestibus, magiae exercitio, divinationibus, & *αὐτοχειρίαις*. Fabricius in System. theol. p. 23.

Deinde progrediendum ad persuadendam religionis christianae veritatem. Vbi praesupponi debet, extare oportere revelationem divinam. Idque probari potest 1. a providentia divina. 2. a consensu omnium populorum. Hoc supposito, veritas nostrae religionis inde potest probabiliter ostendi, quod 1. nititur revelatione antiquissima, 2. pandit ea, quae nec naturaliter innotescunt, nec tamen etiam repugnant naturali de Deo notitiae, aut alias lumini naturae refragantur, 3. magnis miraculis confirmata, & 4. adversus hostium impetum conservata est, hostibus ipsis misere pereuntibus. Vide eundem p. 24.

A providentia divina] Nam si Deus nobis prospicit & procurat ea, quae corpus nostrum mortale, & terrenam felicitatem spectant, quanto magis solicitus erit de iis, quae pertinent ad animum hominis immortalem, eiusque beatitudinem aeternam? Ad hanc autem consequendam necessaria est recta Dei notitia, & rectus Dei cultus. Quae non possunt nobis innotescere, nisi ex peculiari revelatione.

A consensu.] *Nulla* enim *gens, quod attinet negotia religionis & cultus divini, contenta fuit principiis natura notis, sed omnes requisiverunt revelationes, puta ab oraculis, & falsis suis vatibus. Hic gentium consensus*

consensum suadet; opus esse revelatione, & principia naturaliter nota non sufficere: sunt verba Thomae l. 5. contra Gentes c. 4.

Nititur revelatione antiquissima] Nam Moses antiquior est omnibus aliis scriptoribus, ut docet Eusebius in proem. Chronici, & Vrsinus in Zoroastre.

Pandit ea, quae nec naturaliter innotescunt] Vt mysteria fidei.

Nec tamen etiam repugnant naturali de Deo notitiae aut lumini naturae.] Licet id excedant.

Magnis miraculis confirmata] Quae nec conficta sunt, quia totorum populorum testimonio nituntur, e. g. gentis ebraeae, & gentilium: Nam Iustinus, Pompeii Trogi abbreviator, miracula Dei in Aegypto & deserto edita ipse quoque describit & admiratur, atque ipsummet Talmud Christum miraculis claruisse fatetur; nec magica arte praestita, alias enim aut praestigiae fuissent, aut contigissent ope daemonum. At vero prius dici non potest, quia veros eorum effectus multi mortalium in se persenserunt, utpote qui vel plagis affecti sunt, ut Aegyptii, vel beneficiis, ut Israelitae, & qui a Christo vel Apostolis sanati. Neque etiam posterius: quia nullus daemonum habet potestatem resuscitandi mortuos, coecis natis visum largiendi, aut vehementissimos morbos verbo solo tollendi ac propellendi.

Hostibus ipsis misere pereuntibus] Vt Pharaöne, Sennacheribo, Antiocho epiphane, Nerone, Caligula, Diocletiano, Decio.

Potest etiam insinuans seu inducens argumentum peti ab auctoritate Ecclesiae, ita ut dicatur, religionem christianam prae ceteris omnibus mereri assensum, quoniam maxima & cultissima orbis pars eam amplectitur. Propositis autem hisce argumentis, ut vocavimus, insinuantibus sive inducentibus, quae non nisi ὑπόληψιν seu persuasionem & fidem humanam efficiunt, & animum convertendi eo inclinant, ut se non imprudenter facturum existimet, si missa absurda sua religione, christianae se addicat, scriptura sacra, tanquam verbum Dei, commendanda est, & ex

ex ea desumta credendorum seu articulorum fidei maxime necessariorum epitome, ut illa, & spiritu S. per illam, fides divina accendatur in homine, atque is verbum sacris literis comprehensum pro divino & infallibili agnoscat, & ut tale veneretur.

Argumentum ab autoritate Ecclesiae] Argumentum ab amplitudine ecclesiae & civium illius eminentia, in primitiva ecclesia quando ea paucis, iisque miseris & afflictis constabat, ethnica vero superstitio in summo erat gradu, formari non poterat; sed tunc locum eius supplerunt miracula, quibus infideles ad fidem christianam inclinabantur. Nunc autem argumentum hoc non est sine pondere: Quomodo enim probabile sit, tot viros nobilissimos, & multivaria doctrina atque insigni prudentia ornatos, ipsumque florem generis humani a vero Dei cultu aberrare?

Vt illa (scriptura S.) *& spiritu S. per illam fides divina accendatur*] Exemplo Samaritanorum Ioh. 4. 39. qui ut mulieris relatione moti fuerunt & inducti ad audiendum Christum, ita postquam ipsummet audiverant, illius doctrina efficaciter perculsi dixerunt mulieri: *Iam non propter loquelam tuam credimus: ipsi enim audivimus, & scimus, hunc esse vere servatorem illum mundi, Christum.*

Hoc tantum observetur, quod illa, quae ex Dei verbo docenda sunt, non per disputationem, sed *sola ex Dei verbo ostensione & expositione* debeant peragi: admissa enim semel verbi divinitate, fide acceptanda sunt ea, quae Deus revelavit, non rationibus disceptanda; nisi quod scrupuli interim, a convertendo moti, eximendi eidem & removendi sunt. Quod monitum est Hoornbeeckii in Summa controvers. p. 60.

Obiectiones Gentilium. Audiamus nunc praecipuos errores & obiectiones Gentilium. Primus est: *Sol, luna & reliquae stellae, nec non terra, & similia, quae hominibus innumera praestant beneficia, sunt dii*, quoniam deitatis proprium est, homines iuvare.

R. Hac

℟. Hac ratione & ſinguli homines, qui aliis operam ſuam & beneficia praeſtant, forent Dii. Deitatis ſane proprium eſt, ut punire, ita etiam iuvare. At vero ad hoc requiritur natura intelligens, & ea quidem univerſalis, quae ſemper & ubique, quoties res ita poſtulat, utrumque illud praeſtare valeat. Qualis natura, in exemplis praedictis minime deprehenditur.

II. *Stellae, terra & ſimilia ſunt adoranda*, quia videntur a nobis, & ita quidem, ut ſua dignitate & virtute nos ſuperent. ℟. Etiam homo hominem videt, & ſaepenumero eum, qui videntem ſuperat dignitate & virtute, neutiquam tamen eum propterea adorat, aut adorare tenetur, ut Deum. Immo homo multis modis antecellit aſtra & elementa, quoniam haec propter hominem, non autem homo propter illa conditus eſt. Eccur adorentur, quae preces hominum non poſſunt audire?

III. *Diabolus*, quamvis hoſtis noſter, *adorandus & placandus eſt, ne nobis noceat.* ℟. Non placandus eſt, ſed fugandus. Fugatur autem piis precibus, & ſanctimonia vitae.

IV. *Non ſupereſt alia poſt hanc vita*, cum experientia teſtetur, animam hominis aeque perire, ac beſtiae alicuius. ℟. Experientia iſta reſpicit vitam hominis ſenſitivam, quam cum beſtiis habet communem. Sed praeter hanc praeditus etiam eſt vita intellectiva; quae quam ſit excellens, omnes experimur. Nec dubium, Deum, mentem, divinae illam particulam aurae, pro ſua ſapientia & bonitate ac potentia conſervaturum, ut piis aeternum bene ſit, impiis male. Sicut & multi praeclari ſcriptores ethnicorum faſſi ſunt.

V. *Corpus hominis demortui non poteſt reſurgere*, quoniam

niam corpus illud in cinerem aut terram redigitur, ossaque dissipantur, & alia eorum huc, alia illuc proiiciuntur, saepe & humana corpora a bestiis aut aliis hominibus devorantur, vel igne absumuntur, variasque in formas transmutantur. ℞. Omnipotentiae divinae nihil est impossibile. Facile est Deo, ex minutissima materiae particula superstite idem restaurare corpus. Videmus, ordinaria naturae virtute ex minutissimo semine eandem specie herbam renasci; videmus, in fornacibus chemicis herbas, flores & alia restaurari, & in vitam revocari; videmus, eum, qui sufficienti idiomatis notitia instructus est, folia libri alicuius discissa & inter se confusa, posse colligere, & iusto ordine iterum disponere: an igitur impossibile credemus Deo omnipotenti, coeli terraeque ex nihilo creatori, corpus idem ex materia superstite, quoquoversum illa dispersa & quantumcunque mutata fuerit, restituere? Vitam reddere, praestantius est, quam ex dispersis materiae particulis idem corpus efformare. Vide Claubergii dispp. II. de Resurrectione carnis.

Disp. II. de Resurr. Carn.] Quarum 1. ostendit exemplo libri prius dissoluti, postea reconcinnati, quomodo idem numero corpus humanum a Deo resuscitari possit. 2. quomodo homini ab anthropophagis devorato membra sua in resurrectione restitui possint.

VI. *Hominis finis est cura sui ipsius corporis*, quippe quod omnes homines appetunt, & praeter illud nihil ex hoc mundo, experientia testante, secum ferunt. ℞. Homines ventri dediti, id expetunt, non vero sapientes, & qui se a recta ratione duci patiuntur. Quamvis autem experientia non testetur, (non enim haec potest ultra fastigium seu terminum suum se porrigere) nihilo tamen minus verum est, animae hominis vel bene vel male esse, & corpus aliquando

quando

quando in locum vel damnationis, vel beatitatis inferri posse ac debere.

VII. *Mundus, & quae in eo sunt, non reguntur a causa quadam superiore*, quoniam causa ista nunquam apparet, aut conspiciendam se praebet; & natura est commune illud principium, a quo videmus omnia regi. ℞. Quomodo conspiciatur causa illa prima, cum sit spiritualissima & incorporea? Satis tamen Deum, aeque ut animam nostram, conspicimus in suis operibus. Natura autem est principium internum, cuius cursus seu motus interdum aliquas mutationes & vicissitudines patitur. Pendet itaque a principio aliquo externo, quod ipsam movet, & quod a nullo movetur.

IIX. *Moses multa absurda commemorat*, ut 1. creationem rerum ex nihilo. 2. deceptionem hominis per serpentem. 3. diluvium universale. 4. propagationem Israëlitarum in Aegypto tam brevi tempore factam ex progenitoribus LXX. ℞. Linus, Hesiodus, Ovidius & alii multa ex historia creationis desumserunt. Et apud Gentiles nonnulla occurrunt de historia lapsus & diluvii. Vide parentis mei dissert. de Cacozelia Gentilium, in tomo II. Disp. Dilherri p. 173. Quod autem exempla adducta spectat, ad 1. dicimus: Creatio rerum ex nihilo non est impossibilis naturae omnipotenti, quippe quae ut aliquid in nihilum potest convertere, sic ex nihilo potest aliquid producere. Cuius rei imago datur non tantum in natura, ubi generatio est motus a non esse ad esse, e. g. quando ex non homine fit homo, ex non-gallina, gallina; sed etiam in arte, ubi lignarius ex non scrinio facit scrinium, statuarius ex non imagine imaginem. Ad 2. Non mirum est, quod diabolus Evam deceperit per serpentem. Sciebat enim illa, serpentem non pollere facultate lo-

 quendi,

quendi. Admirata ergo est loquentem, & suspicata, id fieri altiore vi, videlicet angelica, & sic credidit eius sermoni, credensque decepta fuit. Ad 3. diluvium universale non redegit terram ad illum statum, quem habuit primo & secundo creationis die, sed mansit distinctio illa, quae facta est die tertio, inter aquarum conceptacula & terram, quamvis totus terrarum orbis aquis esset immersus & oppletus, ita ut perierint omnia in eo animalia, omnesque paucis servatis homines. Quanquam non desunt inter scripturae interpretes viri eximii, qui diluvium illud duntaxat particulare statuant, ut If. Vossius de Aet. mundi, Eduard. Stillingfleet, vigorniensis episcopus, in Originibus sacris, & G. Calixtus ac I. Clericus in Gen. 7, 19. Ad 4. Fac, aliquem anno trigesimo liberos habere incipere, & denos habere liberos, & liberos posterosque eum ita sequi; ecce, ille unus, antequam ducentesimus abeat annus, habebit trinepotum decies centena millia, atnepotum centum millia, abnepotum X. millia, pronepotes mille, & nepotes centum. Cur ergo incredibile videatur, ex viris circiter LXX. post annos 215. prodiisse virorum annis 20. maiorum sexcenta millia? praesertim cum polygamia inter eos fuerit usitata, & singularis Dei benedictio accesserit. Neque inter Ethnicos desunt polytecniae exempla, si narrationibus eorum credimus: aiunt enim, Aegyptum, Danaum, Priamum, Darium, habuisse quinquaginta liberos, Eutychen 30. partus exantlasse, & a viginti liberis rogo illatam, Artaxerxen habuisse 115. Hierotimum 600. liberos.

Multa ex historia creationis] Vt fabulam de *Prometheo*, ex luto hominem fingente: de *hortis Adonidis*, & *Hesperidum*: De *Pandora*, foeminarum conditarum prima, & omnia mala in mundum

dum spargente: de *Ione* sapientissimo, a *Iunone* uxore sua male persuaso, &c.

IX. *Moses* peritissimus fuit philosophus, adeoque *magiae naturalis beneficio edidit miracula*, quoniam de eo dicitur Ex. VII, 7. quod *educatus fuerit in omni sapientia Aegyptiorum*, cuius sapientiae magna pars fuit magia naturalis. Vnde Ex. VII. 11. vel 14. *magi dicuntur fecisse similiter, ut Moses.* ℞. Moses quidem didicit omnem sapientiam Aegyptiorum, sed non insanam illam, quae petitur ex magia illicita. Quod inde constat, quia Magis ille se opposuit. Neque hi omnia Mosis miracula potuerunt imitari: dicuntur autem in aliquibus similiter fecisse, quia sic videbatur Aegyptiis.

X. *Moses deduxit Israëlitas sicco pede per mare rubrum, quia reciprocationem maris observabat.* Vnde & ipse Iosephus dubitat, miraculosane fuerit haec maris divisio, an naturalis: *Nam & Alexandri M. ductu*, inquit, *mare pamphylium cessit, & iter aperuit, cum Deus eius opera ad destruendum imperium Persarum uti decrevisset.* ℞. Transitus ille non potest reciprocationi maris adscribi, quoniam nulla reciprocatio adeo findit mare, ut per medium eius tuto possis transire. Nullus etiam refluxus maris efficit, ut utrinque aquae instar muri assurgant, & consistant immobiles, donec transeat populus, & mox revolvantur in hostes illius, eosque submergant. Quod autem Iosephus narrat de mari pamphylio, fabulae accensendum est; nam Alexander, teste Strabone l. 14. non illud penetrando & pervadendo, sed eius littus obliquando duntaxat, cum suis transivit ad umbilicum usque. Prospera autem conatum & ausum Alexandri iuvit fortuna eo, quod fluctus maris redeuntes ipsum non oppresserunt.

Teste Strabone] Cuius verba haec sunt: *Ad mare circa Phaselidem sunt angustiae, per quas Alexander exercitum duxit. Est etiam mons nomine Climax, pamphylio pelago adiacens. Is transitum arctum in litore relinquit, qui mari tranquillo nudatur adeo, ut iter facientibus pervius sit: pelago autem affluente undis contegitur. Transitus per montem tum arduus est, tum etiam prolixus: quapropter in tranquillitatibus litore utuntur. At Alexander in hyemem incidens, & maximam partem rerum suarum fortunae permittens, prius quam fluctus redierit, movit: & tota die contigit, ut iter in aqua faceret tenus umbilico.* Pag. 381. edit. Iansonianae A. 1652.

XI. *Omnia Mosis miracula possunt referri ad principium aliquod naturale, vel artificiale*, quoniam similia praestiterunt Apollonius tyaeneus, Circe, & magi sive venefici: Nam Apollonius mortuum resuscitavit, Circe socios Ulyssis in varias bestias mutavit, hodieque se in lupos commutare quidam sciunt. ℞. Mosis, non autem naturae & artis, miracula, superant omnem naturae vim. Mirabilia quidem, non autem miracula erant opera Apollonii eo, quod vel merae praestigiae fuerunt, vel non excesserunt terminos naturae aut artis. Lycanthropia nihil aliud est, quam deceptio daemonis, qua ille homini persuadet, ipsum in lupum esse mutatum, & intuentium oculis pariter illudit. De qua videatur Dürrii Theol. mor. p. 80.

XII. *Moses finxit colloquia cum Deo*, ut legibus suis auctoritatem conciliaret, sicut Zamolxis apud Getas dicebat, se leges suas accepisse a Vesta, Zathraustes apud Arimaspos a bono daemone, Mnenes apud Aegyptios a Mercurio, Minos apud Cretenses a Iove, Lycurgus apud Lacedaemonios ab Apolline. ℞. Immo Ethnici ex familiaribus Mosis cum Deo colloquiis, consimilia fingendi occasionem sumserunt: tantum abest, ut sua mosaicis possint

oppo-

opponere. Quid? an illi suae cum Deo communicationis possunt afferre publica testimonia, videlicet irrefragabilia miracula, sicuti Moses?

XIII. *Christus miracula fecit vel naturalium aut artificialium causarum vi, vel bonorum angelorum ministerio*, quoniam eadem praestiterunt quidam Gentilium, ut Apollonius tyanaeus, qui mortuos resuscitavit, & Vespasianus, qui coeco visum restituit. ℞. Apollonius imposuit hominibus suis vel praestigiis, vel naturae artisve miraculis. Vide Euseb. Pamphili lib. contra Hieroclem. De Vespasiano autem res non est certa. Si vero restituit visum, tunc vel coecitatem particularem sanavit naturaliter, vel Deus hoc modo ei conciliare voluit auctoritatem, ut ea ratione facilius adipisceretur imperium romanum, in quo futurus erat minister & executor decreti contra Iudaeos divini.

XIV. Idem argumentum aliis rationibus stabilire conantur, dicentes, *Christum fecisse miracula*, vel *certorum verborum sono interveniente*, v. g. Ephatha, Mar. 7. 34. item *increpando*, *imperando*, vel *certis ritibus ac mediis adhibitis*, ut Ioh. 9. 11. cum adhibuit lutum & sputum ad sanationem coeci; vel denique *fidem ab hominibus postulando*, unde saepe dixit: *Fides tua te servavit.* Quae fides fuit vehementissima imaginatio, cuius ope medici saepe maximos tollunt morbos. ℞. Verba Christi facientis miracula fuerunt efficacia, non ratione soni aut literarum, sed voluntatis Christi. Deinde ceremoniae & media, quibus ille utebatur, non in se ipsa habebant illam vim, sed adhibebantur duntaxat, ut symbola. Et fides, quam postulabat Christus, erat fides miraculorum passiva, seu certa & immota persuasio, Christum divinitus habere pote-

potestatem, hoc iam vel illud praestandi, & cum fide salvifica coniuncta erat.

XV. *Christus vidit cogitationes hominum, & praevidit ac praedixit futura naturaliter*, sicut ingenia στοχαστικὰ cogitationes aliorum eruunt & indicant, itemque exercitati astronomi praevident ac praedicunt futura. ℞. Christus non στοχαστικῶς sive coniectando, sed ἀποδεικτικῶς seu demonstrando, & ex certa atque infallibili scientia indicavit cogitationes hominum. Neque eius praedictiones, ut astronomorum, ex principiis naturalibus desumebantur, deque necessariis effectibus agebant, sed a vi divina, qua sola praevideri & indicari possunt futura contingentia.

Scripta Gentilibus opposita. Scriptorum Gentilibus oppositorum alia profecta sunt a Christianis, alia a Iudaeis. Ex Christianorum scriptis notabilia sunt *Iustini* martyris duplex pro Christianis Apologia, Paraenesis seu exhortatio ad Graecos, Elenchus seu oratio ad Graecos, liber de Monarchia Dei, & liber de Resurrectione carnis, qui tamen hodie non amplius superest; *Athenagorae* Apologia sive legatio pro Christianis, & liber de Resurrectione mortuorum; *Tatiani* assyrii liber adversus Gentiles; *Clementis* alexandrini λόγος προτρεπτικὸς seu Admonitio ad gentes, item Paedagogus, & libri IIX. Stromatum; *Origenis* libri IIX. contra Celsum, item 2. libri, & totidem Dialogi de Resurrectione; *Eusebii* liber contra Hieroclem, iudicem nicomediensem, qui ineunte Diocletiani persecutione ad Christianos scripsit libros II. Φιλαλήθεις dictos, quibus inter alia comparationem Christum inter & Apollonium tyanaeum instituit, spurcissimumque magum domino nostro paria, aut etiam maiora praestitisse contendit; *Athanasii* oratio contra Gentes, & oratio de Incarnatione

verbi.

verbi. Quibus licet Petrus Allix litem moveat, earumque auctorem ad II. seculi finem vixisse putet, sciendum tamen, priorem citari tanquam athanasianam a Synodo CP. A. 754. & posteriorem a Theodorito Dial. 3. Vide Cavii hist. lit. part. 1. p. 102. *Gregorii* nazianzeni Invectivae II. in Iulianum imperatorem; *Cyrilli* alexandrini libri X. contra Iulianum; *Iohannis* Chrysostomi lib. contra Gentiles, sive de vita Babylae, & orat. VI. de Fato & providentia; *Tertulliani* Apologeticus, libri II. ad Nationes, liber de Spectaculis, liber de Testimonio animae, & liber de Idololatria; *Minutii* Felicis Octavius, h. e. dialogus Octavium christianum inter, & Caecilium ethnicum; *Cypriani* liber ad Donatum, liber ad Demetrianum, & liber de Idolorum vanitate; *Hermiae* Irrisio gentilium philosophorum; *Arnobii* libri VII. adversus gentes; *Lactantii* Institutionum libri VII; *Prudentii* libri II. contra Symmachum; *Augustini* liber de Vera religione, & libri XXII. de Civit. Dei; *Arsenii*, patriarchae constantinopolitani, Summa cath. fidei; Marsilii *Ficini* lib. de Religione christ. & fidei pietate, cum notis Lud. Crocii; Raymundi *a Sabunde* liber creaturarum, seu theologia naturalis de homine & creaturis; *Commodiani* Instructio adversus Gentium deos, pro religione christiana, tom. 27. Bibliothecae maximae Patrum; I. Lud. *Vivis* Comment. in S. Augustini de C. D. libros; I. Frid. *Lumnii* Thesaurus hominis christiani; Lud. *Granatensis* Memoriale vitae christianae, nec non liber de Oratione seu sancta meditatione; Petri *Charronii* les trois veritez, contre les Athées &c. Phil. *Mornaei* lib. de Veritate relig. christianae; Ant. *Possevini* Apparatus ad omnium gentium historiam; Thomae *Campanellae* Atheismus triumphatus, pag. 154. Thomae

a Iesu

a Iesu Thesaurus sapientiae divinae in procuranda salute & conversione omnium gentium; Iosephi *a Costa* libri VI. de Promulgatione evangelii apud barbaros, seu de procuranda Indorum salute; Mart. *Fotherby* Atheomastix; Ioh. *Yates* a Modell of divinity catechistically composed; Alexandri *Rossi* Unterschiedliche Gottesdiensten in der gantzen Welt; Hug. *Grotii* lib. de Verit. relig. christ. Ioh. *Micraelii* Ethnophronium; Mos. *Amyraldi* Traité des religions, contre ceux, qui les estiment toutes indifferentes; I. Henr. *Alstedii* Turris Babel destructa, pag. 1120. I. *Hoornbeeckii* Summa controversiarum, & 2. libri de Conversione gentilium; I. Canuti *Lenaei* Brevis informatio de verit. & excell. christianae religionis; G. *Calixti* disp. de Verit. relig. christ. Frid. Vlr. *Calixti* Tractatus de diversis totius mundi religionibus; Gebh. Theod. *Meieri* Historia religionum; Il Paragone dogmatico, ouero la pietra del tocco veritiera del P. Innoc. *Pencini.* Ex Iudaeorum scriptis, R. *Mosis maimonidis* liber de Idololatria. Vide etiam Hottingeri Bibliothecar. p. 386. & Gisb. Voetii Biblioth. studiosi theol. p. 704.

CON-

CONTROVERSIAE
CVM
IVDAEIS.



Er *Iudaeos*, cum quibus in praesenti nobis res est, non veteres Iudaeos, qui ante Christum exhibitum vixerunt, intelligimus, sed recentiores, qui exhibito iam Messia, & patefacta per totum terrarum orbem eiusdem doctrina, nec eum, nec scripturas N.T. recipere volunt, & toto genere ab antiqua iudaica religione distant. *Quinam per Iudaeos hic intelliguntur.*

Iudaeos] Qui ab initio *Ebraei* aut *Israëlitae*, postea communi nomine Iudaei sunt appellati. If. *Vossius* in lib. de Orac. sibyll. c. 2. *Omnium*, ait, *tribuum nomina in solam Iudae tribum transiisse, patet exinde*, quod, qui prius Ebraei seu Israëlitae dicti fuere, statim post solutam captivitatem, uti docet Iosephus, Iudaeorum assumserunt appellationem, acsi omnes e Iuda traxissent originem. Quod utique factum non fuisset, nisi omnium tribuum ut nomina, ita quoque iura ad solam transiissent tribum Iudae, ita ut reliquas omnes una haec contineret.

Nec eum, nec scripturas N. T. recipiunt] Sed talmudicis Rabbinorum commentis addicti sunt. *Talmud* autem est magnus liber, in plura distinctus volumina, continens omnem doctrinam & scientiam Iudaeorum, omne eorum ius civile & canonicum, casus conscientiae, & quicquid iurium, ad synagogam & reliquam eorum vitam pertinentium, apud ipsos est. Habet duas partes: altera dicitur *Mischna*, qui liber omnes Iudaeorum traditiones & ritus complectitur: altera *Gemara*, quae est veluti commentarius in Mischnam. Haec est fabulosa, illa non item. Mischna composita

posita fuit post annum Christi domini 500. Gemara post 600. Duplex vero est Talmud, alterum *hierosolymitanum*, *babylonicum* alterum. Prioris usus hodie nullus est. Igitur cum de Talmude simpliciter loquimur, babylonicum intelligitur. Atque hoc C. annis posterius est hierosolymitano. Edito Talmude magnum est ortum schisma inter Iudaeos, quod & nunc durat, cum alii adhaereant Talmudi, idque verbo Dei aequiparent, inde dicti *Talmudici*, alii scripturae S. inde appellati *Karaei* vel Karaitae. Tantum vero inter sectas illas est odium, ut Karaeum neminem in synagogam suam recipiant Talmudistae, nisi prius vel turcismum susceperit, vel christianismum, & hoc modo plenius a karaismo purgatus fuerit. Meier. Hist. Relig. p. 327.

Toto genere ab antiqua iudaica religione distant] Vtpote quae quoad substantiam fuit eadem cum christiana nostra religione. Minus igitur recte loquuntur, qui dicunt, *hodiernam iudaicam religionem olim fuisse veram*, cum nunquam fuerit vera, sed semper falsa, ita ut Iudaei hodie inter infideles referantur.

Spes de conversione Iudaeorum. Quamvis populo iudaico magna contigerit coecitas, non tamen plane desperandum est, ne magna eius pars, Deo adspirante, ad Christum aliquando convertenda sit. Atque huius sententiae doctorum insignem copiam collegit Spenerus in Piis desideriis p. 152. & seqq. Immo etsi non futura esset eiusmodi insignis conversio, expedit tamen esse inter Christianos, qui adminiculis ad disputationem cum Iudaeis instituendam, & conversionem eorum procurandam necessariis instructi sint, qualia sunt notitia linguae hebraeae & scriptorum rabbinicorum atq; talmudicorum.

Convertenda sit] Huc videtur tendere ipse apostolus Paulus Rom. XI, 25.

Huius sententiae doctorum] Sunt nempe ex patribus, Hilarius, Ambrosius, Augustinus, Cyrillus alex. Chrysostomus, Theophylactus, Theodoretus, Primasius, Basilius M. Origenes, Chrysologus, Oecumenius, Dionys. alex. Theodulus coelesyrus. Atque haec senten-

ſententia olim fuit catholica; Hieronymus autem primus eam in dubium vocavit ad Eſa. 11. quamvis alibi radiis veritatis victus vel rectius ſenſerit, vel priorem ſententiam correxerit. Vide Spener. p. 162. Patres illos ſecuti ſunt poſtea Beda, Haymo, Remigius, Anſelmus, Bernardus, Thomas aquinas, & ex noſtratibus Lutherus, Melanchthon, Aeg. Hunnius, Nic. Hunnius, G. Calixtus, M. Bucerus, Menzerus, Balduinus, Flacius, Loſſius, Rungius, Mylius, Weſenbeck, Erythropilus, Spangenberg, G. Maior, Winckelmann, Balth. Meiſner, Hafenreffer, I. Gerhardus, Schadaeus, Mich. Walther, Kesler, Creidius, Feſſelius, Förſter, Havemann, Höe, Hutterus, Weinrichius, Dorſcheus, Helwig, Helvicus, Iac. Martini, Roſtius, Schindler, Ioach. Hildebrand, Gerh. Gravius. Addatur diſp. inaugur. R. M. Meelführeri de Cauſis ſynag. err. p. 4.

Notitia linguae hebraeae] De qua Hoornb. in Summa controverſ. p. 64. Nempe qui notitiae illius linguae & rerum iudaicarum imperiti ſunt, infeliciter cum Iudaeis congrediuntur. Vidit id aliquando Conr. Pellicanus, atq; hinc permotus fuit ad exacte diſcenda hebraica & talmudica. Eodemque zelo flagravit & Hoornbeeckius.

Meieri querela eſt: *Chriſtiani in convertendis Iudaeis non debitam & ſufficientem adhibent curam.* In Hiſt. Relig. 330. *Mirum*, inquit Iuſt. Ioſ. Scaliger, *Chriſtianos contra ſe ſcribere, non contra Iudaeos. Sunt convincendi ex Talmud, non ex Novo Teſtamento.* In Scaligeran. p. 219. Pie eruditus Crenius conqueritur de negligentia theologorum, in praefat. in Helvici Elench. iud. p. 41. De converſione Iudaeorum videatur idem in dicta praefat. p. 39. & Meelführer in diſp. inaugur. de Cauſis ſynag. errantis, ubi multa congeſſit de impedimentis converſionis Iudaeorum.

Quum autem praecipua inter controverſias iudaicas ſit de Meſſia, iure meritoque cum praeclaris auctoribus inde facimus initium: monſtrato enim, tempus Meſſiae deſtinatum iam pridem effluxiſſe, facile patebit, Ieſum nazarenum eſſe Meſſiam, quoniam ei competunt, & nemini alii, conditiones ac requiſita veri Meſſiae. Si autem ille eſt verus *Praecipua controverſia de Meſſia.*

Meſſias, tunc ea, quae docuit, vera eſſe oportet: & ita ad omnia Chriſtianorum dogmata comprobanda, facilis erit via.

Praecipua] Sic enim iam ſua aetate Tertullianus: *Nec alia magis inter nos* (Chriſtianos) *& illos* (Iudaeos) *compulſatio eſt, quam quod iam veniſſe non credunt.* In Apologet. c. 21.

Cum praeclaris auctoribus] Videlicet Luthero in lib. Quod I. C. ſit natus iudaeus, Thumm. in praefat. Synopſ. controverſ. G. Calixto in Widerleg. Welleri n. 11. 74. & in Orat. ſelect. p. 76. Hackſpan. ad Lipm. Nizachon p. 395. I. Fabricio Syſtem. theol. p. 22. Hulſio apud Crenium in praefat. in Helvici Elench. iud. p. 53. Hoornb. de Convinc. & convert. Iudaeis, & Philippo a Limborch in Collat. cum erud. iudaeo. Neque nos movere debet dubium Hoornbeeckii in Summa controv. p. 67. ſcribentis, *dubitare ſe, an ſemper inde ſit incipienda diſputatio, ubi ad ſingula fere promtas Iudaei habeant reſponſiones exceptionesque.* Haec enim ratio etiam in aliis doctrinis & controverſiarum capitibus recurrere poteſt. Sufficit, ſi nos eorum exceptiones ſciamus declinare & evertere. Legi etiam hic poteſt Mart. *Dieſenbachii* Iudaeus convertendus, & Sigism. *Hosmanni* Cor Iudaeorum difficulter admodum convertendum, de quorum illo agunt Acta Erud. A. 1697. p. 162. de poſteriore eadem illa A. 1700. p. 365.

Praeſupponenda divinitas librorum N. T.

Quanquam ad demonſtrandum, Ieſum eſſe Chriſtum, ſeu Meſſiam Iudaeis olim promiſſum, ſatius eſt, praeſupponere divinitatem librorum N. T. veritatemque hiſtoriae illis contentae, quoniam hac non praeſuppoſita, difficile admodum eſt, ex ſolis prophetiis Iudaeos convincere, ac oſtendere, omnia ita debuiſſe fieri, prout in evangelio facta narrantur. Nam pleraeque prophetiae duplicem admittunt ſenſum, literalem & myſticum; Iudaei autem oſtendere poſſunt, plurimas prophetias iuxta ſenſum literalem, quem verba primo ac proprie innuunt, olim impletas

tas esse; difficulter autem persuaderi possunt, alterum illum, quem nos dicimus *mysticum*, qui Messiam spectat, cuiusque res literali sensu designata, typus tantum fuit, Prophetarum verbis contineri. Attamen hic ostendi & probari potest eo, quod impletio, quae in typo contigit, plerumque multo imperfectior est, quam promissa Dei secundum propriam & genuinam verborum, quibus enunciata sunt, vim ac significationem sonant: sensusque verbis illis expressus, si in latitudine ac propria vi sua accipiatur, multo augustior, quam ut impletio in typo facta, eum explere possit.

Satius est praesupponere divinitatem librorum N.T.] Hanc possumus adstruere, si quaeramus ex Iudaeo, quomodo probare velit, Mosen a Deo fuisse missum. Quaecunque enim affert, ea validius tribui possunt Christo.

Quam ut impletio in typo facta, eum explere possit.] Illud enim evidentissimum indicium est, Deum, qui ordinarie plus, nunquam vero minus praestare solet, quam promisit, sensum sublimiorem verbis illis involvere voluisse, cuius impletionem in Messia ostensurus esset. Et hinc est, quod Apostoli non soleant convincere Iudaeos solis Prophetarum testimoniis: paucissima sunt, quae hunc in finem allegant; sed provocare ad miracula, tam a Christo Iesu, quam a se in nomine Iesu facta. Illi autem probationi addunt testimonia a Prophetis antea edita, tum ut Iudaeos, quos miraculis credere oportebat, Prophetarum vaticiniis porro convincant, tum ut, quibus per miracula iam religionis christianae veritas erat plene comprobata, etiam ostenderent oeconomiam & directionem Dei, qui omnia sapientissime propter Messiam ordinavit, eius adventum praedixit, & eum primo, rudi quasi penicillo, delineavit temporibus praecedentibus, varios adhibendo typos, quorum alii obscurius, alii clarius Messiam adumbrarent, & repraesentarent: donec omnium complementum in ipso Messia exhiberet, perque eius adventum confirmaret promissiones Patribus factas, Rom. 15, 8.

Eius argumenta. Nempe ſicut librorum N.T. veritas exinde conſtat, quod auctores eorum, utpote oculati teſtes & certiſſimam rerum, quas recenſent, notiam habentes, vera ſcribere *potuerunt*, &, ut homines plebeii ac pii vitaeque inculpatae, & ſua ipſorum vitia ingenue indicantes, etiam *voluerunt*; ita divinitas eorundem facile his argumentis evincitur, quia 1. ipſi praecones, vera locuti, teſtantur ſe doctrinam ſuam habere a Deo, Ioh. 14, 26. & c. 16., 13. 2. dicuntur donati ſpiritu S. qui ipſos docuit omnem veritatem. 2. doctrinam ſuam variis miraculis confirmarunt. 3. ipſe doctrinae autor Ieſus Chriſtus ex mortuis reſuſcitatus & in coelum exaltatus fuit. 4. ipſa hiſtoria, ac doctrina eadem contenta, divinitatis ſuae ſufficiens eſt teſtimonium: hiſtoria enim continet admiranda opera, quae non tantum omnem vim humanam & naturalem, immo angelicam, ſuperant, ſed & quae nulli hominum in mentem venire potuiſſent. Doctrina conſtat eiusmodi praeceptis & promiſſis, quae non niſi Deum autorem habere poſſunt 5. ea eſt doctrinae efficacia, ut illa, paucorum & vilium hominum opera, per totum terrarum orbem, apud doctos aeque ac potentes, qui tamen ei adverſabantur, fuerit propagata. 6. Apoſtoli ſolicite & diſerte praecepta divina diſtinxerunt a ſententiis ſuis propriis, ut videre eſt 1. Cor. VII, 10. 12.

Vera ſcribere potuerunt, & voluerunt] Haec duo enim, ad veritatem alicuius ſcripti probandam, requiruntur.

Oculati teſtes] Nam Matthaeus unus fuit ex XII. Apoſtolis, qui ab initio cum domino Ieſu converſatus. Marcus & Lucas nihil fere ſingulare ſcribunt extra Matthaeum. Marcus porro fuit individuus comes Petri, & ex eius ore evangelium ſcripſiſſe creditur. Lucas evangelium conſcripturus, accurate omnia indagavit ex iis, qui ab initio cum Ieſu converſati erant, Luc. 1, 3. 4. Actorum vero apoſtolicorum hiſtoriam partim ex ipſis Apoſtolis cognoſcere potuit,

potuit, partim ei ipse interfuit. Paulus testatur, se evangelium accepisse non ab homine, sed ab ipso Deo, Gal. 1, 1. Et Eusebius testatur, Iohannem 3. Evangelistarum scripta legisse & approbasse. Autor Apocalypseos ipse quidem refert, revelationem sibi factam divinitus, sed de ea plenissime persuasus esse potuit, fuitque.

Plebeii] Nempe idiotae & piscatores, manuum labore victum tolerantes, qui, etiamsi voluissent, fabulam ita apte secum cohaerentem, & per omnia sibi respondentem, excogitare non potuissent. Fac autem, *astutiores fuisse*, quomodo sperare fuissent ausi, se tam putidum commentum toti mundo persuadere posse? Res enim scribebant, ea qua vivebant regione gestas coram oculis hominum innumerabilium, adhuc, dum haec scribebant, viventium, quorum consentientibus suffragiis, si mentiti fuissent, statim mendacii coargui potuissent; praeterea res, quarum Magistratus, sub cuius imperio vivebant, maxime intererat, ne verae crederentur: qui etiam gravissimarum poenarum interminatione, earum disseminationem prohibuit. Hic itaque facile, si verum non dixissent ac scripsissent, figmentum illud detexisset, ac instrumentis publicis falsitatem illius coarguisset.

Sua ipsorum vitia ingenue indicantes] Vt ambitionem & contentionem de primatu, credendi tarditatem, magistri sui desertionem, Petri abnegationem, Pauli & Barnabae contentionem. Vtique autem, si fallaciam intendissent, haec celassent & occultassent.

Pii] De quibus sane non credibile est, eos se aeternae damnationis reos voluisse reddere. Obi. *At condemnationis minus sciebant ficta esse.* R. Hoc non cadit in homines pios & honestae vitae studiosos. Ecquid infami isto commento spectassent? An emolumentum aliquod in hac vita? at nullum concipi potest. An honores & famam post mortem? at nihil nisi infamiam & dedecus ex tam infami mendacio polliceri sibi potuissent. An divitias, & corporis voluptates? At non tantum religio, quam annunciabant, eas abnegandas docet, sed & omnia contraria ipsis quotidie eveniebant: bonorum direptiones patiebantur, ut blasphemi traducebantur, & quaecunque tormenta, ac mortes tandem acerbissimas, sustinere coacti sunt. Neque haec praeter exspectationem eis obtigerunt,

gerunt, ſed ex genio doctrinae chriſtianae, & iuxta exemplum magiſtri ſui. Atqui in hominem ſani cerebri non cadit, ob falſam doctrinam, quamcunque crucem ſubire, praeſertim ſi mortem illius abnegatione redimere & avertere poteſt.

Reſuſcitatus & exaltatus fuit] Non enim permittit Dei ſanctitas & φιλανθρωπία, ut tam evidenti ſigno hominem impoſtorem illuſtrem reddat. Hinc Rom. I, 4. dicitur *demonſtratus filius Dei per reſurrectionem ex mortuis.*

Eiusmodi praeceptis & promiſſis] Nam praecepta ſunt ſanctiſſima, & tamen omnes homines, etiam Reges & Principes, obſtringunt. Requirunt etiam officia, quae vel rationi humanae videntur ridicula & ſtulta, ut fidem in Ieſum Chriſtum crucifixum; vel affectui naturali adverſa, ut tolerantiam crucis & mortis acerbiſſimae ob profeſſionem nominis Ieſu Chriſti. Promiſſa non ſunt huius, ſed futurae & aeternae vitae, & ad quam reſurrectione ex mortuis pervenitur. Haec omnia nec hominem autorem habere poſſunt, quia homo ſibi duram adeo, ac cupiditatibus carnalibus repugnantem religionem praeſcribere non poteſt; nec daemonem, quia religio eſt ſancta, & daemonis regno adverſa; nec angelum bonum, quia talis extra Deum, cuius legatus eſt, nihil poteſt. Relinquitur ergo, a Deo eſſe.

Praedictiones de Meſſia aliae negative, aliae affirmative concludunt.

Praeſuppoſita igitur librorum N. T.ti divinitate, probari & oſtendi poteſt, omnes veri Meſſiae conditiones, omniaque eius requiſita, in Ieſu nazareno deprehendi, ac proinde Iudaeos non habere ullam cauſam ſufficientem, cur eum reiiciant, nec pro Meſſia agnoſcant. Ea autem, quae de Meſſia praedicta ſunt, duplicis ſunt generis: alia enim negative concludunt, oſtenduntque, eum, in quo illa deſiderantur, non eſſe Meſſiam, e. g. quae reſpiciunt externas quaſdam circumſtantias, ut tempus, & locum nativitatis, familiam, parentes; alia affirmative, ac demonſtrant, eum, in quo haec reperiuntur, eſſe Meſſiam. Talia ſunt, quae officium ipſius concernunt, ut doctrina & miracula

cula, mors, reſurrectio, adſcenſio in coelum, & denique praedicatio doctrinae per totum terrarum orbem.

Negative concludunt] Talia non protinus oſtendunt, eum, cui competunt, eſſe Meſſiam, quoniam ei cum aliis ſunt communia.
Affirmative] Talia ipſum eſſe rei, ſive officium Meſſiae ſpectant, & ſoli Meſſiae propria ſunt, neque ulli praeter Meſſiam conveniunt.

Et I. quidem, quod ad tempus adventus Meſſiae attinet, Meſſias venire debuit ante politiae Iudaicae everſionem, ceu conſtat ex vaticinio Iacobi Gen. 49. 10. *Non auferetur ſceptrum de Iuda, & legislator de femore eius*, (ſeu ſemine. Deut. 28. 57.) *donec veniat Schilo, & illi erit aggregatio gentium.* לא־יסור שבט מיהודה ומחקק מבין רגליו עד כי יבא שילה ולו יקהת עמים : LXX. οὐκ ἐκλείψει ἄρχων ἐξ Ἰούδα, καὶ ἡγούμενος ἐκ τῶν μηρῶν αὐτοῦ, ἕως ἂν ἔλθῃ τὰ ἀποκείμενα αὐτῷ (al. ᾧ ἀπόκειται), καὶ αὐτὸς προσδοκία ἐθνῶν. Onkelos: *Non auferetur, qui facit poteſtatem de domo Iehuda, & ſcriba de filiis filiorum eius, usque in ſeculum, donec veniat Meſſias, cuius eſt regnum: & ei obedient populi.* In quibus verbis tria praedicantur, 1. ſceptrum Iudae dandum, 2. adventus Schilo, 3. illius adventus tempus, antequam videlicet ſceptrum a Iuda ablatum ſit. Primum impletum eſt, cum poſt mortem Salomonis, X. tribubus a filio eius Rehabeamo divulſis, regnum Iudae erectum fuit. Tunc enim Iudae ſceptrum datum, cum antea ſceptrum eſſet penes Iſraëlem ſeu XII. tribus. Voce *Schilo* denotatur Meſſias, ſive vox illa derivetur a שלח *miſit*, & ſignificet eum, *qui mittendus eſt*; (quamvis haec derivatio longius ſit petita, nec firmum habeat fundamentum, agnoſcente id Fagio in h. l.) ſive a שלה *tranquillus fuit*, & reddatur per *pacificatorem*, *ſalvatorem*, *felicem*; ſive a שליה *ſecundina*, unde שיל *filius*, ut ſit *filius*

Meſſias venire debuit ante politiae iud. everſionem.

ipſius,

ipſius, ſcil Iudae, & quidem (ut nonnullis deducere placet, non vero item Fagio) ex muliere tantum, ſine concurſu viri, naſciturus. Vide Buxtorf. Lex. Ebr. in rad. שלה Idque clarius arguunt verba ſequentia: *Et erit ei aggregatio gentium:* ſpontanea enim populorum ſubmiſſio & obedientia, genuinum eſt Meſſiae ſignum, iuxta vaticinia Eſa. 11. 10. c. 49, 6. & Mich. 7, 12. prout ipſi fatentur Iudaei. Tertium itidem impletum eſt: Quamvis enim in captivitatem abducta fuerit tribus Iudae, in ipſa tamen captivitate per αἰχμαλωτάρχας remanſit ſpecies quaedam principatus, & poſtea ſceptrum ei fuit redditum, adeo ut ſceptrum a Iuda tum demum fuerit ablatum, cum resp. iudaica deſiit: quod quidem factum, cum Romani urbem hieroſolymitanam everterunt, & templum ſolo aequarunt.

Non auferetur de Iuda] Sic Zach. 10. 11. dicitur: καὶ σκῆπτρον αἰγύπτου περιαιρεθήσεται. *Et ſceptrum Aegypti auferetur.*

Tempus adventus Meſſiae] Nimirum Deus decrevit certam temporis periodum, intra quam Meſſias venire debuit; eaque eſt duratio politiae & templi iudaici, cultusque ceremonialis illi annexi. Enimvero Deus elegit certum populum ex Abrahamo oriundum, ex cuius proſapia Meſſiam voluit naſci. Populum hunc variis ritibus ac inſtitutis ab aliis omnibus populis voluit diſcretum, & diſcrimen hoc durare usque ad Meſſiae adventum, perque Meſſiam gentes in unum colligere. Adveniente igitur Meſſia, & completis in eo omnibus, quae in lege inſtituta fuerant, haec ipſa, ut typi & umbra, praeſente iam corpore, evaneſcere & ceſſare debuerunt. Ritus illi alligati erant templo hieroſolymitano, in quo etiam ſacrificia offerre oportebat. Ritibus ergo illis finem imponere volens Deus, remp. & templum, cui ritus illi alligati erant, exſcidit, & ſic populorum diſcrimen abolevit. Certiſſimum igitur ſignum eſt, tempus Meſſiae adventui deſtinatum effluxiſſe, quoniam resp. iudaica eſt everſa, templum deſtructum, & cum eo ſacerdotium leviticum, totusque cultus ceremonialis templo annexus deſiit.

Cum

Cum antea sceptrum esset penes Israëlem seu XII. tribus] Nam etiamsi praecipua inter tribus fuerit Iuda, regnumque Israëlis Davidi, ex tribu Iudae oriundo, commissum; non tamen Iudae sceptrum fuit datum, nisi cum tribus Iudae regnum habuit speciale, a reliquis X. tribubus, quarum *regnum* vocatur *Israëlis*, distinctum.

Iudaei excipiunt 1. verba Iacobi etiam sic posse reddi: Non auferetur sceptrum a Iuda, & legislator de femore eius, *in aeternum, quia* veniet Schilo. 2. per שבט designari *virgam*, non imperii, sed *castigationis*, ut Esa. 10. 5. & Ps. 2, 9. & per מחקק non legislatorem, sed *exactorem*, adeoque non regnum Iudae praedici, sed *afflictiones & calamitates* non prius cessaturas, quam Messias venerit. 3. populo iudaico non semper praefuisse reges principesque ex tribu Iudae, sed & aliquando ex tribu Levi, & nonnunquam pontifices. Resp. ad 1. Textus hebraeus explicationem istam non admittit. Vid. Fagius in h.l. Neque ullo modo verisimile est, Iacobum praedicere aeternum regnum tribui Iudae post Messiam demum erigendum, cum scriptura asserat, in Davide & post Davidem, Deum Iudae regnum erexisse, 2. Chrón. 23, 3. & Ps. 89, 34, 35. 36. Ad 2. Vox שבט simpliciter prolata virgam castigationis non significat, sed vel *baculum*, qui nascitur ex arbore, vel *baculum regium*, seu potestatis regiae insigne, quod *sceptrum* nuncupamus, quodque, licet postea argenteum fuerit, initio tamen fuit ex ligno. Significatio autem *virgae castigationis*, textus circumstantiis repugnat, quia 1. iuxta hanc explicationem tribui Iudae nulla praedicitur benedictio, ut caeteris tribubus, sed afflictio. Rectius autem de reliquis tribubus hoc diceretur, quippe quae in Assyriam deportatae sunt sine ulla spe reditus, cum Iuda post 70. annorum captivitatem e Babylonia redierit. 2 Tribus Iudae ante tempora Davidis aequali in statu fuit cum reliquis tribubus, & post eius tempora regnum gessit per annos plus quingentos, atque in captivitate babylonica speciem regni habuit in αἰχμαλωτάρχαις suis, & post captivitatem illam reversa est in patriam, denuoque sceptrum obtinuit: tantum abest, ut a tempore vaticinii iacobaei virga castigationis a Iuda non fuerit ablata. 3. Interpretationi isti iudaicae recentiori repugnant verba sequentia *& legislator* seu scriba *de medio*

dio pedum eius : quid enim legislatori aut legis interpreti cum ista virga seu castigatione? Ad 3. Nihilominus semper mansit resp. iudaica, sceptrumque, quod gerebant, erat sceptrum Iudae: illi enim a Iuda potestatem habuerunt, non Iuda ab ipsis: rex quippe est propter remp. non resp. propter regem; adeo, ut licet stirps regia deficiat, sceptrumque ad aliam stirpem devolvatur, non deficiat tamen resp. Itaque sceptrum tum demum a Iuda fuit ablatum, cum resp. iudaica desiit.

Adhuc leviores sunt seqq. exceptiones: 1. *Sceptrum iudaicum hodienum durare, & quidem in Babylonia.* 2. שבט h. l. idem esse ac primatum, seu גדולה *magnificentiam, dignitatem, praestantiam ac praelaturam*, & hanc praedici duraturam, usque ad tempus Davidis, ubi *fit mutanda* in מלכות seu dignitatem regiam. 3. *Schiloh esse nomen loci*, & sensum esse, donec veniat finis Schilo, sive devastetur & pereat: idque impletum, quando arca Domini reducta a Philistaeis, non reposita fuit in Silo, qui locus fuit in tribu Ephraim, & Ioseph, sed in tribu Iudae. 4. *Per Schilo intelligendum regem Saulem*, hoc sensu, donec veniat rex Saul, ungendus in Silo, vel 5. *Hieroboamum*, coronatum in Silo. vel 6. Nabuchodonosarē, qui propter peccata populi, ad totius terrae illius perditionem, regnique ablationem, a Deo missus fuit. 7. *Messiam, secundum Christianorum sententiam, quadringentis ante destructionem secundi templi annis venire debuisse.* Nam 1. illud est impudens mendacium. 2. prophetia Iacobi non loquitur de alternatione, sed de ablatione regiminis. 3. ista ratione nihil decessisset tribui Iudae, sed potius ei aliquid accessisset. 4. Saul non in Silo, sed in Ciriathiarim unctus fuit. 5. Conspiratio illa X. tribuum non in Silo, sed in Sichem facta fuit, ut colligitur ex 1. Reg. 12, 1. Deinde non fuit tunc regnum a domo Iudae amotum, sed in ea mansit per haereditariam successionem. 6. Per captivitatem babylonicam sceptrum seu regimen de domo Iudae non penitus fuit ablatum, ut agnoscunt tria targumim, & omnes veteres Hebraei. 7. Supponitur, sceptrum iudaicum omnino defecisse per babylonicam captivitatem: quod tamen falsum est. Fag. in Gen. 49, 10.

Ante templi secundi excidium.

II. Messias venire debuit *ante templi secundi excidium*, iuxta vaticinium Haggaei c. 2, 6. 7. 8. 9. & Mal. 3, 1. Nam in

in priore dicitur, quod Deus templum a Zorobabele constructum, impleturus esset gloria, & quidem maiore, quam prius templum a Salomone aedificatum, quia in illud templum *desiderium omnium gentium*, sive omnibus gentibus desideratus, qui & Mal. c. 3, 1. *dominator* dicitur, venturus, & Deus in illo templo pacem daturus esset. Id quod per Messiae adventum praestitit. Gloria autem templi secundi maior non in externo ornatu quaerenda est, sed in interno ac donis spiritualibus: qui ornatus est verus & genuinus templi, seu domi, in qua Deus habitat.

Non in externo ornatu] Eius enim nullam se habere rationem, testatur hic loci Deus his verbis: *Meum est argentum, & meum est aurum.* Deinde templum secundum, cum priore quoad ornatum minime est comparandum: nam Salomo ingentes thesauros in illius aedificationem impendit, eiusque vasa erant aurea, secundi vero templi aenea tantum. In priore templo praeterea fuerunt urim & thummim, arca foederis, ignis, qui e coelo descendit, divinitas, ac spiritus prophetiae. Nihil horum in secundo templo. Sola ergo gloria, qua templum secundum superavit primum, est praesentia Messiae, qui omnibus hisce donis maior est, utpote eorum complementum, illis tanquam umbris & typis praefiguratum.

III. Apud Danielem c. 9, 24. 27. *certus temporis articulus* praefigitur adventui Messiae. Vbi non opus est, accurate investigare hebdomadarum illarum initium & finem, sed hoc sufficit indicari, ante finem prophetiae & sacrificiorum, & urbis ac templi destructionem, Messiam venturum, ac proinde constare, ante eorum finem, LXX. hebdomadas effluxisse. Eum vero, cuius adventus & mors hic praedicitur, esse Messiam, ipsa Messiae appellatio evincit. *Certo tempore.*

Hebdomadum illarum] Quarum singulae denotant VII. annos, ut Lev. 25, 8.

Excipiunt Iudaei 1. At *Messias h. l. non vocatur* מלך *rex*, quod

tamen nomen ordinarie solet tribui Messiae illi magno. 2. Per *Messiam* potest intelligi Cyrus, vel summus sacerdos Iehosua, vel Nehemias, vel Darius: nam Messiae epitheton etiam aliis in scriptura attribuitur, ut Sauli regi, 1. Sam. 24, 7. & 26, 23. Davidi, Ps. 2, 2. & Ps. 89, 39. Cyro, Es. 45. 1. Iosiae sive Sedeciae, Lament. Ier. 4, 20. 3. Per *Messiam ducem* alius significatur, quam per *Messiam* simpliciter ita nominatum. 4. *Deus adventum Messiae, propter populi peccata, ultra tempus a se definitum distulit.* R. ad 1. Voces מלך *rex* & נגיד dux, sive antecessor, inter se permutantur, ceu patet ex 2. Sam. 7, 8. 1. Reg. 14, 6. & 1. Reg. 1, 35. Ad 2. Dissensus iste interpretationis, indicium est malae causae. Deinde omnes illi longe ante harum expirationem hebdomadarum mortui sunt. Deniq; si alii cuidam vocabulum *Messiae* tributum, tunc semper manifesta est relatio ad eum, cuius in antecedentibus vel consequentibus, aliis verbis aut alio nomine fit mentio: sed heic absolute & per excellentiam vocatur Messias, & nec in antecedentibus, nec in consequentibus ulla alterius fit mentio, ad quem hanc denominationem respicere dici possit. Ad 3. Orationis connexio non interrupta, & eadem Messiae appellatio, de uno & eodem sermonem continuari docet. Quod si excipere velint, & dicere: Vnicuique diversum temporis intervallum tribui; unum dici compariturum post septem, alterum exscindendum post 62. hebdomadas, & punctum esse ponendum post vocem *septem*: respondemus, hoc ex textu probari non posse, sed commodius textum legi & explicari, ut uterque numerus in unum coniungatur, ita ut ab egressu verbi usque ad Messiam elapsurae dicantur hebdomadae septem, & sexaginta duae: quibus si iungatur hebdomas una, cuius mentio fit ℣. 27. ecce prodeunt 70. hebdomades, quas angelus dicit super populum definitas esse. Neque etiam alibi Prophetae numerum integrum non secant in particulas, ut Ezech. 45, 12. Et quis est iste Messias, si secundum Iudaeorum mentem textus ita esset distinguendus? Ad 4. Vanum id est effugium, quia omnia promissa de Messia sunt absoluta, nulla addita conditione. Et in loco nostro Danielis expresse dicitur, *LXX. hebdomadas esse decisas*, h. e. certo & immutabili decreto praefixas adventui Messiae. Immo praedicitur Messias tempore corruptissi-

mo

mo adventurus, & quidem ut populum suum reducat ad Deum, Ier. 31, 31.33. Zach. 13, 1. 2. Et dicant Iudaei, quaenam illa scelera sint, propter quae Deus adventum Messiae differt. Ex cap. 30. Deut. constat, Deum gravissime peccantibus, modo resipiscant, veniam daturum esse. Eccur eam illis denegaret, si iure Iesum nazarenum reiicerent, sibique soli legem & gloriam Dei assererent? At vero crimen eorum, Deo adeo exosum, nullum est aliud, quam reiectio Messiae, quem Deus olim definito tempore ad liberationem eorum misit, ipsi autem ut blasphemum & maleficum cruci affixerunt. Eoque magis infidelitatis & contumaciae convincuntur, quia Iesus tempore praedicto apparuit, seque Messiam esse & affirmavit & maximis signis ac miraculis demonstravit, nemoque alius circa illud tempus apparuit, qui se cum signis adeo conspicuis, aut saltem aliqua cum specie, pro Messia venditaverit.

IV. Locus nativitatis debebat esse Bethlehem, iuxta praedictionem Michae c. 5. 1. vel 2. *At tu Bethlehem Ephrata parvula ut sis in millibus Iudae, ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israël &c.* Vbi sane locus Messiae designatur; ideo enim Bethlehem, parvà licet, magnis Iudae civitatibus praefertur, quia dominator in Israël, h. e. Messias, ex ipsa esset proditurus. Et quamvis Iudaei excipiant, 1. ideo Bethlehem numerari inter millia seu principes Iudae, *quia ex ipsa ortus est David*, ex cuius semine Messias esset nasciturus. 2. verba haec respicere *Zorobabelem, aliumve populi ex captivitate liberatorem*, respondemus tamen ad 1. Iudaei patrum suorum interpretationem hac ratione reiiciunt: nam primarii sacerdotes & scribae populi percontanti Herodi, ubi Christus nasciturus esset? responderunt, Bethlehemi; & hunc Michae locum ad assertum suum probandum attulerunt, teste Matthaeo c. 2. 5. Neq; verba prophetae illam recentiorum admittunt apellarum explicationem: nam si ad Davidem respiceretur, dicendum fuisset, *ex te mihi egressus est*, non autem, *Ex Bethlehem.*

egre-

egredietur. Ad 2. Verba prophetae non nisi ſenſu imperfecto Zorobabeli applicentur: praedicitur enim proprie natiuitas Bethlehemi futura, & quidem ducis plane eximii, ob cuius ex ſe originem Bethlehem digna ſit, quae inter praeſtantisſimas Iudae ciuitates numeretur, immo ducis ipſo Dauide praeſtantioris, quandoquidem hoc dicitur de Bethlehem, etiam poſtquam Dauid inde ortus fuit. At vero Zorobabel nec Bethlehemi natus fuit, & Dauide multo inferior fuit. Licet igitur ſenſu literali & imperfecto de alio hic ſermo eſſet, myſtico tamen & perfecto ſenſu Mesſiae natalis praedicitur.

Bethlehem Ephrata] Bethlehem haec cognominatur *Ephrata*, ad differentiam alterius Bethlehemae, quae erat in tribu Zabulon. *Ephratha* autem haec Bethlehem appellabatur ab uxore Calebi, cuius mentio eſt 1. Chron. 2, 19.

Paruula ut ſis] Alii legunt per interrogationem, *an paruula es*? i. e. minime es parua, ſcilicet ob natiuitatem Meſſiae. At prior tamen illa interpretatio videtur eſſe melior. Et ponitur צעיר in maſcul. Vt inde appareat, nomina urbium non ſemper eſſe generis foeminini. Sic & אתה hic uſurpatur.

In millibus Iudae] Inter chiliarchias Iudae, ſiue inter urbes, quae 1000. viros belli poſſunt ſuppeditare, quibus praefigitur chiliarchus

Prodibit ſiue egredietur] Id eſt, naſcetur. Vt Gen. 15. 4. 17. 6. 25. 25.

Dominator] Id eſt, Mesſias, iuxta Chaldaei paraphraſtae & R. Salomonis Iarchi interpretationem.

Cuius exortus a quondam, a diebus ſeculi] Quod communiter exponunt de natiuitate aeterna. Chaldaeus: *Cuius nomen ac dignitas ordinata eſt ab antiquo & a diebus mundi.* Aquilouicanus in paraphr. Prophet. *Qui genus ſuum ducet a primis & antiquis regibus.* H. Grotius in h. l. *Qui originem trahit a domo illuſtri antiquitus, & per quingentos annos regnatrice.*

V. Meſ-

V. Messias descensurus erat ex familia Davidis, uti praedictum est 2. Sam. 7, 12. 13. 14. Quae verba licet quoad literalem sensum respiciant Salomonem, mystico tamen Messiam designant, nec in Salomone complementum habuerunt; non enim in sempiternum thrònus eius stabilitus fuit, ut heic dicitur in vers. 13. & Ps. 89, 30. Huc etiam pertinent dicta Ier. 23, 5. 6. & Es. 11, 1. 2. Quae etsi a quibusdam intelliguntur, prius quidem de Zorobabele, posterius de Ezechia, sensu tamen pleno & mystico Messiam denotant, quia non nisi imperfecte & dilute duabus praedictis personis tribui & applicari possunt. Hinc & Ezech. 34, 23. 24. & c. 37, 24. 25. expresse *David* nominatur, frequentissimumque est Iudaeis, Messiam vocare *semen Davidis*. Impletum autem hoc esse in Iesu, patet ex genealogia eius Matth. 1. & Luc. 3. Quae si Iosephi duntaxat est, tamen ad Iesum spectat, quoniam mater eius, iure connubii, utpote Iosepho desponsata, iam transierat in familiam Iosephi. Neque etiam incredibile est, Mariam eiusdem fuisse familiae. Et quamvis non omnes difficultates circa genealogiam Christi explicari & removeri possent, cogitandum tamen est, nullam de ea Christi tempore motam esse controversiam, adeo ut autor ep. ad Hebr. c. 7, 14. libere potuerit scribere, non tantum *δῆλον*, *manifestum*, sed *πρόδηλον palam esse*, Iesum e Iuda esse exortum. *Ex familia Davidis.*

Iam transierat in familiam Iosephi] Nam foemina proprie non habet familiam, nec stirpem facit. Itaque si obiicitur, *Iesum non fuisse proprie semen Davidis*, respondetur: Id aliter fieri non potuit, quia ex virgine nasciturus erat. Ea autem proprie non habet familiam, nec stirpem facit.

VI. Mater Messiae debuit esse virgo, ceu praedictum est Esa. 7, 14. *Ecce, virgo concipiet, & pariet filium, & vocabunt* *Ex matre virgine.*

cabunt nomen eius Immanuel. Quae prophetia si prophetae Esaiae temporibus aliqua ratione completa fuit, cum puella aliqua, tunc, cum Esaias haec verba proferret, adhuc virgo, & fortasse regi praesens, atque a propheta Esaia digito monstrata, postea marito, & forte Esaiae ipsi nupta, (vide cap. 8, 3.) filium peperit, qui pignus esset liberationis Iudaeorum e manibus regum Syriae & Israëlis; fatendum tamen est, multo augustiorem & sublimiorem sensum, qui in solo Messia complementum suum habuit, illis verbis contineri, & quidem sequentes ob rationes: 1. Quae paritura dicitur, expresse nominatur *virgo* עַלְמָה, & quidem cum ה emphatico. Illa autem voce hebraea designatur puella, cui integra est virginitas, ceu patet ex Gen. 24, 43. Ex. 2. 8. Ps. 68, 26. Cant. 1, 3. 6, 6. vel 7. Immo etiam Prov. 30, 18. Et sicut virgo dicitur *parere*, quae absque viri opera concipit & parit, ita phrasin istam minime usurpare licet de ea puella, quae post nuptias concipit & parit. 2. Infantis huius nativitas *signum* vocatur, & quidem insigne & illustre, Deoque, qui eo Achazum convincere volebat, conveniens. Tale autem non est nativitas infantis ex puella, marito in matrimonium tradita, sed ex virgine illibata. 3. Nomen infantis dicitur esse *Immanuel*, i. e. ipse infans futurus esse Immanuel, eadem loquendi ratione, quae reperitur Esa. 1, 26. 9, 5. vel 6. 56, 7. 62, 4. seu, ut scholae loquuntur, θεάνθρωπος, pariterque procuraturus & effecturus, ut Deus favore & auxilio suo nos prosequatur. Conf. Ioh. 1, 5. Ps. 23, 4. Ier. 1, 8. Act 18, 10. Hoc autem non nisi tenuiter infanti illi applicari potest, qui ipse Dei favorem non procuravit, sed cuius nativitas tantummodo signum fuit favoris divini. Adde, quod beneficium, favore Dei tunc obtentum, non adeo fuerit eximium & constans, quoniam pax illa brevi exspiravit, nec diu post

H secuta

secuta est populi captivitas. Relinquitur ergo, aliud hic significari beneficium, in quo prophetia haec, iuxta plenam verborum, quibus expressa est, significationem, complementum suum habuit, cuiusque prius illud beneficium saltem umbra & typus fuit. Et illud quidem est nativitas domini nostri I. Christi, qui ex matre virgine natus est, cuiusque nativitas signum fuit maxime eximium & illustre, & cui nullum par antea contigerat, & qui verus fuit Immanuel, nobisque aeternum Dei favorem, vitamque immortalem promeruit.

Aliud hic significari beneficium] Nempe *virgo* illa tempore Esaiae, typus fuit virginis matris: *infans* istius puellae, quem post nuptias peperit, typus I. Christi, quem Maria virgo enixa est: & *liberatio*, cuius infans ille signum fuit, typus liberationis nostrae spiritualis, quam Iesus Christus nobis procuravit, atque ita plenissime Deum nobis propitium reddidit. Vide Grotium in h. l. & in Matth. I. 22.

Hactenus attulimus argumenta, quae negative concludunt de Messia. Sequuntur iam illa, quae affirmative concludunt, & Messiam vere ostendunt, adeo ut, in quocunque reperiantur, ille verus ac unicus sit Messias, quia illi soli peculiaria sunt. Talia sunt, in quibus triplex eius officium, praecipuaeque eorum functiones a Prophetis fuere praedictae. Nempe extat praedictio prophetica I. de officio prophetico, Deut. 18, 15. & 18. Vbi quidem Iudaei negant esse sermonem de Messia, sed Deum duntaxat promittere, se non relicturum populum absque prophetis, sed modo hunc, modo illum missurum, qui ipsos ratione Dei alloquerentur. Idque probant ex antecedentibus & seqq. nec non ex signo, unde verus propheta dignosci queat. Verum respondemus: Esto, sic accipi posse haec verba; atta-

Praedictiones negative concludentes, de Messiae Officio prophetico.

men ſenſu myſtico Meſſiam deſignant, atque hoc ſenſu ab Apoſtolis Act. 3, 22. & c. 7, 37. rectisſime domino Ieſu applicata ſunt. Nam Deus verbis illis promittit, ſe certo quodam a ſe definito tempore ipſis miſſurum prophetam Moſi ſimilem, ita tamen, ut interim plures ad ipſos miſſurus ſit prophetas, quibus auſcultare debeant: loquitur enim de *uno*, non de pluribus prophetis. Deinde dicit, *ſuſcitabo*, ut innuat unius eximii prophetae certo tempore faciendam ſuſcitationem. Denique addit, *ſicut te*. At vero a tempore Moſis usque ad adventum Chriſti, nullus apparuit propheta ſimilis Moſi, qui videlicet eſſet mediator & legislator, ut Moſes; ſed quicunque fuerunt prophetae, legem moſaicam duntaxat expoſuerunt, populumq; ad eius obſervationem hortati ſunt, & transgreſſores corripuerunt. Hinc Deut. 34, 10. dicitur: *Non ſurrexit ultra propheta in Iſraël, ſicut Moſes*. At Ieſus nazarenus & mediator fuit & legislator, immo maior & mediator & legislator ipſo Moſe, quoniam mediator fuit non tantum interceſſionis, ſed etiam redemtionis, & legem ſupereminentem tulit, annunciando perfectiſſimam Dei voluntatē, iuxta locum praeſentem & Eſ. 11, 2. 42, 1. 61, 1. 2. 3. & quidem modo perfectiſſimo, h. e. animo miti ac ſerio, Eſ. 42, 2. 3. 4. atq; eiusmodi tradidit doctrinam, quae ſe ad omnes totius orbis populos extendit, Eſ. 42, 1. & c. 49, 6.

Idque probant ex antecedentibus] Quibus continetur occaſio, qua verba haec prolata ſunt, videlicet ne conſulant incantatores, pythones, ariolos &c. ſed auſcultent prophetae, quem Deus ipſis miſſurus ſit. *Et ſequentibus*] Videlicet verſ. 20.

Et legislator] Sano ſenſu ſic dici poſſe, oſtendi in Amoenit. theol. p. 471.

Miraculis. II. De Miraculis Meſſiae: fallor enim, an illa probari poſſunt ex loco Deut. 18. modo tractato! alias enim Moſe, qui

qui miraculis inclaruit, longe inferior videatur. Quid? quod illud Esa. 35, 5.6. etiamsi figurate & hyperbolice dictum videri queat, huic negotio applicari possit, cum Iesus noster, quoties visum est, ea, quae effato isto continentur, praestiterit in corporibus, & in animis suorum quotidie praestet. Quanquam necesse non est, extare de miraculis Christi vaticinia, cum illa per se sola sufficiant ad comprobandam missionem divinam. Et interim in confesso erat apud Iudaeos, Messiam miracula facturum, ceu patet ex Ioh. 7, 31.

III. De Sacerdotio eius, Ps. 110, 4. אתה־כהן לעולם על־ *Sacerdotio.*
דברתי מלכי־צדק *Tu es sacerdos in aeternum, secundum ordinem Melchisedec.* Quae verba indicant, eum simul fore sacerdotem & regem: utroq; enim isto munere fungebatur Melchisedec, iuxta Gen 14, 18. Nec iuvat excipere 1. *Psalmum hunc non a Davide conscriptum in honorem Messiae, sed ab alio in honorem Davidis*, adeoq; non spectare ad Messiam. 2. Vocem כהן non vertendam esse *sacerdos*, sed *princeps*: quo significatu etiam adhibeatur Gen. 41, 45. Ex. 2, 16. 3, 1. & inprimis 2. Sam. 8, 18. vel 9, 4. & c. 20, 26. nam respondetur ad 1. Psalmum hunc a Davide consignatum esse, indicat inscriptio מזמור לדוד, quippe quam omnes a Davide conscripti psalmi prae se ferunt. Neque a Iudaeis olim dubitatum fuit, hunc esse Davidis psalmum, ceu patet ex responso Pharisaeorum & obiectione Christi, Matth. 22, 42. 43. Non enim illi necesse habuissent tacere, sed dicere potuissent, haec verba non a Davide de Messia, sed a subditorum aliquo Davidis de Davide ipso esse prolata. Et si Iudaeis concederem, quod urgent, videlicet sermonem esse in hoc psalmo de Davide, ipsis tamen nec hoc etiam negandum est, sensu mystico & perfectiori ea spectare ad Messiam, quandoquidem tam augusta & magnifica in eo dicuntur, quae in Davide, si

verba proprie accipiantur, neutiquam impleta sunt: non enim David *ad dextram Dei sedit.* Ad 2. Concedimus, vocem כהן habere significationem *principis*: sed ordinarie denotat *sacerdotem.* In psalmo autem nostro non potest significare principem, quia is, de quo adhibetur, dicitur esse כהן *secundum ordinem Melchisedech;* hic autem vocatur *Rex Salem*, & כהן *Dei altissimi*, Gen. 14, 18. 19. Iam si כהן velles reddere per *princeps*, tunc tautologice diceretur, quod sit & rex & princeps. Neque est, quod obvertant Iudaei: Immo si vertendum est *sacerdos*, quomodo Davidi, tanquam Christi typo, applicari poterit? Nam non necesse est, ut omnia, quae sub typo de Messia praedicuntur, typo applicari possint. Sicut enim prophetae nonnunquam, relicta significatione mystica, quaedam addunt, quae ipsum typum solummodo, non autem quatenus Messiae typum, respiciunt, ac in Messiam nullatenus quadrant; ita quandoque, typo relicto, directe ipsum Messiam delineant, adhibentque verba, quae nulli nisi Messiae adhiberi possunt.

Secundum ordinem Melchisedec] Id est, secundum ductum vel rationem Melchisedeci. Aben Esra exponit על־מנהג *secundum morem vel consuetudinem.* Autor epist. ad Hebr c. 5. 6. reddit: κατὰ τὴν τάξιν *secundum ordinem.* & c. 7. 15. κατὰ τὴν ὁμοιότητα, *secundum similitudinem.*

Morte propter hominum peccata.

IV. De Morte eius propter hominum peccata, Es. 53. Vbi non tantum dicitur, quod *ei non fuerit species & decor*, quod *fuerit despectus, novissimus virorum, vir dolorum*, sed quod omnia haec, victimae piacularis instar, *pro peccatis nostris tulerit*, quod *languores nostros ipse tulerit*, quod *vulneratus sit propter iniquitates nostras*, quod *Dominus omnium iniquitatem in eo posuerit*, quod *animam suam posuerit* אשם, i.e *sacrificium pro peccato.* In promtu quidem Iudaei habent exceptionem, non

non hic fermonem effe de Meffia, fed alio quodam. Verum quisnam ille? Immo quoniam caput hoc cum praecedente connectitur, de eodem fine dubio *fervo Domini*, feu Meffia, cuius praecedens caput verf. 1. meminit, fermo eft. Si dicant, per *fervum* illum *Domini*, intelligendum *populum ifraëliticum*, in gravi ac diuturna fua captivitate & exitio valde afflictum, & ex afflictione fua mox liberandum: prophetam vero a ℣. 1. usque ad 11. huius capitis, non ex fua, fed aliena, Regum videl. gentilium, perfona, loqui de populo integro, tanquam de uno homine aut fervo, aeque ut Efa. 41, 8. Ier 30, 10. Pf. 136. 22. refpondendum eft: Haec explicatio eft dura & contorta, & a recentioribus demum Iudaeis conficta: nam quomodo populo Ifraëlis applicari poteft, quod dicitur ℣. 9. de fervo Domini, *eum iniquitatem non feciffe, nec inventum effe dolum in ore eius?* quod infons, *propter aliorum peccata paffus fit, animamque fuam hoftiam pro peccato pofuerit?* An haec conveniunt populo peccatis pleno, & ob fua ipfius peccata graviter, at iufte a Deo punito? Sed pfalmis, nempe 22. & 69. nec non Dan. 9, 26. paffio & mors Chrifti praedicta legitur, & in pfalmis quidem illis variae paffionis Chrifti circumftantiae fub Davidis typo praedicuntur, quae omnes in Davide imperfecte admodum impletae funt, & non nifi figurate, ut quod *manus & pedes eius fuerint perforati*, quod *aceto & felle fuerit potatus*, &c. perfecte autem & plene in Chrifto complementum fuum habuerunt.

De morte eius, Ef. 53.] Non typice (fub Ieremia, qui in carcerem coniectus, & in locum coenofum demiffus, quafi e terra viventium abfciffus eft: nam durum eft, phrafin, *abfciffus eft e terra viventium*, interpretari de carcere, & *attritus eft propter noftram culpam*, de fententia iniqua circa Ieremiam, eiusque crudeli tractatione) fed directe.

V. (De

Regno coelesti. V. De Regno eius coelesti, quia locis cit. praedicitur *a populo suo reiiciendus, affligendus & occidendus*: quae cum regno terreno minime possunt conciliari. Iudaei quidem ad praedictiones hasce respicientes, easque cum regni natura, quam sibi fingunt, conciliare non valentes, duos sibi Christos commenti sunt, unum, *filium Iudae*, gloriosum ac triumphatorem; alterum, *filium Iosephi*, miserum, infelicem & occidendum. Sed facile haec possunt conciliari, si agnoscamus regnum Messiae coeleste & spirituale, mortemq; eius consideremus, ut revera fuit, gradum ac viam perveniendi ad regnum, sicut ipse Iesus ait Luc. 24, 25. 26. Prophetae enim praedixerunt, mortem ac passionem gloriam eius praecessuras.

Resurrectione ex morte. VI. De Resurrectione ex morte, primo in illis locis, ubi gloriosissimum, amplissimum & aeternum Messiae regnum praedicitur, ut 2. Sam. 7. 12-15. 1 Reg. 8, 25. Ps. 89. 29. 30. 36-38. Ps. 132, 11. quia enim Prophetae eum multa passurum ac moriturum ajunt, necesse est, e mortuis resurgeret, quo ad regnum isthoc perveniret: deinde Ps. 16, 10. *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis, sanctum tuum videre corruptionem.* Verba haec, si proprie, prout sonant, accipiantur, prædicunt, eum, de quo loquuntur, in sepulcro non corrumpendum esse. Quod in Davidem non quadrat, sed Iesum nazarenum, quem Deus ex mortuis suscitavit die tertio, & antequam corpus eius putresceret. Vnde Petrus Act. 2, 25. & Paulus c. 13, 36. 37. contra Iudaeos probant, ea in Davide non esse impleta, h. e. perfectum suum complementum, iuxta genuinam & propriam verborum significationem, ultimamque Dei intentionem, non habuisse: quamvis negari nequeat, imperfecte ea respicere Davidem, ut typum Christi, in quantum Deus ipsum ab

ab insidiis & violentia Saulis liberavit; atque ita aliquatenus dici potest, *non esse relictum*, ne scilicet occideretur, & in sepulcro post illam occisionem computresceret.

VII. De Ascensione eius in coelum, & sessione ad dextram Dei patris, Ps. 68,19. *Ascendisti in altum, cepisti captivitatem, dona dedisti hominibus.* Quod licet figurata oratione de Deo dictum sit, qui illustribus de populi sui hostibus victoriis reportatis, gloriosum se ostendit, non secus ac si triumphans in coelum ascenderit; proprie tamen & secundum literam in domino Iesu impletum fuit, quando ille triumphum agens de hostibus suis spiritualibus, revera in coelum ascendit: unde etiam ascensioni eius haec verba psalmi applicantur ab apostolo Paulo Eph. 4, 8. Huc etiam referendum est dictum Psalmi 110, 1. Quod sane ascensionem eius in coelum manifeste praedixit: non enim ad dextram Dei sedere, summumque in omnia imperium exercere potest, quin in coelum ascenderet, atque in throno Dei considerет. *Ascensione in coelum, & sessione ad dextram Dei.*

IIX. Denique de omnium gentium ad Dei cultum per Messiam vocatione, Esa. 2, 2. 3. & Michae 4, 1. & seqq. Vbi figurata locutione, desumta a ritu & consuetudine antiquis illis temporibus usitata, qua templa in montibus ac collibus editissimis solebant aedificari, dicitur, *montem Domini omnibus montibus fore excelsiorem*. i. e. religionem Messiae regis, omnium aliorum religionibus praeferendam, & per totum terrarum orbem diffundendam. Familiare enim est Prophetis, de temporibus Messiae & cultu spirituali sub eo exhibendo, eas loquendi formulas usurpare, quae durante legis oeconomia obtinebant. Similia loca de vocatione gentium habentur Esa. 11, 10. 19, 18. 19. 49, 6. 60, 3. 65, 1. 2. 66, 21. Hos. 1, 10. 11. 12. Amos. 9, 11. 12. Zachar. 11, 11. vel 15. *Gentium vocatione.*

Mal. 1, 11. Et haec omnia impleta sunt in domino Iesu, quippe qui in coelum ascensurus, iussit Apostolos suos ire in omnem terram, & praedicare evangelium, Matth 28, 18. Quod quidem primo sensu respexit Iudaeos per omnes populos in omnem terram dispersos, secundo tamen & pleno omnes gentes. Quod cum Apostoli initio non perciperent, Dominus visione coelesti Petrum docuit, gentes non amplius pollutas esse habendas, sed aeque ad communionem evangelii admittendas, Act. 10. Vnde & postea ab ingratis & refractariis Iudaeis converterunt se Apostoli ad gentes, & quaquaversum sonum evangelii dissiparunt; usque dum, post introitum Gentium, aliquando repetatur Iudaeorum conversio, & sic totus Israël, una cum Gentibus, per fidem in Iesum Christum salvus fiat, uti Apostolus docet Rom. 11, 25. 26. 27.

Iudaeorum obiectiones.

Nunc audiamus Iudaeorum obiectiones contra doctrinam nostram de Messia, iisque responsiones debitas subiiciamus. I. *Non conspici altam illam pacem*, Esa. 2. & 11. praedictam, sed omnia bellis & dissidiis repleta esse inter Christianos, immo in ipsa Ecclesia christiana. ℟. Non praedicitur, quid praecise futurum sit, sed quis genius futurus sit doctrinae Christi, nempe hic, ut hominibus inspiret animi lenitatem ac mansuetudinem, adeo ut deposita omni feritate & amarulentia mitescant, & exuta ferina luporum & leonum indole transmutentur quasi in mites agnos. Iam vero ex praeceptis Christi abunde patet, ea pacem & caritatem praescribere; quae non observari a multis, ne dicam plurimis Christianis, turpe quidem est & maximopere dolendum. Si quae bella non necessario, sed ultro, pro gloria aut amplificatione imperii geruntur, illa non geruntur a genuinis Christi discipulis, neque secundum doctrinam Christi. Schismata

ſmata in Eccleſia chriſtiana vel ſunt nudae ſententiarum in rebus non neceſſariis diverſitates, vel dilacerationes in partes: illae paci non repugnant; hae introductae ſunt a pſeudochriſtianis. Sed neque hoc praetermittendum, non tam corporalem, quam ſpiritualem pacem de temporibus Meſſiae praedictam, atque hanc a Ieſu noſtro procuratam eſſe, iuxta Rom. 5, 1. Eph. 2, 14. & Col. 1, 19. 20.

II. Meſſiae tempore *auferenda ſunt idola, ac idololatria extirpanda*, Zachar. 13, 2. Eſa. 2, 18. 19. 20. Zeph. 2, 11. Hoc autem non eſt impletum: nam in multis regionibus idololatria viget inter ethnicos, immo etiam in Eccleſia pontificia. ℞. Praedictionibus iſtis non ſignificatur, ſimul ac apparuerit Chriſtus, idololatriam abolendam eſſe, ſed ſenſim ac paulatim. Neque vero negari poteſt, quando evangelium promulgatum eſt, idololatriam coepiſſe labaſcere, & magis magisque in multis regionibus cum tempore eſſe extirpatam. Quod vero etiamnum hodie inter gentes quasdam illa vigeat, non evangelio Chriſti adſcribendum eſt, ſed vel ſocordiae Chriſtianorum, vel incredulitati incolarum illorum. Caeterum an romanae Eccleſiae, ob cultum ſanctorum & venerationem ſacramenti, idololatria iure poſſit impingi, non eſt heic diſputandi locus. Ipſi certe eam a ſe amoliuntur, dicentes, ſe in ſanctis & ſacramento euchariſtiae neminem alium adorare & religioſo proſequi cultu, quam Deum.

III. *Meſſias reducere debet Iſraëlem in terram promiſſam*, iuxta Eſa. 11, 11. 12. Ezech. 37, 25-28. Zach. 2, 11. vel 16. Atqui hoc non factum eſt a Ieſu. ℞. Loca illa reſpiciunt liberationem e captivitate babylonica. Si autem reſpiciant etiam tempora Meſſiae, tunc debent intelligi cum conditione, Si populus Meſſiam ſibi a Deo miſſum recipiat. Po-

tius tamen myftice accipienda funt de coelo, cuius terra Canaan typus fuit.

Myftice] Non autem fecundum literam, de reductione in terram Canaan, quia fic 1. refpicerent tantum Ifraëlitas, Meffiae tempore victuros, omnes autem antea mortuos a beneficiis iftis excluderent. 2. exile nimis effet, Meffiam, quem Deus omnium regem deftinavit, mitti, ut folos in terram fuam reducat Ifraëlitas. Obi. Si myftice, *ergo non impletur illa promiffio divina.* ℟. Quidni, fi Deus regem terrenum promittens, det coeleftem? an fit iniuria homini, cui loco exigui, bonum datur eximium?

IV. Verus *Meffias non abolet legem Mofis*, quia eft lex aeterna, & a Deo lata, ut aeternum duret. At Iefus eam abolevit. ℟. Falfum eft, Iefum legem Mofis proprie abrogaffe, aut aboleviffe. Vide, quid ipfe dicat Matth. 5, 17. nam legem moralem profecto non folvit, fed dilucida explicatione a corruptelis Pharifaeorum vindicavit. Neque etiam ceremonialem proprie loquendo abrogavit; quin ipfe ceremonias obfervavit, difcipulisque, ut eas obfervarent, mandavit, Matth. 23, 1. quamvis praecipue poftularit cultum fpiritualem, & ceremonias abfque illo nullius apud Deum valoris effe docuerit: quod & Prophetae fecerunt, Efa. 1, 11. & c. 66, 3. Pf. 50, 7. Ier. 7, 22. 23. Sed nec per Apoftolos poft afcenfionem fuam abrogavit: licet enim Paulus paffim in epiftolis fuis docuerit, Chriftianos non teneri ceremoniis legis mofaicae, nusquam tamen profeffus eft, Iudaeos ab obfervatione illius folutos effe; immo & ipfe ceremonias legis obfervavit, Timotheum circumcidendo, Act. 16, 3. & caput tondendo, Act. 21, 24. Non itaque, ut illicitae, damnatae aut vetitae funt leges ceremoniales five a Chrifto five ab Apoftolis, fed fponte, natura rei ita poftulante, evanuerunt, ficut ad praefentiam antitypi, typus, & corporis,

poris, umbra evanescit, & ut leges belli, pace facta, non abrogantur, sed sponte desinunt. Eodem modo se res habet cum legibus forensibus Mosis, quas itidem Iesus & observavit, suosque observare docuit. Verum & istae sponte desierunt, per gentis iudaicae & terrae cananaeae excidium, sicut ceremoniales per eversionem templi. Quod *aeternitatem*, quae legi ceremoniali & forensi tribuitur, attinet, non illa significat durationem nunquam finiendam, sed tamdiu mansuram, quamdiu natura earum permittebat, quod durare possent. Quo sensu etiam accipitur Ex. 21, 6. si conferas cum Levit. 25.39. Immo vox עולם potius reddenda est *seculum*. Vide Buxtorfii Lexica, & Leighii Crit. S.

V. *Elias nondum venit*, qui tamen debet praecedere adventum Messiae, iuxta Mal. 4, 4. 5. ℞. Per *Eliam* non intelligitur ipse Elias, sed ei similis. Quales loquendi formae apud scriptores, etiam profanos, sunt frequentes. Sic ob magnam cum Davide similitudinem, appellatur *David*, Ezech 34, 23. 24. & c. 37, 24. 25. Allato autem sensu, iam olim sane venit Elias, isque fuit Iohannes baptista, qui venit in spiritu & virtute Eliae, Luc. 1, 17. & austera vivendi ratione, zelo flagranti, atque ingenua dicendi libertate Eliam repraesentavit, non secus ac si Elias denuo populo apparuisset. Itaque omnino venit Elias, sed eum Iudaei perinde, ut Iesum, reiecerunt.

Sequuntur aliae Iudaeorum obiectiones. I. *A Christianis plures dii coluntur*: nam tres personae sunt tres substantiae sive tres res essentialiter distinctae, ut ratio & experientia confirmant. ℞. Philo tres in Deo virtutes statuit, & Cabbalistae in Deo distinguunt tria lumina, eaq;, appellant, ut Christiani, nominibus Patris, Filii sive Verbi, & Spiritus, nec non in essentia Dei agnoscunt tres *middot* i.e. modos: an ergo *Aliae obiectiones.*

 plures

plures deos ſtatuunt? Deinde tres perſonae finitae ſunt tres ſubſtantiae ſeu res eſſentialiter diſtinctae. Sed tres perſonae in divinitate ſunt una ſubſtantia, i.e una eſſentia ſeu natura communicabilis, & ſunt tres ſubſtantiae, i.e. tres ſubſiſtentiae incommunicabiles. Sicut in anima hominis, intellectus, voluntas, & potentia agendi ſunt intime unum quid.

II. *Lex moſaica extitit prius, quam daretur Moſi* in monte Sinai, quia de Abrahamo dicitur, quod obſervaverit praecepta, ſtatuta, & leges Dei, Gen. 26, 5. ℞. Aben-Eſra per חקות h.l. intelligit cultum quendam, quem, ratione dictante, Deo praeſtare tenetur homo, ut, adorare unum Deum, invocare ſolum Deum in neceſſitatibus; per תורות autem circumciſionem, ſabbati obſervationem, & alia ſimilia. At non opus eſt accurate hic inter tria illa vocabula diſtinguere, cum poſſint eſſe ſynonyma, tam inter ſe, quam cum voce praecedente קול.

III. Moſes a Deo praeter legem ſcriptam accepit *legem oralem* de manu in manum tradendam, quae dicitur *Cabbala*. Eam Moſes a monte deſcendens recitavit primo coram fratre Aarone, deinde duobus illius filiis, Eleaſare & Ithamare, poſtea coram LXX. Senioribus, ac tandem coram toto populo, ſingulique illi eandem coram toto populo recitarunt. Et haec continua traditione in populo conſervata fuit, donec poſt deſtructam Hieroſolymam & everſum templum, Iudaeosque per univerſum orbem diſperſos, eorum magiſtri, ne prorſus oblivioni traderetur, eam collegerunt in unum volumen, quod librum *Miſnaioth* ſive lectionum aut repetitionum vocant, anno poſt everſum templum circiter ſeptuageſimo: poſtea viri ſapientes in Babylonia, circa annnum Chriſti quingenteſimum, librum illum commentariis illuſtrarunt, qui *Gemara* h.e. doctrina, in-

na, inscribuntur. Et ex duobus illis libris enatum est Talmud babylonicum, quo perfectissime contineri volunt, quicquid ad legis scriptae explicationem requiritur, & sine quo legem scriptam intelligi impossibile sit. ℞. Nullum legis istius oralis, nec in scriptura, nec in iudaica antiquitate extat indicium: unde nec a quibusdam Iudaeis, Caraim dictis, recipitur. Et si lex moralis Mosen in omnibus instruxisset, quid opus habuisset, Dominum consulere in casibus dubiis? Porro sacerdotes legem scriptam non conservarunt, 2. Reg. 22. 10. & 2. Chron. 34, 14. qui ergo credibile est, eos legem ore datam, & quidem tot praeceptorum varietate ac numero constantem, & tantum hominum memoriae traditam, tam perfecte conservasse? Nimirum lege illa orali non continentur praecepta divina, sed traditiones Pharisaeorum, quibus accurata admodum & superstitiosa rituum multorum, etiam lege non expressorum, observatio praecipitur: quae a posterioris aevi Iudaeis collectae, & specioso *legis oralis Mosi datae* titulo insignitae fuerunt, ut in maiori essent veneratione.

IV. Iesus vel *vi nominis tetragrammati*, ut Moses, *edidit miracula*, vel *ope daemonum & artibus magicis*, quas in Aegypto didicit. ℞. Fluctuatio ista Iudaeorum, est indicium malae causae. Et unde constat de Mose, eum miracula fecisse per nomen scriptum quadriliterum? Iesus eodem nomine, discissae pedis cuti indito, patrasse miracula, commentum & calumnia est talmudicum. Caeterum ille non fuit in Aegypto, nisi adhuc infans, & ut talis inde rediit. Quo modo igitur magiam didicerit ibi? & an magi Aegyptiorum potuerunt illico sanare natos coecos, mutos, claudos, mortuosque excitare?

Caven-

Obſervanda in proceſſu cum Iudaeis. Cavendum autem, ne Iudaeis ea obiiciamus, quae a vero ſunt aliena, certe univerſis, quaſi ex lege obſervanda ſint, imputari nequeunt, ut, ipſos (1) *talmudica & alia Rabbinorum ſcripta ſemper ſecundum literam intelligere*, e. g. quod dicitur de creatione duorum cetorum, & convivio coeleſti in vita aeterna. Vide Hackſpan. ad Nizachon Lipmanni p. 345. Collationem inter Ben Iſraël & Ioh. Deſpagne t. 2. p. 115. 120. Grellot. in praefat. Prodromi in Apoc. p. 21. Scherzer. in Specim. theol. myth. Ebraeor. quod extat in Operae pretio orient. p. 155. I. Bened. Carpzov. in praef. in Martini Pug. fidei. c. 8. Ioh. Wülfer in Theriac. Iud. p. 370. Secundum quos intelligendum corrigendumve eſt, quod legitur in parentis mei concionibus in Iobum p. 643. & ſeqq. (2) *Adorare caput aſininum.* Vid. Wagenſeil in ep. ad Fecht. p. 112. (3) Ad myſteria facienda *opus habere ſanguine hominis chriſtiani.* Id. p. 106. & in Sota p. 532. Iſaac. Viva in Vindice ſanguin. Wülf. p. 76. 83. (4) Hodienum in precibus ſuis *Chriſtum & Chriſtianos exſecrari.* Wülf. p. 306. 346. (5) *Per mortuos ſuos, Chriſtianos interficere*, p. 72. (6) *Fontes fluviosque veneno inficere.* p. 81. (7) *Effaſcinationibus* puerperas & infantes Chriſtianorum occidere. p. 73. (8) *Sanguinem Chriſtianorum*, mulieribus ſuis in partu propinare. p. 76. (9) *Incendiarios* eſſe. p. 81. (10) Nihil ipſis antiquius eſſe, quam *Chriſtianos decipere.* p. 84. 352. (11) *Scriptis Chriſtianorum* impie ad latrinam abuti. p. 12?. (12) Non ſe credere obligatos *ad iuramenta, Chriſtianis praeſtita.* p. 183. (13) Non *ſalutare* Chriſtianos. p. 153. (14) *Coemeteria noſtra defugere*, iisque ſe pollui credere. p. 151. (15) Nunquam e Chriſtianorum aedibus diſcedere, niſi quid *furentur* prius. p. 262. (16) In precibus ſuis omnem Chriſtianis peſtem *imprecari.* p. 307. (17) *Iudaeos medicos* mala fide cum Chriſtianis aegrotis agere. p. 283. (18) Iudaeos *adulterium* non committere, ſi

cum christiana quadam muliere concumbant, neminemque, praeter Iudaeos, *matrimonium*, aut coniugii leges habere. p.170.273. (19) Duobus Rabbinis sibimet invicem *contradicentibus, utrique eos credere debere.* Despagne in collat. inter ipsum & Ben Israël, P. 2. p.114. Quin potius humaniter & sine ludibrio ac iniuriis sunt tractandi. M. Bellius praefat. in lib. de Haeret p.12. G.Calixt. orat. de populis convert. p.76. Fabricius in. Iobum p. 646. Wülf. p. 32. nec concitanda contra eos rudis plebs in concionibus, aut ipsi in homiliis, ad quas vocati veniunt, conviciis onerandi vel exagitandi. Wülf. p.239. 276. proselyti autem, exemtis prius quae habent dubiis, & omissis quaestionibus annatis, in principiis fidei probe informandi: ad quod sufficere potest oratio dominica, cum iusta cognitione decalogi & symboli apostolici. p. 132. Quumque impia vita Christianorum magno Iudaeis offendiculo sit, curandum inprimis est, ut pie, iuste, & sobrie vivamus, atque ut illi bona nostra opera videntes, amore inflammentur fidei christianae, ad eamque convertantur. p.357. Bellius l. c. Meelführ. in disp. inaugur. cit. Quod ut fiat, rogandus est Deus O. M. sanctus benedictus ille, per dominum nostrum Iesum Christum, Amen.

In principiis fidei probe informandi] Catechesin pro convertendis Iudaeis, dedit celeberrimus *Wagenseilius* in Telis ign. sat. p. 478. Talem quoque elaboravit, & ad imprimendum in promtu habet cl. *Calvörius*, superintendens cellerfeldensis.

Sed ante, quam ultimam huic disputationi manum imponamus, indicandi nobis sunt scriptores, qui contra Iudaeos dimicarunt. Tales sunt *Iustinus* martyr in Dial. cum Tryphone iudaeo; *Tertullianus* adversus Iudaeos; *Cyprianus* libris III. Testimonior. contra Iudaeos; *Chrysostomus* adversus Iudaeos libris seu orationibus VI. tomo I. *Augustinus* in *Scripta Iudaeis opposita.*

orat. adversus Iudaeos, tom. VI. p. 15. *Anastasius* abbas in lib. contra Iudaeos; *Thomas* aquinas de Regimine Iudaeorum; Guil. *De Campellis*, episcopus catalunensis, in Dial. inter christianum & iudaeum de fide catholica, tom. 20. Biblioth. patrum maximae; Petrus *Alphonsus* in Dial. contra Iudaeorum opiniones, tom. 21. eiusdem Bibliothecae; Raymundus *Martini* in Pugione fidei; Porchetus *Salvaticus* in Victoria adversus Iudaeos; Petrus *Galatinus* in libris XII. de Arcanis cathol. veritatis; Raymundus *Lullius* in Sermon. contra omnes incredulos; *Andronicus* in Dial. contra Iudaeos; Paul. *Burgensis* in Scrutinio scripturarum; *Lutherus* von den Juden und ihren Lügen / tom. 8. ien. german. p. 4?. Vrb. *Rhegius* in epist. ad totam Iudaeorum synagog. Brunsvici habitantem, qua demonstratur, Christum venisse, tom. 3. oper. lat. p. 92. I. *Calvinus* in ep. 358. Marqu. *De Susannis* de Iudaeis; Petrus *Della Cavalleria* in Zelo contra Iudaeos; Christian. *Gerson* in Talmude suo; Antonius *Margarita* in Fide iudaica; Victor *De Carben* in lib. de Iudaeor. erroribus & moribus; Ioh. *Steph. Rittangelius* in Libra veritatis, item in Notis ad librum Ietzirae Abraham; Ioh. Conr. *Otto* in Gali Razia; Fridericus *Wilhelmus* im Talmudischen Greuel; Fridericus *Franciscus* im Schlangenbalg; Ioh. *Pfefferkorn* in Spec. adhortat. iud. (quanquam tales homines ex odio contra Iudaeos, unde secesserunt, aut ut Christianis imponant, nonnulla fingunt & recensent) Sebast. *Münsterus* in Comment. in libros V. T. item in Matthaeum hebraicum; Paulus *Fagius* in Comment. in versionem Onkelosii latinam; Sebast. *Barradius* in tomo I. Harmon. evangel. lib. 1. 2. 3. Anton. *Possevinus* in Biblioth. Sel. libro IX. Fabiano *Fioghi* nel Dialogo della fede; Ioh. *Moltherus* in Malleo obstinationis iudaicae; Hugo *Brougthon* in ep. hebraico

braico-lat. ad R. Abr. Ruben, & comment. in Danielem; Christoph. *Helvicus* in Vindicatione locor. potissimor. V.T. in Elenchis iudaicis, in Systemate controvers. theol. quae Christianis cum Iudaeis intercedunt, & in Iudaicis historiis sive talmudico-rabbinicis fabulis; I. Henr. *Alstedius* in Turri Babel destructa; Constantinus *L' Empereur* in Animadvers. ad Abarbenelem in c. 53. Esaiae, & in comment. in Middoth & Bava Bathra; Hugo *Grotius* in libro V. de Verit. relig. christianae; Theodorus *Thummius* in Synopsi praecipuor. articul. fidei controversorum; Wilh. *Schickardus* in Bechinath Happeruschim; Ioh. *Müller* in Iudaismo; Ioh. *Cocceius* in Iudaicarum respons. & quaest. Consideratione; Ioh. *Hoornbeeck* in libris VII. pro convincendis & convert. Iudaeis; Dan. *Brenius* in disputatione cum iudaeo; Philippus *A Limborch* in Amica collat. cum erudito iudaeo; Theodoricus *Hackspan* in Prodomo apologiae christian. qui subiunctus est libro Nizachon Lipmanni; Ioh. *Despagne* in Exam. des maximes des Iuifs, item in Collatione ipsum inter & Menasseh Ben Israël; Ioh. *Frischmuth* in variis disputationibus; Ioh. Christoph. *Wagenseil* in Sota, & Telis igneis satanae; Ioh. Benedictus *Carpzovius* in Notis ad Schickardi Ius regium; Ioh. *Wülfer* in Schekalim, & Examine Theriacae iudaicae; Petrus Dan. *Huetius* in Demonstrat. evangel. p. 668. 705. Iac. Benignus *Bossuet* in Hist. universali; Iac. *Gousset* in Controvers. adversus Iudaeos ternione, de quo Acta Erudit. A. 1688. p. 526. Plures autores dabit tibi Crenius in praefat. in Helvici Elench. iud. p. 39. Vide etiam Hottingeri Bibliothecarium p. 387.

Chrysostomus orationibus VI.] Quarum primam Savilius genuinam esse negat.

Martini, Salvaticus, Galatinus] Galatinus Salvaticum, Salvaticus

ticus Martinium exscripsit, hoc tamen cum discrimine, quod Salvaticus grato animo mutuum agnoscat, Galatinus autem Martinii, quo usus fuerat, plane non meminerit.

Helvicus in Vindic. locor. V.T. & Elenchis iud.] A laboriosissimo polyhistore, Thoma Crenio, cum praefatione & notis, A. 1699. & 1702. Lugduni Batavorum iterum nitidiusque editis.

Gali Razia] Gale Rasaia, id est, Revelans arcana. De libro rabbinico huius nominis vide Crenii annot. ad Helvici Elench. iud. p. 49.

Librum Ietzirae Abraham] Est liber cabbalisticus, qui tribuitur Abrahamo patriarchae; cum potius auctorem habeat R. Akivam. Latine diceretur *liber creationis.*

Bechinath Happeruschim] Significat Notitiam seu Examen paraphrasium.

CONTROVERSIAE
CVM
MAHOMMEDANIS.

Obiectum disputationis cum Mahommedanis.



Vae nobis cum *Mahommedanis* est disceptatio, partim attingit theologiae eorum capita, partim capita religionis. Theologiae seu potius mataeologiae eorum capita sunt de Script. corruptione, de Mahommede, Alcorano, Negatione personarũ trium in divinitate, nec non divinitatis Christi, de Rebus creatis variis, deq; Extremis mundi, videlicet judicio, paradiso & inferno. Atque inter haec praecipua sunt illa, quae agunt de Mahommede & Alcorano. Religionis autem ipsorum capita, quae in praxi consistunt, sunt Circumcisio,

Lo-

Lotiones, Preces, Juramenta, Jejunia, Peregrinationes, Polygamia & Repudium, Prohibitio vini & esculentorum quorundam, ac denique Religiosi ipsorum & monachi.

Cum Mahommedanis] Sic dicuntur a Mahommede, quem pro magno propheta habent, maiore certe omnibus Prophetis V. T. & ipso etiam Christo. Alias vocantur *Sacraceni*, non quod ipsi fastidientes ignobilem suum ortum ex Agare ancilla, nomen herae illius, h. e. *Sarae* assumserint, atque inde se appellarint Saracenos; neque ab urbe vel regione Arabiae *Saraka*, ut Stephano placuit de Vrbibus, sed ab arabico סרק *praedari, latrocinari*, eo quod Saraceni, gens Arabum, omni tempore fuerint sintque etiam nunc latrociniis ac depraedationibus dediti. Hotting. in Hist. or. pag. 10. Et quoniam diximus, Saracenos *esse gentem arabicam*, haut abs re fuerit, etiam in huius vocis originem inquirere. Enim vero *Arabas*, nonnulli aiunt, dictos esse ab ערב *vespera*, quasi ἑσπερίους, *populos occidentales*, seu ad occidentem vel occasum solis collocatos, videl. respectu reliquorum orientalium. Ita Scaliger in Castigat. ad Festum. Sed Vossio lib. I. de Idolol. minus probabilis videtur haec derivatio, & mavult Arabas deducere vel ab ערבה (plaga non longe a Medina sita, quam Ismaël incoluit. Hotting. Hist. or. p. 8.) *planities, desertum*, vel ab ערב *mixtus*, quia sint gens ex variis mixta. Schindlerus in Lex. pentaglotto utrumque hoc coniungit, docens, sic appellatos esse Arabas, quod sint colluvies hominum, quae deserta habitat loca. Caeterum quando iidem *Agareni* vocantur, dicitur quidem, denominationem istam peti ab Agare, Sarae ancilla, matre Ismaëlis, qui illam regionem habitare coepit: at Hottinger Hist. orient. p. 9. eos Mahommedis tempore sic dictos esse ait, & quidem *a fuga*, cum eo religionis causa susscepta, adeo ut *Mohagerin* significet religionis causa exulantes. Quod ad *Turcarum* seu *Turcorum* nomen attinet, primus illud usurpavit Pomponius Mela, eosque iuxta Maeotim & Riphaeos montes posuit. Vnde ex Scythis oriundos se esse aiunt, aliique id etiam de ipsis statuunt. Vid. Joh. Cuspinianus de Turcorum origine. Inde videlicet in Persiam ac minorem Asiam prodierunt ignobili manu & tenuissimis principiis, palantes praedantesque

tesque, pastoralis turba, donec opibus & vi aucti, cum Saracenis, quorum acceperant religionem, aliquoties confligere, & regimen erigere coeperunt, sub primo suo rege Osman seu Ottomanno, sec. 14. Vnde *Ottomannicum Imperium*, quod hodienum durat, nomen suum habet. Mahommedanorum nomina generalia sunt VII. vocantur enim *Populus Mahommedis*, *Populus libri*, *Populus congregationis*, *Populus legis*, *Populus respectus*, *Muselmanni*, (*Mosiemin* significat in Deo fiduciam ponentes) *Credentes*: specialia III. *Populus Ismaëlis*, *Agareni*, *Saraceni*. Hotting. Hist. orient. p. 2. & 5.

Obiectiones Mahommedanorum. Hinc obiiciunt, I. *Scripturam V. & N. Testam. esse corruptam*, nam 1. a Iudaeis aeque ac Christianis deletum interesse nomen Mahommedis, Christianos videlicet erasisse ex evangelio haec verba: *Annuncio vobis nuncium bonum, quod post me venturus est apostolus & propheta : nomen ei Mahommed; Iudaeos* autem *accessisse ad Caabum*, *filium Aschraphi*, *immutasse legem*, & *scripsisse librum*, *in quo mutarint notam apostoli Dei Mahommedis*. 2. Multa esse scripturae loca, quae vel inter se pugnent, vel cum veritate, v. g. (1) dissonantiam esse *genealogiae Christi* apud Matthaeum c. 1. & Lucam c. 3. (2) diversam narrationem *vocationis Petri & Andreae*, apud Ioh. c. 1, 41. & Matthaeum 4, 18. (3) Matth. 11, 13. dici *omnes prophetas usque ad Iohannem prophaetare*, ad Eph. autem c. 4, 11. *Christum adhuc prophetas dare*, seu mittere. (4) *Iohannem baptistam manducasse* locustas & mel sylvestre, Ioh. 1. at Matth. 11, 18. dici, eum neque manducasse, neque bibisse. (5) *Petrum* dici beatum, Matth. 16, 17. itemque diabolum ℣. 23. (6) Christum appellari *Deum*, & oculis *visum fuisse*, cum tamen Ioh. dicat c. 1, 18. *Deum nemo vidit unquam.* (7) Ioh. 5, 31. Christum negare, se *testimonium sibimet ipsum posse* perhibere, & tamen id facere c. 8, 12. 14. (8) Christum Ioh. 10, 18. affirmare, *se potestatem habere suam ponendi animam*, & *iterum assumendi*, cum impossibile sit, ut quis

quis se ipse resuscitet ex mortuis. (9) Matth. 24, 24. *signa* dici *edenda per pseudoprophetas*, cum nemo possit miracula facere praeter Deum. (10) Evangelistas dissentire in narratione de *negatione Petri*, nam Matthaeum c. 26, 58. scribere, *Petrum secutum esse Christum captivum a longe, usque in atrium principis sacerdotum*, Iohannem autem c. 18, 16. *Petrum stetisse ad ostium foris:* Matthaeum ℣. 74. referre de exsecrationibus & iuramento Petri, sed Lucam c. 22, 60. itemque Ioh. c. 18, 27. simpliciter, eum iterum negasse. (11) blasphemiam Christo in cruce pendenti dictam esse a latronibus, secundum Matth. 27, 44. & Marc. 15, 32. ab uno autem eorum, apud Luc. 23, 39. (12) Christum *tribus diebus & noctibus* futurum dici in corde terrae, Matth. 12, 40. nec tamen inter mortuos tam diu fuisse, sed tantum unum integrum diem. (13) Marc. 16, 16. dici, *condemnandum esse, qui non crediderit*, quum tamen non videantur puniri omnes, qui sunt increduli. (14) *suscitationem filiae archisynagogi* aliter atque aliter narrari ab evangelistis, Matthaeo cap. 9. Marc. 5. Luc. 8. (15) Matth. 5, 22. & seqq. *Christum legem Mosis abrogasse*, & tamen ℣. 17. id de se eundem negare. (16) *aliud evangelium* esse ab Apostolis praedicatum Marc. 16, 5. aliud, quod apud Christianos circumfertur scriptum. ℞. Scripturam S. esse corruptam, ad calendas graecas poterit probari. Nam Iudaei non corruperunt libros V.T. ante Christum, quia alioquin ab ipso propterea fuissent reprehensi; neque post Christum, quia cum dispersi fuerint per totum orbem, non potuerunt in falsum convenire. Sed nec Christiani corruperunt libros N.T. quia illud fieri debuisset aut ante, aut post Mahommedem: non ante, quia non erat causa corrumpendi; neque post ipsum, quia ubique omnia omnino exemplaria, quod atti-

net ad

net ad dogmata essentialia & ad salutem scitu necessaria, mirum in modum consentiunt. Eccur ipse Mahommed ex lege & evangelio doctrinam suam probare nititur, atque in Alcorano legem & evangelium observari praecipit, si illa sunt corrupta? Vt taceam, obstare Dei providentiam, ne apex aut iota ex libris sacris intercidat. Vide Matth. 5, 18. Falsa etiam est adducta de Iudaeis & Christianis probatio: nam quibus testibus & documentis omni exceptione maioribus probare possunt crimen illud falsationis, Iudaeis aeque ac Christianis impactum? Quo in libro, capite, vel loco scripturae S. lectum aliquando fuit nomen *Mahommed*? Quî fieri potuit, ut illud, si extitisset, non reperiatur ne ullo quidem in codice? Nonne eadem ratione dicere possent Persae, nomen *Hali*, quem illi pro vero Alcorani interprete habent, ex lege & evangelio esse expunctum? an non quilibet impostor & seductor de se suoque nomine idem asserere poterit, hoc si sufficiat? Altera ratio itidem nullius est momenti, quoniam contradictiones illae prolatae, non sunt verae, sed apparentes duntaxat, quae facile possunt solvi: nam (1) quum Iesus vulgo haberetur filius Iosephi, ac revera ab hocce esset adoptatus, quanquam absque ipsius, ulliusve viri mortalis opera genitus, hinc uterque Evangelistarum originem Iosephi, qui duplici ratione genus ex Davide ducebat, naturali nempe & legali propagatione, & illam quidem Lucas, hanc (de qua vide Deut. 25, 5.) Matthaeus describere voluerunt. Neque fere aliter poterant scriptores illi, quam ex Iosepho genealogiam Christi recensere, quoniam materna stirps apud Hebraeos & alios populos nullo loco habetur, & adoptatus a Iosepho Iesus merito genus suum ad Iosephum referre dicebatur, sive mater eius ex eadem tribu esset, sive secus. Vnde nec quisquam fuit vel inter ipsos

ipſos Iudaeos tempore Chriſti, qui ei controverſiam moveret de genealogia. (2) Iohannes narrat, Andream cum fratre Simone ſponte Chriſtum ſecutos eſſe, eiusque factos diſcipulos, ſed iterum ipſos eum reliquiſſe, atque ad ſua reverſos eſſe; Matthaeus, eos a Chriſto *denuo vocatos* eſſe, & deſignatos apoſtolos. (3) Apud Matthaeum ſermo eſt de Prophetis V. T^o qui praedicabant Chriſtum venturum; apud Paulum de illis, qui ſcripturam propheticam ſingulari quadam ratione *explicarunt*, & nova inſuper *vaticinia* quaedam addiderunt. (4) De Iohanne baptiſta explicandus eſt Matthaeus ex Luc. 7, 33. quod nempe neque *panem* manducaverit, neque *vinum* biberit. (5) Petrus dicitur *beatus*, ob notitiam coelitus impetratam; *ſatanas* autem ſive *adverſarius*, quia inconſiderato conſilio ac praecipiti levitate Dei voluntati reſiſtebat, & Ieſum a paſſione & morte ſubeunda impedire volebat. (6) Chriſtus non *viſus eſt*, ut Deus, ſed *ut homo*. (7) Chriſtus non a ſe *teſtimonium* ſibimet ferebat, ſed una *cum patre coeleſti*. Ioh. 8, 18. Quanq. etiam fieri ſolet, ut quis *de ſe ipſe* teſtetur, videlicet de innocentia ſua, eamque argumentis probet. Sic Xenocrates athenienſis, & Scaurus Aemilius Romae contra Varium Sucronenſem, in propria cauſa teſtes admiſſi ſunt, tanquam viri graves. (8) *Nudo homini* impoſſibile eſt, ut ſe ipſe reſuſcitet, non θεανθρώπῳ. (9) *Signa pſeudochriſtorum & pſeudo prophetarum* non ſunt vera miracula, ſed apparenter talia, ſeu *mirabilia*, quia ab ipſis eduntur in confirmationem falſae doctrinae. (10) *Petrus prius ſtetit extra atrium*, deinde autem a diſcipulo quodam in palatio illo noto & familiari intromiſſus, intravit in illud atrium; & Lucas ex Matthaeo eſt ſupplendus. (11) Quomodo intelligendus ſit Matthaeus, exponit Lucas. Nimirum *pluralis numerus ponitur interdum*

pro uno ex singularibus, ut Gen. 23, 6. ubi *electa sepulcra* significant unum ex illis. Vide Observat. Syntact. XXV. Iac. Rauppii, & can. XVII. Harmoniae Clerici p. 45. (12) Christi corpus utique per tres dies naturales, qui noctibus suis praecedentibus iunguntur, fuit in sepulcro: nam die veneris (qui cum sua praecedenti nocte iunctus, unus dies naturalis est, sepulcro fuit illatum; integro deinde sabbato, diu noctuque, in monumento quievit; ac die demum dominico (cui iterum suam noctem adde, ut dies fiat naturalis) e sepulcro exivit. Raupp. ad Matth. 12, 40. (13) Etiamsi iam non videatur condemnatio finaliter incredulorum, tamen certo certius *futura est.* (14) Matthaeus *defunctam* vocat, quae erat moribunda. (15) Vbinam legitur de Christo, quod legem abrogaverit, non dicam moralem, sed vel ceremonialem, vel forensem? Haec enim eversione politiae iudaicae & urbis hierosolymitanae, sicut illa excidio templi, ad quod alligata erat, *expiravit.* (16) Christus mittens Apostolos in universum mundum, non aliam eis dedit doctrinam annunciandam praeter illam *de Christo crucifixo, mortuo, resuscitato & exaltato*, in quo omnes remissionem peccatorum consequuntur, qui in eum credunt: adeoque non novum, vel aliud evangelium.

Pro vero Alcorani interprete] Turci autem sequuntur *Omarem.* Atque hinc schisma enatum.

II. *Mahommedem esse apostolum*, sive nuncium a Deo missum, eumque postremum, & pariter prophetam, nam (1) Christum in N. T. praedixisse adventum illius, his verbis: *Nuncium bonum vobis affero de nuncio post me futuro, cuius nomen Mahommed.* (2) Deum in V. T. Mahommedis futuram nativitatem diu ante praenuntiasse, verbis Deut. 18 15. *Prophetam de gente tua & de fratribus tuis, sicut me, suscitabit Dominus*

nus.(3) Mahommedem *multa miracula edidiſſe* in confirmationem ſui apoſtolatus, e.g. quando coram univerſa multitudine concionabatur, indomitum taurum ad ipſummet accurrentem, & in genua ſe proſternentem, humiliterque caput declinantem, manum prophetae ſupplicem deoſculatum eſſe. (4) *Deum ipſum confirmaſſe* apoſtolatum Mahommedis: nam ſpiritum Dei in ſpecie columbae deſcendiſſe in eum, eidemque inſpiraſſe, quomodo lex Alcorani eſſet conſcribenda. (5) Mahommedem non ſolum *ad reformandum* orbem, ſed etiam *ad caſtigandum*, ob ſanctiſſimam Chriſti religionem neglectam, ultimo loco fuiſſe miſſum a Deo, & hunc ei dediſſe Alcoranum, ac praecepiſſe, ut eum per totum terrarum orbem publicaret, ſimulque gladium tradidiſſe, & felicem in bellis ſucceſſum ipſi promiſiſſe. Et his promiſſis eventum egregie reſpondere. Rem enim aggreſſum, mirabili felicitate regiones maximas ſubiugaſſe, Arabiam, Aſiam minorem, Perſiam, & alias plurimas. ℞. Apage mihi iſtum prophetam, qui mendacia profert: nam, ut alia mittam, ait ille in Alcorano, *Chriſtianos Deo uni & vero duos alios aſſociare*, videlicet *Chriſtum* (merum hominem) *& Mariam*, *Deumque per copulam carnalem ex Maria genuiſſe Chriſtum*. Nec probationes ullius ſunt momenti; nam ad 1. reſpondetur: Si verba iſta extitiſſent in N. T. tunc *mutatio eorum facta eſſet vel ante vel poſt* adventum Mahommedis. Non ante; quia non erat mutandi cauſa: neſciebant enim Chriſtiani, quis aut qualis Mahommed futurus eſſet; immo crediturі erant, optimum & divinum prophetam futurum, quippe a Chriſto commendatum, & expectari iuſſum: neque poſt; quia nullum eſt exemplar N. T. in quo illa verba inveniantur. Sed nec credendum eſt, Chriſtum Ioh. 14, 16. per *alium paracletum* intelle-

tellexiſſe Mahommedem, cum loquatur de Spiritu S. qui ſolenniter datus fuit Apoſtolis, Act. 2. Ad 2. Deut 18. praedicitur *adventus Chriſti* ſive Meſſiae, non vero Mahommedis. Vide, quod circa hunc locum notavimus in Controverſ. Iud. p. 59. Ad 3. Ipſe Mahommed fatetur, ſe non miſſum eſſe cum miraculis, *ſed cum armis*. Quae autem ipſius miracula celebrantur, aut *non ſunt miracula*, aut *ficta*. Sic quod de tauro indomito narratur, cur miraculi nomen obtineat? An non ſaepe fit, ut homines animalia quaedam cicurent & doment, eaque ſibi concilient, ut aliis admirationem ſui ingenerent? Ad 4. Dicta ſunt probanda: ſed *probatio deficiet*. Porro Spiritus Dei non eſt ſibi contrarius. Iam vero fatetur Mahommed, Moſen & Ieſum a Deo eſſe miſſos. Vera igitur ſunt, quae a Moſe & diſcipulis Chriſti prodita ſunt memoriae. Ad 5. Non negamus, Chriſtianis inter ſe diſcordibus, flagelli inſtar immiſſum a Deo eſſe Mahommedem, eumque late victricia arma circumtuliſſe. Sed haec, ſi ita appellari poteſt, felicitas, *non eſt ſolitarie nota verae religionis*: & unde probabitur, Deum Mahommedi dediſſe Alcoranum?

Mahommedem] Seu, ut mavult ſcribere Langius, percelebris in academia Altorfina theologus, in diſſert. de Fabulis mahommedicis, *Mahhommaed*. Hoc nomen ſecundum Hotting. Hiſt. or. p. 13. deſcendit a rad. dageſchata חמר *valde celebravit*, & ſignificat *valde celebratum*, *celebrem*, convenitque cum chald. חמר *deſideravit*, *optavit*, & iuxta hanc ſignificationem reddi poteſt per *deſiderium*, ſeu *virum deſideratiſſimum*. Natus fuit Meccae in Arabia deſerta, ſive ſub finem ſeculi VI. ſive ſub initium ſeculi VII. (ipſe enim annus nativitatis ignoratur Turcis aeque ac Chriſtianis. Vide Hotting. Hiſt. or. p. 217.) parente *Abdalla* (quae vox *ſervum Dei* denotat) & matre *Emina*, Wahebi filia, ex paupere tunc, ſed illuſtri familia, de tribu Koreiſchitarum, Hotting. p. 206. qui Meccae rerum potiebantur

bantur. Ob novas autem, quas anno aetatis 40. disseminare coeperat, opiniones & leges, a Koreischitis ethnicae religioni addictis pulsus, Mecca aufugit Medinam: a qua fuga Mahommedani aeram suam, quam *Hegiram* i. e. fugam appellant, inchoare solent. Atque hinc quaedam Alcorani capita Meccae, quaedam vero Medinae tradita memorantur. Caeterum quod vitam Mahommedis attinet, mercatoriis rebus primo operam dedit, serviitque domino in agendis camelis, usque dum, illo mortuo, viduam eius praedivitem, cui nomen *Chadiga*, quaeque sui erat filia patrui. (Hotting. Hist. orient. p. 424.) in uxorem accepit. Qui primus ei emergendi gradus extitit. Sed cum morbo laboraret epileptico, & hinc Chadiga animo ab eo fieret alienior, ut quam poenitere inciperet viro tam abiecto & imbecilli nupsisse, ille iam maiora animo versare, fastidita mercatura, occoepit, & ad comminiscendas extases, divinasque & angelicas apparitiones, insomnia & enthusiasmos, animum transtulit, atque ita figmentis istis defectum naturae & imbecillitatem corporis callide occultavit: ipse etiam fuit illiteratus. Lang. de Fab. Mah. p. 70. Adiutus autem fuit in confingenda sua lege a Iudaeis partim, partim a pseudochristianis. Vide Grelloti praef. in Prodromum in Apocal. Ioh. p. 40. Ex Iudaeis aiunt ei adstitisse *Phineam*, & *Abdiam*, ben Salon: ex Christianis, *Sergium*, monachum constantinopolitanum, macedonianum, (vide Langium p. 72.) urbe propter haeresin expulsum, atque inde in Arabiam profugum. Inter eos, qui religioni Mahommedis fidem praebuerunt, prima fuit ipsius uxor Chadiga, tum servus Zeidin, porro Ali, Abubeker, Otman, aliique, qui successerunt Mahommedi, *chaliphae*, i. e. vicarii, sive Mahommedis locum in terra gerentes. Mortuus est anno aet. 63. fugae vel Hegirae XI. die quodam lunae, in urbe Medina, ubi & sepultus. Quod autem de pendulo eius Meccae sepulcro sive monumento, vi magnetica in aërem attracto, vulgo narrant, fabula est. Primus post mortem Mahommedis chalipha fuit *Abubeker*, secundus *Omar*, tertius *Otman*, omnes Mahommedis soceri; quartus *Ali*, Mahommedis gener, qui eius filiam Phatimam in uxorem duxerat. Quatuor isti primi sunt chaliphae, & qui prophetae suo in vita ad-

ftitere; fed poft mortem gravis oborta diffenfio & fchifma inter affeclas *Ali*, & *Omar*, cum illum Perfae, hunc Turci fequerentur. Quin aiunt Perfae, angelum Gabrielem in mandatis habuiffe, tradere Alcoranum Ali, fed per imprudentiam tradidiffe eum Mahommedi; Deum tamen haut aegre tuliffe iftum errorem, quum & Mahommed effet vir probus & fidelis. Equidem mortuo Mahommedi fuccedere debuiffet, fecundum teftamenti ipfius difpofitionem, Ali; verum Abubeker imperium ad fe rapuit, & fimiliter poftea Omar, & Otman; unde Ali, eorum tyrannidem fugiens, in fpeluncam fe abdidit, usque dum, illis defunctis, tandem chaliphatus ad ipfum delatus fuit. Vnde Perfae adeo execrantur priores illos tres chaliphas, ut eos pro chaliphis nolint agnofcere, eorumque acta & fcripta, quando reperiunt, comburant, & vulgo foleant dicere: *Maledictus Abubeker, Omar & Otman, atque clementia Deus utatur erga Ali*, inque eo fibi complaceat.

Pro Mahommede etiam dicta quaedam fcripturae S. adducere conantur, ut Efa. 21, 7. (ubi fecundum vulgatam latinam legatur: *Et vidi currum duorum equitum, afcenforem afini, & afcenforem cameli.* In quo per *afcenforem afini*, Chriftum, per afcenforem cameli autem Mahommedem intelligunt) Dan. 2, 34. Gen. 17, 20. Deut. 33, 2. Pf. 71, vel 72, 10. Sed facilis eft refpofio ad omnia haec loca: nam Efa. 21. fermo eft *de excidio Babylonis*, per Perfas & Medos faciundo, quorum illi mulis utebantur, hi camelis, cum Babylonii equitatu valerent: Dan. 2. *de Chrifto*, ficut explicatur ℣. 44, 45: Gen. 17. *de Ifmaele ipfo*: Deut. 33. *de Mofe*: & Pf. 72. *de Salomone*, quem reverituri fint reges exteri, e quibus exempli gratia nominantur reges Schebae, & Sebae, i.e. populorum Arabiae, fecundum fenfum myfticum autem de Chrifto; adeoque in nullo iftorum de Mahommede.

Ef. 21, 7. *Mulis-camelis*] Cyrus milite perfico & medico oppugnavit Babylonios, atque hoc ftratagemate ufus eft, ut eorum equis obiiceret mulos & camelos; hos quidem, quod terrerent

equos

equos aspectu & odore; illos, quia viribus sunt valentiores & velociores. Mulos vero orientales viribus & celeritate praestare, vel ex Absolomi historia constat, & ex Persarum angariis. Bochart. Hieroz. P. 1. l. 2. c. 20. *Et sicut scimus*, (scribit Iunius cum Tremellio in notis) *an commodius mulorum nomen* חמור impedimentis *tribuatur, quum dimidius fere exercitus in commeatu apportando occuparetur, quia deserta erat regio supra Babylonem, totusque ager opera Babyloniorum exhaustus, & in oppidum comportatus.*

Duplices equites] Id est, *Duos ordines equitum, horum superne, illorum inferne ingredientium Babylonem.* Ibid.

Dan. 2, 34. Excisus est lapis] Id est, repente & ex insperato missus hominibus nihil tale cogitantibus, & in tenebris umbraque mortis residentibus. *Excisus*] Videl. ex monte, ut additur ℣. 45. i. e. e coelis & loco Dei altissimi. *Lapis*] Scilicet angularis & summus aedificii totius, nempe Christus; qui etsi in speciem usus adventu abiectissimo, tamen lapis est allisionis & rupes offensionis, quo confringuntur cadentes. & irretiti capiuntur, quicunque offendunt in ipsum. Porro notandum, regnum quartum, quod praedicitur ℣. 40. non esse regnum Romanorum, sed Seleucidarum, h. e. diversa regna, quae ex alexandrino orta sunt, & omnium gravissime ecclesiam iudaicam afflixerunt. Iun. & Tremell. ad h. l.

Deut. 33, 2.] Sensus verborum est: Dei nubes e Sinai, Sehire, & Pharane montibus profecta, (ad eos enim diutissime commorati sumus) nobis per arabicas solitudines iter facientibus interdiu dux fuit, noctu autem igne celesti nobis datum est profectionis signum

Ps. 72, 10. *Schebae & Sebae, populorum Arabiae*] Scriptura 4. populorum meminit *Sebae* nomine: nam totidem gentium conditores recenset Moses. Primus, fuit Cuschi filius; secundus, nepos ex Rhegma, Gen. 10, 7. tertius, filius Ioctanis, ℣. 28. quartus, filius Ioksanis, nepos Abrahae, Gen. 25, 3. Primi nomen per ס, reliquorum per ש scribitur. E primis tribus nati populi, commerciis: & ex quarto, latrociniis dediti. Primus & secundus e Chami stirpe: tertius & quartus e Semi posteris. Primus, secundus & quartus mari persico, tertius arabico propior fuit. Hinc Plinius l. 6. c. 28. *Sabaei propter thura clarissimi, ad utraque maria porrectis gentibus.* Nam 4. hi popu-

hi populi, quantumlibet diversi, sub uno tamen *Sabaeorum* nomine continentur. Et inde etiam fuit Regina Sabae, in evangelio dicta *regina austri*, (alias appellata regina Aljeman) quae venit visitatum Salomonem. Bochart. tom. I. Oper. p. 128. Venit autem ex urbe *Marab*, quae & *Saba*. Id. p. 133. Subiiciam etiam schema partium mundi, iuxta sententiam Ebraeorum, cur dictae fuerint *anterior*; *dextra*, *sinistra*, *posterior*: ferunt enim, ut indicat Buxtorf. in Lexico p. 665. Adamum fuisse creatum facie versus ortum disposita: hinc oriens dicitur קדם *anterior*; meridies, quam ad dextram suam habebat Adamus, ימין *dextra*; septentrio, qui ei ad sinistram erat, שמול *sinistra*; & occidentis regio, quae tergo eius imminebat, אחור *posterior*.



III. *Alcoranum esse librum divinum*, & inter alia hoc apparere ex styli iucunditate & artificio, itemque ex sententiis moralibus, quae sanctitatem vitae requirunt. ℞. Styli elegantia sive maiestas non reddit librum aliquem divinum, sed maiestas rerum divinarum, i. e. Deo & hominibus, Dei amantibus, dignarum. Sed haec non occurrit in Alcorano, quin potius turget ille propriis laudibus, sibimet contradicit, vera, quae ex V. T. adducit, pervertit & vitiat, nullam observat seriem & ordinem, habet emendata & castigata, mutilus est magna ex parte, multa continet sibi invicem contraria, tradit mendacia, fabulas & figmenta, immo etiam spurca quaedam, foeda, improba; ad saevitiam & crudelitatem

tatem

tatem bellicam instigat discipulos suos, nec ullo vero miraculo eius doctrina fuit comprobata. Vid. Hoornb. Summa controvers. p. 120. & seqq. Et ipse Mahommed a suis habitus fuit pro homine stulto, mendace, vagabundo, praestigiatore, mago, daemoniaco. Id. p. 111. Sententiae autem morales etiam apud gentiles occurrunt. Ecquam bellae amabo, sententiae morales in Alcorano sunt de divortio, polygamia, & peccato contra naturam?

Alcoranum] Haec vox est arabica, & significat emphatice *scripturam*, τὴν γραφὴν, die Schrifft: *al* enim est articulus, & *coran* scripturam denotat, seu lectionem. Capita continet 114. & secundum latinam versionem 124. quorum alia inscribuntur *Meccensia*, alia *Medinensia*, quod partim Meccae, partim Medinae ea sibi tradita esse autor dixit. Quae capita, *Suratas* appellantur. *Multa* hoc opus *debet Cabbalistis*, ut Hackspan. observat in appendice ad Lipmanni Nizachon. de Vsu scriptor. rabbin. p. 245. & 265. *In varias quoque linguas conversum est*. De quo vide Hoornb. S. C. p. 78. Wagenseilii Confut. carm. Lipm. 47. Rod. Mart. Meelführeri Prodromum Germ. orient. p. 1. & dissert. de Fatis erudit. or. §. 9. Henr. *Sike* promisit Coranum cum vers. lat. & comment. nec non scholiis utriusque Gialaloddini. Specimen coranicæ versionis in cap. 19. latine verso ac annotationibus illustrato exhibuit Sebast. Gothofr. Starckius; integer autem Alcorani textus in latinum fuit translatus, primo omnium a *Roberto retinensi* & *Hermanno dalmata*, Petri abbatis cluniacensis hortatu ad opus hoc excitatis: quae versio exstat in volumine scriptorum coranicorum, quod edidit Theodor. Bibliander Basileae A. 1543. & nuper a Lud. *Marraccio*, cum ejusdem notis & refutatione Patavii 1698. f. Prodiit etiam italice; ad quam versionem Joh. *Schweigger* germanicam suam adornavit; sicut belgica translatio, quæ A. 1698. Roterodami lucem adspexit, ex gallica Andreæ *Du Ryer*, & ex belgica anglicana enata est. Atque is, qui Noribergæ A. 1664. iterum nobis dedit germanicam, cum appendice de hodiernorum Christianorum in Græcia vita, religione & statu, sine dubio Schweiggerianam resuscitavit. Rarissima autem in Germania

nia avis est arragonica *Johannis Andreae*, ex patria, in qua mahommedismo innutritus, sacerdotem & iuris turcici interpretem egerat, Mauri dicti: quam latine reddidit, atque A. 1595. Islebiae edidit Joh. Lauterbach, sub titulo *Commentarii de bello suscipiendo contra Turcas, & Confusionis sectae mohammedanae per J. Andream*, is nempe, qui etiam reliquit *Carmina gratulatoria* ad Maximilianum II. Imp. & in eiusdem coronationem *Epigrammata*, libellum *de Principe christiano*, libros II. *Viatoris christiani*, *Aenigmata*, tractatum *de Armis & Literis*, ubi de praecedentia militis & doctoris, disputationem *de Bonis ecclesiasticis*, utrum recte possideantur a laicis, & orationem seu consilium *de Bello Turcis inferendo*. Autor Religionis Medici sic de eo scribit: *Alcoranum turcicum* (*nec hoc ex praeiudicio scribo*) *indigestum quiddam est, & incompositum, erroribus ineptiis & cum philosophia pugnantibus, impossibilitatibus, figmentis, & nugis plusquam ridiculis refertum, manifestis & apertis sophismatibus, ignorantia politiae, demolitione academiarum, eruditionisque omnis relegatione defensum, armisque solum & violentia propagatum.* Cum quo consentiunt Hotting. in Histor. or. & Langius de Fabul. mahomm. quorum hic in promtu habet dissertationes de variis Alcorani editionibus & versionibus europaeis, gratas orbi erudito sine omni dubio futuras.

Nullam observat seriem & ordinem) Prima libri stamina, diversis auctoribus, illita fuerunt palmarum foliis, quaepost mortem Mahommedis Abubecer & Othmann colligere & colligare sunt annisi, nulla plane habita ordinis & temporis ratione. Lang. p. 71.

Styli elegantia] Quae in Alcorano est, versatur potius circa regulas grammaticas, quam rhetorices praecepta. Sed & illa Abubecero tribuenda est. Id. p. 72.

Item *viam ad felicitatem aeternam in Alcorano monstrari*, nempe *per bona opera*, quum docent, unum coeli terraeque creatorem esse colendum orationibus, & proximum iuvandum eleemosynis, easque bestiis etiam esse impendendas, & denique hominem ieiuniis & aliis sanctis exercitiis, puta crebris lotionibus, se ipsum expiare debere w. Bona opera, ut fructus verae fidei, & ut a Mose, Prophetis, Christo & Apostolis

Apostolis praescribuntur, sunt sane via ad felicitatem aeternã, non autem, prout a Mahommede commendantur: nam cultus Dei nullus est, si ipsum non agnoscas aeque redemtorem ac creatorem: & talis adorandus est, qualem se patefecit. Eleemosynae etiam ab impiis fieri possunt. De ieiunio idem esto iudicium. Caeterum non bestiis, sed hominibus destinatae sunt eleemosynae: quanquam nec crudeliter tractandae sunt bestiae, aut alimentatio & cura debita ipsis subtrahenda. Crebrae lotiones non faciunt ad expiationem hominis, sed ad externam munditiem. Denique ieiunium Mahommedis est monstrosum. Hoornb. Summ. contr. p. 146.

IV. *In divinis non esse trinitatem*, quia 1. unus sit Deus. 2. quia Deus simplicissimus. 3. quia Deo non sit uxor, ergo neque filius. 4. quia, si filius ex Dei intellectu, Spiritus S. ex eiusdem voluntate processit, secuturum sit, ut plures personae divinae nascantur ex aliis Dei attributis. 5 si tres sunt in divinis personae, metuendum, ne diffidium inter eas aliquando oriatur. 6. necesse est, ut Filius & Spiritus S. sint alterius a Patre naturae & essentiae, videlicet minoris. R. ad 1. Vnitas essentiae non repugnat trinitati personarum, quibus essentia illa est communis aeque, ut trinitas facultatum animae (ex hypothesi loquor) non adversatur eiusdem unitati, atque ut in uno eodemque sole sunt ignis, lumen cum calore, & flammae seu radii ignei. Vide Acta Hamb. in causa Horbiana tom. I. 569. Hohburgii Theol. myst. P. 1. p. 96. Ad 2. Simplicitas Deo tribuitur, quatenus ille omnis verae & realis compositionis, admixtionis, & accidentium expers est. Neque vero compositionem patitur per tres personas, vel una persona est composita ex essentia & proprietate personali, quia haec duo non sunt realiter diversa, sed realiter unum. Raupp. L. de Deo p. 23. Ad 3. Nimis crasse concipitur generatio

divina ad normam generationis humanae; ad hanc necessaria est uxor, non ad illam, quippe quae nihil aliud est, quam communicatio eiusdem essentiae: eaque absque omni imperfectione concipienda est. Fabricius Syst. theol. p. 134. Ad 4. Sententia & locutio ista est quidem nonnullorum Patrum & Scholasticorum, & post hosce etiam Phil. Melanchthonis aliorumque, non tamen omnium doctorum christianorum. Neque vero etiam illi *modum generationis divinae* ea voluerunt praecise determinare, sed mysterium aliquo duntaxat modo illustrare. Videatur iterum parentis mei Systema theol. p. 141. & Amoenit. theol. p. 410. Ad 5. Dissidium stultissime metuitur ab illis, qui ut essentia, ita & voluntate unum sunt, & in quos nulla cadit imperfectio. Ad 6. Immo necesse est, ut aequalem habeant naturam, qui unam & eandem divinam habent naturam. Caeterum turpissime errat Mahomed, quando Christianis monstrosam affingit trinitatem, quasi tres deos statuant, atque adeo uni Deo *adsocient* (unde etiam Christianos per calumniam vocant *associantes* seu *associatores*) Christum (merum hominem) & Mariam. Longe enim meliora ex symbolis & confessionibus 4. oecumenicorum conciliorum de sententia Christianorum constare ipsi potuisset ac debuisset, nisi homo fuisset rudis & illiteratus. Lang. de Fabul. mahom. c. 2. p. 36. 58. 64. 70. Fons autem huius erroris petendus est ex nestorianismo, quem ei propinavit Sergius monachus, haeresi ista infectus. Id. p. 73. & 77. Putabant enim Nestoriani, si Maria dicatur Θεοτόκος, *deipara*, eam deificari, neque *Christum Deum*, sed nudum hominem crucifixum esse.

V. *Christum non esse Deum*, quoniam absurdum sit, Deum habere uxorem, neque supra humanam sortem ponendos Christum & Mariam, quippe qui cibum comederunt,

ali-

alimentisque habuerunt opus. ℞. Praeter generationem humanam, ad quam opus est uxore, datur etiam divina, qua Deus Pater ab omni aeternitate eandem, quam habet, essentiam, absque ulla eius diminutione aut divisione, communicavit Filio. Et hic homo factus, aeque, ut Maria ipsius mater, cibum comedit. Quo non evertitur ipsius divinitas, de qua ipse testatus est e coelo Deus pater in baptismo Christi. Immo acceptamus confessionem Mahommedanorum, dicentium, in epistolis paulinis clare & diserte eius divinitatem legi: neque enim propterea earum autoritas, ut illi quidē faciunt, declinanda & elevanda est. Immo nec iuvat eos, quod scriptum extet, *Christum plorasse, ieiunasse, passum, mortuum & crucifixum esse, nescire horam supremi iudicii, non esse bonum aeque ut patrem, patrem ipso majorem esse, eundemque patrem glorificasse filium, & hunc optasse, ut transiret a se calix passionis:* Omnia enim haec secundum humanitatem de Christo intelligenda sunt.

Reliqua, in quibus a nobis dissentiunt Mahommedani, videl. circa *creationem, novissima, circumcisionem* &c. levioris sunt momenti, & vel non necessaria, vel aperte absurda, ut adeo iis recensendis & refutandis non opus sit impendere tempus & operam. Interim videri potest Hoornb. in Summa Controv. p. 1,3. Satius est, de mediis dispicere, quibus Mahommedani ad fidem christianam converti queant. Quamvis enim illis, ex Mahommedis lege, non liceat disputare, non tamen propterea desperandū de ipsorū conversione. Ad eam vero procurandam neutiquam suscipiendum est bellum, sed piis pertinacibusque precibus Dei auxilium implorandum, morum nostrorum in melius formatio facienda, studium linguae arabicae (ad cuius feliciorem promotionem Alcoranus ad exemplum Marraccii, arabice *Leviora.* *Media conversionis Mahommedanorum*

& cum exacta versione latina, ac iusta refutatione publicari deberet, ut & *Suna*, aliique libri, qui proximam ab Alcorano obtinent auctoritatem) quam diligentissime exercendum, in academiis aut alibi seminaria condenda eorum, qui apti reddantur ad missiones in Turcorum terras sustinendas: apti autem erunt, si non modo sciverint, quid & quomodo proponere debeant, sed etiam si vitae probae & inculpatae vere studiosi fuerint, cum nihil magis officiat conversionis successui, quam improba convertentium vita, praecipue apud Mahommedanos, qui in externa morum disciplina Christianis saepe sunt meliores & superiores. Si quae autem remanent aut oboriuntur in tanta re difficultates, eae firma in Deum fiducia, & masculo se pro aliis, ad Christi & Apostolorum exemplum, sacrificandi proposito, Deique auxilio devotis precibus impetrabili superandae sunt, ac superari possunt. Facilior etiam cum Persis, quam cum Turcis, hac in parte agendi ratio est ac via, eo quod Turcis sunt humaniores, magisque dociles & tractabiles Erasm. in adag. *Dulce bellum inexpertis*, p. 858. Mart Bellius in praef. libelli Germ. de Haereticis p. 14. Sam. Schultet. de Eccl. muh. p. 45. Georg. Calixt. in Orat. de populis a nobis in relig. dissident. convertendis p. 73. Hoornb. p. 167. Crenius in praefat. in Helvici Elench. iud. p. 38.

Morum nostrorum formatio] Haec, ceteris paribus, potiores partes obtinet in conversionis negotio respectu tam convertendorum, quam convertentium.

Studium linguae arabicae.] Ad quod utile erit *Franc. a Mesquien Meninski* Lexicon turcicum, arabicum, persicum, cum Grammatica turcica, Viennae 1680. in fol. *Aut alibi*] Vt in monasteriis.

Apti reddantur ad missiones] Ad has etiam requiritur, ut mittendi addiscant mathematica, unumque aut alterum opificium vel artem, quo sub opificum aut artificum schemate possint vitam suam

suam tolerare, & sensim sine sensu opus conversionis inchoare.

Suna) vel *Zuna*. Est liber de dictis & factis Mahommedis, quem ex 200. Doctoribus VI. electi composuerunt. Hoornb. p. 89. Sic *Testamentum Mahommedis* (in favorem Christianorum a Mahommede compositum; si non suppostitium est. Vide Hoornb. p. 82.) a Joh. Fabricio, dantiscano, fuit editum cum versione.

Prudentia quoque adhibenda est, ne videlicet id, quod nonnulli statuunt & credunt, omnibus sine discrimine imputemus. Sic ea, quae de paradiso circumferunt, impropie accipienda esse, apud Guadagnolum Asmed persa tradit. Et *complura id genus alia ex Alcorano possent afferri*, ut scribit iudiciosus aeque ac candidus Hackspan. in tractatu Lipmanni Nizachon subiuncto, p. 348. quandoquidem, ut Iudaei, ita & Mahommedani portenta sententiarum a se amoliri satagunt, & sub figura rerum corporalium, sensum mysticum latere aiunt perhibentque. *Cautela observanda.*

Quae de paradiso, impropie] Proprie autem haec intelligi, Christiani plerumque credunt: interque eos Hoornb. p. 160. 189. Hottinger Hist. or. p. 127. Lang. de Fab. mahomm. p. 74.

Scripta autem islamismo seu religioni turcicae opposita, praeter illa, quae Bibliander Alcorano latino praemisit & subiunxit, sunt, *Theodori* abucarae (qui vixit seculo 9.) liber seu dialogus contra Saracenos; *Samonae*, archiepiscopi gazaei, (sec. 11.) disceptatio cum Hamed (vel Achmed) saraceno super veritate corporis & sanguinis Christi in sacramento eucharistiae, quae exstat in tomo 18. Bibliothecae Patrum maximae; *Euthymii* zigabeni secul. 12. Panoplia adversus omnes haereses; *Petri* blesensis Instructio fidei ad Soldanum Iconii; *Nicetae* choniatis (sec. 13.) Thesaurus orthodoxae fidei; Iacobi *A Vitriaco* liber contra Saracaenos; *Thomae* aquinatis explicatio quorundam articulorum contra Sara- *Scripta Mahommedanis opposita.*

Saracenos, quae locum habet in eius operum tomo 17. Raymundi *Martini* Pugio fidei contra Iudaeos & Mauros; *Richardi* florentini (sec. 14.) ordinis augustiniani, Confutatio legis saracenicae; Raymundi *Lullii* Disputatio cum Homerio saraceno; *Gennadii* seu Georgii scholarii (sec. 15.) Via salutis; *Iohannis cantacuzeni* Christ. assertio contra mahommeticā fidem; *Aeneae Sylvii* (*Piccolominei*) epistola 310. ad Machometem principem; Iohannis *Andreae*, mauri, Confusio sectae mahommedicae; Petri *De la Cavalleria* (sec. 16.) Zelus Christi contra Iudaeos, Saracenos & infideles, cum glossis Mart. Alphonsi *Vivaldi*; Dominici *Lopezii* liber de S. Script. auctoritate; Philippi *Guadagnoli* (sec. 17.) Apologia pro christiana religione; Alex. *Rossi* liber anglicanus de cavenda Alcorani lectione; I. Henr. *Hottingeri* Historia orientalis; Ioh. *Hoornbeeckii* Summa controversiarum; Matth. Frid. *Beckii* Notae ad Alcoranum; Wilh. *Schickardi* praefatio ad Tarich; Sam. *Sculteti* disp. de Ecclesia muhammedana; Iean *Despagne* dans le Proselyte mahommetan; Ludov. *Marraccii* Refutatio Alcorani; Bernh. *Perezii* Antialcoranus; I. Mich. *Langii* differt. de Fabulis mahommaedicis. Huc etiam pertinent scripta hactenus inedita, nominatim Wilh. *Schickardi* Paradisus saraceno-iudaicus, & Deus orbus Saracenorum, ac Ioh. Henr. *Hottingeri* Commentarius de Religione mahommedica, item Theatrum mahommedicum. Plures auctores reperies in praefat. Prodromi Marraccii, & Casp. Calvöri Fissuris Sionis p. 1166. Nec praetereundum silentio, quod in elencho Mahommedanorum pro solidissimo agnoscat Hottingerus in Bibliothecar. p. 407. *Wallichium*, cui ille quidem Vlrici, G. M. König autem in Biblioth. V. & N. p. 861. Iohannis Henrici praenomen assignat.

Quae

Quae Bibliander Alcorano latino praemisit & subiunxit] Praemisit *Lutheri* ad Alcorani lectorem Praemonitionem; suam ipsius pro editione Alcorani Apologiam; *Petri*, abbatis cluniacensis, Summulam quandam brevem contra haereses & sectam diabolicae fraudis Saracenorum: subiunxit autem *eruditi cuiusdam & recentioris scriptoris*, qui alicubi citat Nicolaum cusanum, Annotationes in Alcoranum; in tomo secundo, Lud. *Vivis* de Mahomete & Alcorano ipsius Censuram; *Volaterrani* excerptum de Mahometo eiusque legibus & Saracenorum rebus; Hier. *Savanorolae* Commentatiunculam, Mahometanorum sectam omni ratione carere; Disputationem *Christiani* eruditissimi, qui diu versatus est apud principem Saracenorum cum magna dignatione, & saraceni, sodalis ipsius, adversus doctrinam & flagitia Mahumetis; Nicolai *de Cusa* Cribrationem Alcorani; *Richardi*, fratris ord. Praedicatorum, Confutationem legis a Mahumete Saracenis latae; & in tomo tertio epistolam *Pii* papae II. ad Morbisanum, Turcarum principem, qua, ostensis mahumetanae sectae erroribus, ipsum admonet, ut, relicta illa, veram solidamque legis evangelicae eruditionem amplexetur.

Richardi Confutationem legis saracenicae] Quae per *Demetrium* cydonium in linguam graecam translata, (& haec versio exhibetur in voluminis bibliandrini tomo 2.) per Lutherum autem in germanicam. Quam translationem reperies in tomo 8. eius operum german. ienensium.

Ioh. Andreae] De quo supra, pag. 90. Et Voetius testatur in Biblioth. studiosi theol. p. 710. *eum breviter & optima methodo oppugnationem Alcorani instituisse, & fuisse supra omnes in mysteriis istius sectae versatissimum.*

Dominici Lopezii liber] De quo vide supra, pag. 23. & C. Vossii orat. apolog. p. 61.

Phil. Guagdagnolus] Hackspanius in tractatu de Vsu scriptor. rabbin. p. 343. ait de huius libro, *se eo adversus Mohammaedistas meliorem non esse conspicatum.*

Perezii Antialcoranus] Vide Bailleti Antiana, tom. 2. p. 302.

Scripta inedita Schickardi] Quorum quidem editionem promisit Matth. Esenwein.

N *Hottin-*

Hottingeri] Sicut ipse eorum spem fecit in Thesauro philolog. in Historia orientali, & in Bibliothecario p. 388.

ANNOTATIO

ad pag. 42. & 53.

QVod pag. 42. dictum est de *ortu Mischnae & Gemarae*, id non nisi a referentibus dictum esse intelligatur; sunt enim verba auctoris ibi citati, qui asserti sui rationem, si danda est, dare tenetur. Nostra autem sententia, quae & Buxtorfii est de Abbreviat hebr. pag. 229. exstat heic pag. 70. & in Amoenit. theolog. p. 395. Similiter id, quod p. 53. de *vasis seu instrumentis secundi templi* memoravimus, *κατ' ἄνθρωπον* dictum esse memineris, nempe contra Iudaeos ex ipsorum sententia, quam refert Galatinus lib. 4. de Arcanis cath. verit. c. 9. p. 210. Alioquin hac de re, itemque de V. illis rebus, quae defuerint templo secundo, respective legantur Esdras c. 1. & seq. Franzius de Sacrificiis disp. XI. §. 35. Buxtorf. in Lex. mal. p. 2397. Lightfoot in Matth. 3, 17. Ioh. 2, 21. & Disquisit. chorograph. Iohanni praemiss. c. 6. §. 4. Hackspan. & Ioh. Olear. in Esdr. 2, 63. & Lundii Jüd. Heiligth. p. 202. & 392. edit. A. 1701. in fol.

CON-

CONTROVERSIAE
CVM
SOCINIANIS.

ANtequam ad examen Catecheseos Socinianorum accedamus, dicendum nobis est aliquid de eorum denominatione, dogmatibus, antecessoribus, discrimine ab Arianis, & modo contra eos disputandi.

Enimvero *Sociniani* dicuntur a *Laelio & Fausto Socinis*, Nobilibus senensibus, qui seculo vixerunt sexto & decimo, quorumque ille huius fuit patruus, & Mariani Socini IC. filius, natus anno 1525. graece & hebraice doctus, & cui amicitia intercessit cum viris doctis, eoque tempore celebribus, Calvino, Zanchio & Phil. Melanchthone. Scripsit hic Laelius *Explicationem* in 1. caput Iohannis; nec non *Dialogum* adversus Calvinum de Haereticis iure gladii coërcendis. Explicationem illam primus refutavit Zanchius, omisso auctoris nomine, cuius rationem dat in praefat. libri de 3. Elohim. Vbi etiam refert, quomodo Laelius sententias suas novas dissimularit coram se & aliis, nec aperte illas & ut asserens proposuerit, sed ut disputans & interrogans, quasi qui informari & doceri vellet. Hinc etiam Phil. Melanchthon pro eo intercessit apud Bohemiae & Poloniae Reges, ut horum nomine Legati vicem Venetiis obire, eaque ratione paternam here-

Socinianorum denominatio.

hereditatem, ob consvetudinem cum Protestantibus in Germania interclusam, adire tutius liceret. Tandem Laelius vitam mortalem deposuit Tiguri A. 1562. aetatis 37. Hoc tempore Faustus, natus A. 1539. iuvenis erat 23. annorum. Audita igitur patrui sui morte, ocyus perrexit Tigurum, non tam hereditatis adeundae, quae non nisi exigua esse poterat apud hominem exulem, quam librorum scriptorum recondendorum causa, ne illa in alterius manum venirent, & mysteria, quae Laelius presserat, iusto citius revelarentur: illum enim in colloquiis de Fausto gloriatum fuisse aiunt, quod post se omnia hic felicius mundo erudito esset ostensurus & explanaturus. Caeterum Faustus cum ista sua gaza seu hereditate in Italiam se recepit, XII. annos in aula magni Hetruriae Ducis haerens; anno autem 1574. relicta aula Basileam venit, ibique mansit per triennium. Postea in Transylvaniam secessit, & inde in Poloniam, ubi Luclaviciis, in pago, 9. circiter milliaribus a Cracovia dissito, supremum diem habuit A. 1604. aet. 65. postquam libros scribere coeperat ab anno 1577. hoc est, 27. annis ante mortem, quorum catalogus recensetur tum ab Hoornbeeckio in Apparatu Socinianismi confutati, tum a Christoph. Sandio in Bibliotheca Antitrinitariorum, iidemque exhibentur in tomo 1. Bibliothecae Fratrum Polonorum, quos *Unitarios* vocant, quae Irenopoli (h. e. Amstelodami) prodiit in fol. A. 1656. Vide etiam vitam Socini ab Eq. polono descriptam.

Dogmata Socinianorum. Sunt inter nostrates, qui, ut Hoornbeeck. in Summa controversiar. relig. lib. VII. p. 570. dogmata Socinianorum colligere, & oculis legentium quasi in brevi tabella exponere studuerunt. Haec autem iis fere solent tribuere, quod doceant,

1. S. scripturam passim sibi contradicere. 2. Scriptores sacros in re-

in rebus minoris momenti, historiis videlicet aut circumstantiis, errare potuisse, immo actu interdum errasse. 3. Libros quosdam V. T. esse deperditos. 4. Textum originalem varie corruptum esse. 5. Temporibus N. T. parum interesse, an quis V. T. legere dignetur, nec ne. 6. Scripturam S. sine speciali & interna, h. e. extraordinaria illuminatione Spiritus S. in iis, quæ cognitu ad salutem sunt necessaria, intelligi posse. 7. Philosophiam esse scripturae interpretem. 8. Rationem esse proprium controversiarum theologicarum principium. 9. Hominum cordibus non esse innatam Dei notitiam. *Socin.* Praelect. theol. c. 2. nec ex rebus creatis divinam existentiam colligi posse. *Ostorod.* Instit. l. 1. 10. Religionem christianam non constare, nisi 2. partibus, *praeceptis* nimirum & *promissionibus* divinis; quibus tertiam nonnulli addunt, videlicet *minas*. 11. Non esse articulos fidei, qui per consequentiam ex locis scripturae deducuntur, sed illos duntaxat, qui in scriptura extant verbis conceptis. *Smalcius* in Refutat. disp. Graueri de Sp. S. 12. Aeternitatem divinam habere partes, & successionem temporum secundum prius & posterius. 13. Deum non esse immensum, omnipraesentem, aut infinitum, sed tantum in cœlo per suam omnipotentiam gubernare. 14. Deum non praescire futura contingentia, & omnia singularia. *Socin.* in Praelect. theol. c. 11. 15. Attributa divina in casu recto non esse ipsum Deum, sed accidentia, & realiter tam a Deo, quam a se invicem distingui. *Goslav.* in Refut. Keckermanni, part. 1. c. 5. 16. Dei praescientiam rebus praescitis necessitatem inferre. *Socin.* Praelect. c. 8. 17. Nomen *Dei* sua natura in casu recto non esse proprium, sed appellativum, adeoque aliis praeter Deum convenire posse. *Socin.* contra Wuiec. c. 6. 18. In Deum cadere affectus, diversosque motus voluntatis. 19. Mysterium Trinitatis pugnare cum recta ratione, & manifestam contradictionem involvere. *Ostorod.* Instit. c. 4. 20. Angelos, & materiam aliquam primam, condita esse ante primum hexaëmeron, quo omnia fuerunt creata. 21. Adamum non esse creatum cum iustitia originali. *Smalc.* de Vero Dei filio c. 7. *Socin.* de Statu primi hom. c. 4. 22. Imaginem divinam unice sitam esse in dominio super bestias. 23. Posteros Adami non nasci cum

peccato originis. *Socin.* de Statu primi hominis c. 10. p. 363. 24. Mortem non esse poenam peccati, sed hominem, etiamsi non peccasset, nihilominus fuisse moriturum. *Socin.* Prael. c. 15. 25. Hominem ex se & sua natura posse bene operari, utpote instructum libero arbitrio, etiam in spiritualibus. *Socin.* Praelect. c. 14. 26. Mulierem, etiamsi non peccasset, nihilo tamen secius cum dolore fuisse parturam. 27. Iustitiae originalis carentiam, quae a lapsu primi hominis provenerit, non connasci infantibus. *Smalc.* contra Franz. disp. 2. 28. Pronitatem nostram ad malum, non esse ex primo Adami peccato, sed unice ex frequentibus peccatorum actibus. *Socin.* in lib. quod Regni Poloniae & Lituaniae Evangelici suo se coetui adiungere debeant c. 5. 29. Deum voluisse & decrevisse aliqua peccata, quatenus illa sint aliorum peccatorum poenae. 30. Motus primo primos, prorsus non esse peccata. 31. Hominem ex viribus naturalibus verbo Dei assentiri, & in Christum credere posse. *Socin.* Praelect. c. 12. 32. Christum propterea dici *Dei filium*, quia miraculose a Spiritu S. sit conceptus. 33. Mariam non fuisse ex stirpe davidica, sed solum Iosephum. *Smalc.* de Divinit. Christi. 34. Christum a nativitate sua non semper habuisse omniscientiam. 35. Christum non extitisse ante, quam ex Maria nasceretur. 36. Christum non esse verum Deum, nec habere divinam naturam; attamen *Deum* in scripturis vocari, partim ex supra allata ratione, partim quia a Deo magnam potentiam accepit. 37. Christum per 40. illos dies, quibus ieiunasse legitur, in coelos fuisse sublatum, ut de doctrina hominibus proponenda, erudiretur. 38. Christum nihil esse, quam Legatum Dei patris. 39. Spiritum S. non esse personam. 40. Spiritum S. non esse verum Deum, sed tantum virtutem Dei. 41. Christum in N. T. exigere impletionem decalogi perfectiore modo, quam in V. T. eaque fini legem Mosis certis quibusdam additionibus complevisse; & speciatim quidem I. Praecepto addidisse praeceptum de precibus secreto ad Deum dirigendis: formulam orationis dominicae; mandatum de invocando & adorando Christo: mandatum de vitandis non solum sculptilibus, sed ipsis locis, ubi sculptilia coluntur, & non participando ex iis, quae idolis sunt consecrata. II. Praecepto addidisse, ne quis temere iuret: licite

licite autemiurari in Christi nomine. III. Praecepto nihil addidisse, sed docuisse tantum, id esse ceremoniale, nec obligare Christianos, adeoque in N.T. prorsus abrogari posse. IV. Praecepto addidisse, quomodo magistratus erga subditos, uxor erga maritum, dominus erga servum, pater erga liberos, & commutatis vicibus subditi erga magistratus &c. se gerere debeant. V. Praecepto addidisse mandatum de diligendis inimicis: item proximo non esse irascendum: cum nemine rixandum: illatam sibi iniuriam non esse vindicandam. VI. Praecepto addidisse, inter adulteria referri debere, si quis alterius uxorem cum prava duntaxat concupiscentia aspexerit: polygamiam esse illicitam: repudium nisi in casu adulterii dari non posse: vitandam esse quamvis scortationem, quamvis impuritatem, quasvis contrectationes, aut quosvis gestus impudicos. VII. Praecepto addidisse prohibitionem de ardore habendi, aut plus acquirendi, quam quibus indigeas; si autem plus nactus fueris, erogandum id in pauperes. IIX. Praecepto addidisse prohibitionem de iudicandis aliis, item de omni etiam levissimo mendacio, deque omni detractione, calumnia, censura. IX. & X. Praecepto addidisse, quod ne quidem concupiscentia illa, qua ferimur interdum in proximi bona, debeamus delectari; omnemque praeterea concupiscentiam in actu primo esse prohibitam. 42. Christum his praeceptis moralibus decalogo comprehensis, & tanta accessione auctis, superaddidisse alias adhuc leges morales, v. g. de cruce tollenda, de abnegatione sui ipsius, de imitatione Christi. 43. Sacerdotium Christi fuisse mere figurativum, inque eo positum, quod is nostri curam gesserit, porroque gerere velit. 44. Christum in coelo proprie loquendo pro nobis non orare. 45. Dogma de satisfactione, prout a Trininitariis exponitur, in SS. literis non fundari. 46. Peccata nobis a Deo citra satisfactionem remitti posse, actuque remitti. 47. Christum esse mediatorem tamen nostrum, tanquam internuntium. 48. Redemtionem nostri, quam per Christum factam esse in scripturis dicitur, esse mere metaphoricam. 49. Christum propria virtute ex mortuis non resurrexisse. 50. Christum post sui glorificationem, in coelo carnem amplius & sanguinem non habere. 51. Fore aliquando finem regni Christi. 52. Sub-

iectum regenerationis esse solos adultos. 53. Pugnare inter se haec duo: *Nos gratia Dei servatos esse*, & tamen *Christum nobis salutem meruisse.* 54. Passionem & mortem Christi nobis non imputari. 55. Christum varia fuisse perpessum, ut nobis exemplum patientiae relinqueret. 56. Christum hac passione sua neque pro peccatis nostris fecisse satis, neque obedientia sua vitam nobis aeternam promeruisse. 57. Patres V.T. per fidem in Christum venturum non fuisse salvatos. 58. Hominem coram Deo per fidem iustificari, h. e. per obedientiam propriam, & praeceptis Christi praestitam. 59. Fidem in Christi sanguinem poni non oportere. 60. Non omnia peccata ex se & sua natura esse mortalia. 61. Hominem etiam non renatum posse bona opera praestare. 62. Dari homines tam perfectos, ut prorsus non peccent. 63. Fidem non esse partem, sed consequens poenitentiae. 64. Vniversalem ecclesiam posse interire. 65. Festa Sanctorum non esse celebranda. 66. Vocationem ad officium ecclesiasticum non requiri. 67. Baptismum non esse verum sacramentum, aut organon regenerationis, nec a Christo praeceptum, sed ritum quendam externum temporarium, & ad nostra tempora non pertinentem, adeoque rem indifferentem. 68. Paedobaptismum esse lusum prorsus puerilem. 69. Eucharistiam sumi, tantum in memoriam passionis dominicae, non vero in confirmationem aut obsignationem gratiae ac fidei. 70. Fractionem panis necessario requiri in legitima administratione S. coenae. 71. Indignos non accipere corpus Christi. 72. Coenam sumendam esse accumbendo, non deambulando, aut geniculando. 73. Magistratui christiano non licere delinquentes interficere. 74. Polygamiam patrum V. T. non fuisse peccatum. 75. Idem numero corpus non esse resurrecturum. 76. Christiano homini non licere plus appetere, aut possidere, quam quod exigit necessitas. 77. Consensum primitivae ecclesiae, Patres, Concilia, nullius esse autoritatis. 78. Deum creaturam sibi in quibusdam aequare posse. 79. Christum in regimine ecclesiae, Patre superiorem esse. 80. Deum cultum adorationis conferre posse alicui creaturae.

Atque haec quidem Socinianis, tanquam propria eorum dogmata tribui solent; quamvis nonnulla eorum minime haere-

haeresin sapiant. Nos autem longe rectius & securius ambulabimus, si, quid illi sentiant, ex ipsorum Catechesi, tanquam libro symbolico, cognoscere studebimus.

Non primi fuerunt ambo illi Socini, qui Christum inficiati sunt summum esse Deum, atque adeo Trinitatem personarum divinarum sustulerunt, sed iam a multis seculis reperti etiam sunt alii, idem dicentes ac docentes. Nempe seculo I. *Cerinthus*, & *Ebion*; sec. II. *Carpocrates* & *Artemon*; sec. III. *Beryllus*, Bostrae in Arabia episcopus, *Noëtus*, *Sabellius*, *Paulus samosatenus*, episcopus antiochenus; sec. IV. *Arius*, presbyter alexandrinus; *Photinus*, Sirmii in Pannonia episcopus, *Macedonius* episcopus CPtanus, qui omnes Christum pro nudo homine habuerunt, ultimus autem Spiritus S. cum Patre ὁμοουσίαν negavit. Horum dogma seculo a N. C. decimo sexto, circa reformationis tempus, resuscitavit Mich. *Servetus*, natione hispanus, professione medicus, editis VII. libris de Erroribus Trinitatis, in quibus inter alia docuit, unam tantum in deitate esse personam, quam scriptura modo *Patrem* appellet, modo *Filium*, modo *Spiritum S.* nullam in Deo esse generationem realem, adeoque nec Christum Dei filium proprie loquendo, nec Patri ὁμοούσιον. Spiritum S. nihil esse nisi vim quandam & virtutem Dei; *personae* vocem in hoc articulo esse ridiculam, nec rectius aliunde, quam ex comoediis explicari posse; Mosen fuisse impostorem &c. *Socinianorum antecessores.*

Cerinthus] Haeresin in Asia disseminavit, Christumque ex Iosepho & Maria natum, pro nudo homine iustitia & prudentia excellente habuit. Contra quem Iohannes in evangelii sui initio divinitatem Christi asseruisse dicitur. Irenaeus l. 3. c. 3. & Eusebius l. 3. c. 28. tradunt, eum e ruina balnei, e quo Iohannes ante egressus fuerat, interiisse. Philastrius in Catal. haeret. p. 31. statuit, Cerinthum successisse errori Carpocratis. Nec abludit ab hac sen-

tentia

tentia Epiphanius in Panario, haer. 28. Sed Chronologi Cerinthum plerique faciunt antiquiorem.

Ebion] Epiphanius in Panar. haer. 30. putat, nomen hoc esse proprium, ipsique a patre suo & matre in baptismo inditum, cumque ait fuisse samaritanum, & ab Elxaeo pseudopropheta multa hausisse. Sectatores autem eius, Ebionaei videlicet seu Ebionitae, derivare illud nomen amabant ex lingua hebraea, in qua אביון significat *egenum, pauperem*; & rationem appellationis hanc dabant, illum sponte in se paupertatem suscepisse, positis ad pedes Apostolorum omnibus bonis suis, ut divenderentur, & in usum pauperum adhiberentur. Epiphanius falsam nominis interpretationem adfert, dicens, illos utique Ebionaeos seu inopes dicendos esse, sed inopes mente, & spe, & opere, utpote qui Christum nudum hominem arbitrentur, atque sic in fidei inopia spem de se ipsi habeant.

Carpocrates] Epiphanio *Carpocras* dictus, alexandrinus, philosophus ante platonicus, Iesum ex Iosepho & Maria genitum pro nudo homine habuit, sed qui virtute insignis fuerit, & puram habuerit animam, memoremque suae cum ingenito consuetudinis.

Artemon] Eatenus iudaicam Ebionitarum perfidiam imitatus est, quod Christum docuit non plus esse, quam hominem, nec prius extitisse, quam ex Maria nasceretur; sed speciosius tamen commentum suum reddidit, dum admisit, illum natum esse ex virgine, Deo per absolutam potentiam suam, masculini concursus defectum supplente. Cum Cerinthus & Ebion carnali plane modo Christum a Iosepho & Maria generatum fuisse somniarent.

Beryllus] Itidem negavit, Christum *θεότητα ἰδίαν* propriam divinitatem habuisse, solam vero Patris in eo extitisse asseruit. Cluverius in Geograph. collocat *Bostram* in Arabia petraea.

Noëtus] Praxeae haeresin instaurans, Epiphanioque *ἀνόητος* appellatus, unam tantum in deitate personam, variis nominibus appellatam statuit.

Sabellius] Afer. Eundem cum Noëto errorem fovit, S. Trinitatem negans, & tria duntaxat nomina, P. F. & Sp. S. agnoscens. Hinc est, quod Noëtiani etiam dicti fuerint *Sabelliani*.

Paulus samosatenus] Haeresin Sabellii amplectens, Filium Dei non

non λόγον ὑποστατικὸν, sed προφορικὸν, nudumque hominem fuisse docuit. Complices eius παυλιανισταὶ, *Pauliani* & *Paulistae*, item ϑεοκτόνοι, κυριοκτόνοι, ἀρνησίθεοι dicti sunt.

Arius] Alexandri episcopi aemulus, negavit, ἴδιον λόγον i.e. filium Dei ab aeterno fuisse. Ἦν ποτε, ὅτε οὐκ ἦν, crebra eius vox erat. Ideo illum ἐξ οὐκ ὄντων sive ex nihilo ortum dicebat, ac adeo negavit esse συναΐδιον καὶ ὁμοούσιον, coaeternum & eiusdem essentiae cum Patre.

Photinus] Homo loquacissimus, Christum pro nudo homine habuit, negans, eum ante nativitatem ex Maria extitisse. Fecit ergo cum Samosateno & Sabellio.

Macedonius] Arianismum fovens, negavit, Spiritum S. Patri esse ὁμοούσιον. Eum enim vel *creaturam* appellavit, vel ἐνέργειαν τοῦ ϑεοῦ, *virtutem Dei*. Sectatores eius πνευματομάχοι dicti sunt.

Servetus] De quo, suasu Calvini, Magistratus genevensis supplicium sumsit.

Quamvis Ariani & Sociniani in eo conveniant, quod utrique negant Christi & Spiritus S. divinitatem, in hoc tamen remanet notabilis differentia, quod Sociniani cum Photinianis dicunt, Christum non fuisse ante, quam e Maria nasceretur, &, si in scripturis appelletur *Deus* vel *Deus verus*, aut *Deus magnus*, id fieri metaphorice, seu eo sensu, quo alias idem in scripturis dicatur *vera lux*, *vera vitis*. Ariani autem docebant, non nisi unum dari Deum, vere ac proprie & in rigore ita dictum, atque hunc ab aeterno quidem fuisse Deum, factum autem esse Patrem in tempore, cum nempe Christum filium suum produceret; Filium autem hunc productum esse ex nihilo, ἐξ οὐκ ὄντων, ante mundi & omnium creaturarum exortum, factumque a Deo patre esse Deum, ut eo, tanquam instrumento, reliqua omnia crearentur. Vide I. Fabricii Syst. theol. p. 98. *Discrimē Arianorum & Socinianorum.*

Qui positive confutare volunt Socinianos, eos cavere sibi oportet, 1. *ne argumentis ex lumine naturae petitis myste-* *Modus disputandi*

memores simus, affirmanti incumbere probationem, nec audeamus negative probationem in nos suscipere. 3. Similiter, quando dicunt, *Hoc vel illud involvere contradictionem*, satius erit, maioris propositionis, ex lumine naturae petitae, probationem exigere, eamque, si idonea non sequatur probatio, prorsus negare, quam ad eam limitando respondere.

Ne argumentis ex lumine naturae petitis] Quoniam talia non sunt sufficientia & idonea ad probandum, eo quod in rerum natura non datur exemplum, quod sit simile mysteriis nostris.

Damascenus] Demonstratio Damasceni huc redit: Q. est unus & solus Deus, is necessario habet verbum. Deus pater est talis. Porro: Si Deus habet verbum, erit hoc intime subsistens, sine principio & fine ab ipso productum, vivens, absolutum, non extra ipsum, sed in ipso manens. Atqui verum est prius. E. Amplius: Qui tale habet verbum, is habet sui ipsius verbum, ex se genitum, h. e. filium sibi ὁμοίσιον. Deus pater habet tale verbum. E. Sed in his omnibus sunt merae petitiones principii: certe primam maiorem homo sibi relictus nunquam admittet. Quamvis enim nos ex mysterio Trinitatis doceamur, actus personales in Deo, v. g. paternitatem & filiationem, esse necessarios, de iis tamen philosophus nullam habet notitiam. Praeterea minor primi syllogismi supponit, dari Deum, qui sit revera Pater, adeoque & habeat Filium, cum relata se invicem ponant. Sed quis philosophorum hoc concedet, praesertim si sermo sit de tali paternitate, per quam ab aeterno Deus filium sibi ὁμοίσιον genuerit? Idem pro existentia & divinitate Spiritus S. sic fere argumentatur: Si verbum ab homine prolatum habet spiritum, tunc & verbum Dei habet spiritum. Sed verum est prius. E Porro: Si verbum Dei est aliquid subsistens, & tamen habet spiritum, sequitur, & spiritum illum esse aliquid subsistens. Atqui verum est prius. E. Sed haec sunt παραλογισμοί, non vero demonstrationes a priori, ex lumine naturae petitae.

Lullius] Hic pro divinarum pluralitate personarum sic argumentatur: Si bonitas finita in causa est, cur bonum aliquod finitum de se na-

se naturaliter producat aliud bonum finitum, sequitur, bonitatem infinitam in causa esse, ut bonum aliquod infinitum, scil. Deus, naturaliter ex se producat aliud bonum infinitum. At verum est prius. Consequentia probatur: quia bonitas infinita non est minoris actualitatis, potestatis & nobilitatis, quam finita. Porro: Q. bonum a Deo producitur, illud est Deus, quia non dicitur infinitum, nisi Deus. Atqui bonum aliquod infinitum a Deo producitur. E. Ad haec: Si Deus aliud infinitum produxit, a se quidem, nec tamen per essentiam distinctum, sequitur, quod differant tantum, ut suppositum a supposito. Atqui verum est prius. E. At in primo syllogismo falsum est antecedens. Vnde enim probabitur, bonitatem (intellige moralem) in causa esse, quod ens sive bonum aliquod metaphysicum omnes perfectiones sibi debitas habens, entitatem illam suam alteri communicet, & necessario ac naturaliter ex se producat aliud bonum sive ens? Per bonitatem autem Lullii, intelligendam esse moralem, non naturalem, inde patet, quia naturalis bonitas in operando ad unum est determinata, adeoque causam impulsivam proprie nullam admittit. Secundum Lullii argumentum hoc est: Q. est actus purus, aeternus & infinitus, is agit aeterne & infinite, aeternum & infinitum. Atqui Deus est talis. E. Porro: Qui agit aeterne & infinite, aeternum & infinitum, is producit aliquid aeternum & infinitum, h.e. Deum. Deus est talis E. At qui sequitur, Deus est actus purus & aeternus. E. Producit aliquid aeternum & infinitum?

Keckermannus] Sic argumentans: In qua essentia est perfectus intellectus, reflexus in se ipse, & perfecta itidem voluntas, in se ipsa reflexa, in illa est imago genita, & spiritus impetu voluntatis procedens. At in una simplicissima essentia divina &c. E. Sed quis non videt, maiorem illam homini sibi relicto esse prorsus obscuram & inexplicabilem? Immo ille potius iudicabit, contradictionem involvere haec duo, essentiam aliquam esse simplicissimam, & tamen in ea aliam personam produci per intellectum, aliam per voluntatem.

Mornaeus] Qui monstrare conatur ex naturae lumine, in una essentia divina tres hypostases sive personas subsistere.

Ne ex

Ne ex scriptis Platonis] Vt Claudianus Mamertus seu Mamercus, qui lib. 2. de Statu animae c. 7. hoc nomine Platonem vehementer commendat, quasi qui Trinitatem noverit, & professus fuerit. At vero quis credat, Gentibus quam Iudaeis clarius fuisse revelatum hoc mysterium? Nec desunt, qui Virgilii testimonium pro Christo afferre conantur, eumque putant in ecloga IV. aliquid ex libris sibyllinis fuisse imitatum ab hoc versu:

Vltima cumaei venit iam carminis aetas, usque ad istum:
Aspice, venturo laetentur ut omnia seclo.

Cum tamen auctor argumenti huius eclogae doceat, poëtam in ea genethliacum canere Salonii, filii Asinii Pollionis, germanici exercitus Ducis, eo detorquentem, quae Sibylla de futura aurei seculi felicitate cecinerat. Legendus autem de carminibus sibyllinis est Casaub. Exerc. 1. ad Baron. Annal. n. 18. & Wagnerus, prof. tubing. in Inquisitione in oracula sibyll. de Christo.

A similibus, ut ab anima] Sicut anima hominis est una, & tamen generat sermonem, & ratiocinationem, ita in divinis sunt tres personae eiusdem essentiae. Meisn. Phil. S. part. 1. p. 748. Gerh. Exeg. p. 338.

A sole] Quemadmodum unus est sol, qui radium habet & lumen, suntque in sole adeo tria, ignis, radius & lumen, nec tamen dicimus, tres soles, sed unum; ita in divinis sunt tres personae.

Sermone nostro] Duae sunt origines sermonis nostri, una ex anima, quando ea cogitat sermonem, altera ex corpore, quando ore sermo profertur: ita duae sunt generationes filii Dei, una ex Deo patre, quae prima dicitur, altera ex carne, quae secunda. His argumentis usus est Gennadius, patriarcha CPtanus, in Dialogo Turcum inter & se instituto, sed inconvenienter & inefficaciter.

Ferro candente] Quemadmodum in ferro candente, calor ferrum intime ac penitus penetrat atque inhabitat, & cum eo est coniunctus, ita duae naturae in Christo coniunctae sunt, & divinitatis proprietates coniunctae & communicatae Christo homini. Sciendum autem de omnibus his & talibus similibus, ea quidem illustrare, sed non probare.

Ne argumentis ex solo V. T. depromtis] Quia non adeo stringunt, & adversarii facile invenient, quod, si non vere, tamen valde probabili-

babiliter regerant & opponant. Sic si mysterium Trinitatis probare velis (1) ex constructione verbi singularis cum nomine pluralis numeri, Gen. l. 1. ברא אלהים respondent, esse enall. numeri quae & alias, & extra doctrinam huius mysterii occurrat, sicut videri queat in Grammatica Buxtorfii, p. 433. immo & usurpari talem locutionem Iud. 16, 23. 24. de Dagone, deastro Philistaeorum. (2) Si ex voce pluralis num. אלהים seorsum considerata, & cum certis attributis constructa: dicunt, non tamen inferre praecise Trinitatem: immo & similia vocabula adhiberi de uno in plurali, ut Gen. 24, 9. *Et posuit servus ille manum suam sub femore Abrahami* אדניו *domini sui.* (3) Si ex forma sermonis, qua Deus se ipse loquatur in plurali, *Faciamus* hominem, *Descendamus*, *Confundamus* linguas: regerunt, id fieri more Principum, qui de se in plurali magnifice loquantur. (4) Si ex hac loquendi forma, *Pluit Dominus a Domino*: aiunt, frequentissimum esse Hebraeis, loco pronominis ponere antecedens nomen. (5) Si ex verbis novissimis Davidis: *Dixit vir, cui constitutum est de Messia, egregius psaltes in Israël: Spiritus Domini locutus est per me, & verbum eius per labia mea processit*, 2. Sam. 23. 1. non agnoscunt, Messiam esse verbum illud, quod ex Davidis ore processit, vel spiritum Domini esse personam, a Deo eiusque verbo distinctam, vel hos tres unum esse Deum. Et quando Lutherus hoc agit in Comment. super illa verba, sciendum, eum non disputare contra Iudaeos, Photinianos, & similes, sed agere cum fidelibus, iubare N. T[ti] collustratis. (6) Si ex trisagio angelico, Ies. 6. *sanctus, sanctus, sanctus*: reponunt, esse pleonasmum, & ita vocem interdum duplicari, interdum triplicari, ut, *Gladius, gladius acutus est*: *Terra, terra, terra, audi vocem Domini.*

Et quidem claris, omnique maioribus exceptione] Nam delectus dictorum est faciendus, ne numero pugnemus, sed pondere.

Nisi apud eos duntaxat, qui illam recipiunt.] Non enim omnes antiquitatem aestimant, aut admittunt.

Anim-

Animadverſiones
in Catecheſin Racovienſem.

Catecheſis Eccleſiarum polonicarum, unum Deum patrem illiusque filium unigenitum, Ieſum Chriſtum, una cum Spiritu ſancto, ex ſacra ſcriptura confitentium] Catecheſis haec primitus appellabatur Racovienſis a loco impreſſionis, quoniam primum impreſſa fuit Racoviae in Polonia. Poſtea vero titulum nacta eſt *Catecheſeos Eccleſiarum Polonicarum*, quae *Vnitariae* dicuntur. Earumque iuſſu correcta ac dimidia amplius parte aucta, atque per Ioh. Crellium, hinc Ionam Slichtingium, ut & Mart. Ruarum, ac tandem Andr. Wiſſowatium, Bened. Wiſſowatium, nec non anonymum quendam F. C. recognita, atque emendata, notisque cum horum, tum & aliorum illuſtrata fuit. Editio haec prodiit Stauropoli (i. e. Amſtelodami) A. 1684. in 8. Quam & nos deinceps ſequemur. Dictae Catecheſeos reformatio Fauſto Socino una cum Petro Statorio demandata fuit, ſed non videntur eam perduxiſſe ad finem, dum uterque non longe poſt e vivis abierunt. Itaque labor iſte per Val. Smalcium & Hieron. Moſcorovicum continuatus eſt. Et Smalcio quidem germanicum, Moſcorovio autem latinum idioma debet Catecheſis iſta Slichtingii editio exiit A. 1665. Wiſſowatii in 8. A 1680. in 4.

Impreſſa fuit Racoviae] Anno 1609.

Anonymum quendam F. C.] Forte *Floriſanum Cruſium*, D. Med. & Wolzogenii affinem, quem aiunt omnium Socinianorum fuiſſe excellentiſſimum philoſophum.

Pag. 1. Religionem chriſtianam diſcere poſſumus *ex SS. literis, praeſertim N. T^ti*] Haec additio, *praeſertim N. T^ti*, nititur illa ſententia, quam habent Sociniani de libris V.T. quod videlicet

licet non tanti sint aestimandi, ac libri N. T. Sic enim scribit F. Socinus in tract. de S. Script. autoritate c. 1. *Utilis quidem ob plures caussas est lectio V.T. iis, qui Novum recipiunt, id est, hominibus christianae religionis, sed non tamen necessaria.* Sed huic obstat, quod christianus iudaeo, N. T. non recipienti, demonstrare nequeat sine libris V. T. Iesum Nazarenum esse verum & a Deo promissum Messiam: quod Christus & Apostoli ex V. T. contra Iudaeos disputarint, Ioh. 5, 46. Act. 7, 13. & ad Rom. 9. ac 11. quod Christus scripturas, (utique V. T.) quippe quae de se testentur, scrutari iubeat, Ioh. 5, 39. quod omnia consummanda aiat, quae scripta sint de se per Prophetas, Luc. 18, 31. quod passionem, mortem, & resurrectionem suam ex Mose, Prophetis & Psalmis deducat, Luc. 24, 27. Hinc etiam Petrus scribit 2. ep. c. 1, 19. *Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes quasi lucernae lucenti in caliginoso.* Et Paulus ait Act. 26, 22. *Se nihil dixisse extra ea, quae Prophetae locuti sunt, futura esse.* Inde igitur necesse est, ut Pauli doctrina & scripta cum vaticiniis Prophetarum conferantur, uti fecerunt Berrhoënses, qui & hoc nomine laudantur Act. 17, 11. In novo quidem Testamento, fatemur, doctrina de Christo longe clarius est proposita, sed non tamen plane praeterita & omissa in V.T. Continetur enim ibi 1. in promissionibus de semine mulieris, caput serpentis contrituro, & de semine Abrahami, & Isaaci, in quo benedicendae omnes generationes, & similibus aliis. 2. in apertis Prophetarum vaticiniis de Christo. 3. in sacrificiis leviticis, quae autor epistolae ad Hebr. ut typos proponit. 4. in typis & figuris aliis, quas Christus ad se ipse applicavit Ioh. 3, 14. Matth. 12. 40. Proinde V. & N.T. non separanda aut divellenda, sed coniungenda sunt.

Scripta

Scripta veteris testamenti.] Discriminis inter canonicos & apocryphos V. T^{ti} libros non quidem h. l. mentionem facit Catechesis, aliunde tamen constat, quod Sociniani illud admittant. Sic Volckelius l. 3. de Relig. christ. c. 11. p. 69. *negat, ex apocryphis libris indubitatum veritatis argumentum peti posse.* Et ipsa Catech. in cap. 1. sect. 2. de via salut. p. 20. idem profitetur.

Pag. 5. *In rebus vero non magni momenti si depravatio aliqua existat, ea non tanti ponderis est, ut fidem totius libri ullo modo vocet in dubium.*] Capienda sunt haec verba de scriptis N T. quippe de quorum certitudine hactenus agitur, ut ex responsione ad quaestionem 1. pag. 1. videre licet. De libris autem V. T. agitur in quaest. ult. huius cap. p. 10. Caeterum quomodo id, quod hypothetice, non autem categorice dicit de depravatione unius forte & alterius scripti sacri, intelligendum sit, non male videtur peti posse e Ioh. Volckelio, qui lib. 10. de Vera relig. p. 378. autoritatem sacrarum literarum tam V. quam N. T. earumque integritatem pro virili probat asseritque, & p. 380. sic progreditur: *Non desunt autem, qui* multos veterum monumentorum locos corruptos atque adulteratos esse *affirment. Sed hoc ipsum non ita est in promtu, quin evidentissima egeat probatione: quam sane unde isti sint petituri, dispicere neutiquam possum. Huc accedit, quod, si maxime corruptos esse constaret, nihil tamen id haberet virium, ad omnem illis autoritatem fidemque derogandam. Aut enim casu fortuitoque eam depravationem contigisse volumus, aut voluntario sceleratorum hominum facinore. Si illud verum est, nihil certe ponderis habere potest, ad universam veterem scripturam falsitatis arguendam; cum eiusmodi depravatio non nisi in rebus vel nullius, vel exigui momenti evenire soleat. Si vero altero modo aliqua incidit corruptio, profecto non nisi ad iuratos christiani*

 nominis

nominis hostes Iudaeos ea referri posset, penes quos perpetuo voluminum istorum custodia fuit. Minime autem veri simile est, illos alios locos adulterare cogitasse, quam quos Christo in crucem sublato, vitae restituto, inque amplissimo aeternae dignitatis gradu collocato suffragari viderunt. Verum cum veterum scriptorum veritas ex N. T. certitudine potissimum appareat, nihilque magni momenti illis comprehendatur, quod in hoc quoque scriptum non legatur, praesertim quod ad Christum pertineat, consequens est, illorum locorum depravationes nequaquam impedire posse, quo minus omnia, quae de I. C. perque ipsum parta salute scitu sunt necessaria, animo complectamur; multo autem minus efficere, ut in caeteris quoque rebus fidei, sacrae veteris foederis scripturae abrogetur. Et post pauca, p. 381. *Haec autem omnia non perinde a nobis disputantur, quasi Deum vigilantissimum animarum nostrarum custodem, saluti nostrae ita indormivisse putemus, ut istos locos corrumpi permiserit, deque fide sua, itaetiam omnibus seculis demonstranda, tam parum laboraverit: cum potius nil illi unquam antiquius fuerit, quam ut summam in hominum genus benignitatem, inque servandis promissis constantiam, omnibus testatam relinqueret: quarum utraque, sed inprimis posterior, vehementer obscurata & tenebris involuta fuisset, si sua de Christo promissa corrumpi ac depravari permisisset. Huc accedit, quod, qui Christo sunt dediti, omnia V. T. testimonia de sempiterna felicitate per Christum crucifixum humano generi tribuenda, & intelligant probe, & reipsa confirmata esse, exploratissimum habeant; tantum abest, ut ulla eorum facta sit depravatio.*

Pag. 11. *Fidem esse sufficienter in SS. literis explicatam, ex eo probatur, quod fides, quae in Deum & Christum collocanda est, nihil aliud sit, quam credere, eum esse, & esse remuneratorem eorum, qui illum quaerunt.*] Cum fide hac coniungit Catechesis charitatem seu obedientiam mandatorum Dei, quoniam videl.

credere

credere in I. Christum, Socinianis non est, veram animi fiduciam, quae nititur plena & perfecta solutione pro peccatis nostris per I. C. facta, in ipsum ponere, sed Deo confidere, eum & praestiturum, quae praemisit, & benefacturum iis, qui ipsi obediunt. Et hoc vocant *fidem in Christum*, tum quia Deus per Christum, tanquam legatum suum, ea nobis promisit, tum quia per Christum fidem illam in nobis efficit atque operatur, declarante sic Osterodo in Institut. c. 2. Hinc etiam Socinus scribit in l. de Servat. part. 4. c. 11. *Fides in Christum, quae nos iustos coram Deo constituit, nihil aliud est, quam Christo confidere, id est, non solum, quae Christus ad nos spectantia dixit, vera esse credere, sed etiam ea tanti aestimare, ut, si quid nos facere praecepit, id faciamus, si quid nos sperare iussit, id speremus, vel, ut significantius & apertius dicam, si quid boni nos, cum aliqua fecerimus, consecuturos esse affirmaverit, non modo id verum esse nobis persuadere, sed, ut bonum illud consequi possimus, ea facere non dubitare.* Similem in modum describitur fides in Catech. huius sect. VI. c. 9. Duabus igitur rebus, secundum Socinianos, constat fides, nempe 1. certo assensu, quod vera sint, quae Christus promisit. 2. obedientia mandatorum Christi, ut bona promissa consequamur. Et haec obedientia ipsis praecipua est pars fidei, quae hominem coram Deo iustificat. In hoc autem, ut nostrates aiunt, illi peccant, quod fidem in Christum, & obedientiam confundunt, & unam ponunt pro altera, cum tamen SS. literae obedientiam a fide, tanquam fructum ab arbore, distinguant, & *hominem dicant iustificari fide, sine operibus legis*, Rom. 3, 28.

Pag. 12. *Magnus est rectae rationis in rebus ad salutem spectantibus usus, cum sine ea nec sacrarum literarum autoritas certo deprehendi, nec ea, quae in illis continentur, intelligi, nec alia ex aliis colligi, nec denique*

 ad u-

ad usum revocari possint.] Ratio sane in se nobilissimum est lumen, sine quo homo neque divina neque humana recte percipere potest; unde & eorum intellectus non a brutis ratione carentibus, sed ab hominibus ratione praeditis requiritur: attamen cavendum est, ne rationem principia sua ad articulos fidei afferre, & ex iisdem contra fidem disputare patiamur. Si enim res fidei ideo non admittit pro veris, quia principiis suis repugnant, merito non est audienda ratio, quia res fidei non ex lumine naturae, vel ex ratione, sed ex revelatione SS scripturarum petuntur. Hanc ob causam fides dicitur esse *argumentum* ἔλεγχος) *non apparentium*, Heb. 11. Et de rebus fidei valet id, quod scribit Esaias c. 64, 4. & Paulus 1. Cor. 2, 9. *Oculus non vidit, auris non audivit, & in cor hominis non ascendit.*

Pag. 15 *Perspicuam esse scripturam S. probatur 1. ex fine & consilio, quo Deus voluit scripturam hominibus dari, nempe ut ex ea voluntatem suam cognoscerent. 2. quia Apostoli epistolas suas ad homines simplices scripserunt.*] Non male quidem haec argumenta nectuntur ad probandam S. scripturae perspicuitatem, dummodo ea etiam dictis scripturae stabiliretur, qualia sunt Deut. 30, 11. Ps. 19, 9. 119., 105. coll. cum ℣. 104. 2. Pet. 1, 19.

Pag. 6. *Quae repersuntur dissidia in eruendo scripturae S. sensu, eorum licet aliqua oriantur ex obscuritate quorundam scripturae locorum, plurima tamen non scripturae difficultati, sed hominis vitio imputanda sunt. Aut enim homines scripturam negligenter legunt; aut cor non afferunt sincerum & pravis cupiditatibus solutum; aut animum non habent a praejudiciis liberum; aut divinum auxilium eo, quo par est, studio non implorant; aut denique linguarum inscitia, quibus SS. litera primum conscriptae sunt, laborant.*] Bene est, quod Catechesis inter adminicula eruendi sensus scripturae S. etiam *auxilii divini*, id est, doni Spiritus S. faciat mentionem: quamvis enim Spiritus S. extra verbum non illuminet hominem interne, eum tamen per

verbum

verbum illuminat, ut voluntatem Dei in verbo revelatam percipiat, cum alias homines sibi relicti, in rebus fidei coeci & surdi deprehendantur: Simul autem, ac ductum Spiritus S. in verbo sequuntur, ecce, coeci videre, & surdi audire incipiunt, adeo ut sine hac Spiritus S. illuminatione verbum Dei homini sit obscurum, immo mera stultitia, nec is possit illud intelligere. 1. Cor. 1, 8.21. & c. 2, 14. Viderit ergo Ostorodus, quomodo cum his conveniat id, quod scribit in Institut. c. 1. *Eos omnes periculose errare arbitramur, qui non quemvis scripturas adsequi posse existimant, sed quosdam tantum certos homines, qui hoc donum prae caeteris a Deo habent, vel quod scriptura S. sine praecedente illuminatione interna & peculiari revelatione Spiritus sancti, nullo modo fidem & obedientiam in homine operari possit.* Certe salutaris notitia rerum in scriptura contentarum, sine interna Spiritus sancti illuminatione haberi & exerceri non potest.

Pag. 17. *Doctorum usus in hoc consistit, ut hominibus ad salutem necessaria proponant & inculcent, ut eos ad illa, quae semel agnoverunt, tenenda & servanda stimulent; denique ut in difficilioribus etiam percipiendis eosdem adjuvent.*] Non negamus, Doctorum in ecclesia usum, ad ea, quae hic indicantur, se extendere; sed & hoc addendum fuerat, eosdem esse organa Spiritus S. per quae ille veram Dei agnitionem, verum verbi intellectum, fidem, conversionem & salutem, in cordibus auditorum operatur, sicut legimus 1. Cor. 3, 5. 4, 14. Eph. 3, 8. 1 ad Tim. 4, 16.

Pag 18. *Viam, quae ad immortalitatem ducat, esse a Deo patefactam, inde constat, quia homo non tantum morti obnoxius est, sed ne viam quidem, qua eam effugiat, & quae ad immortalitatem certo ducat, per se ipsum invenire potuit.*] Ad hoc probandum, ante omnia opus est dictis scripturae: qualia sunt Ioh. 1, 18. Matth. 11, 27. 1. Cor. 2, 11. Quod ultimum quidem adducitur a Catechesi p. 22.

Ab initio homo mortalis creatus fuit, id est, talis, qui non solum natura sua potuerit, sed etiam, si naturae suae relinqueretur, non potuerit non mori, licet divino beneficio semper in vita conservari posset.] Immortalitas aeque, ac impassibilitas, corporibus protoplastorum a nobis tribuitur, tanquam aliquid, in quo imago Dei secundario resplenduit. Immortales autem fuerunt (quae sunt verba Hildebrandi in Theol. dogmat. c. 9. §. 27.) non simpliciter & absolute, sed *secundum quid*. Sublata erat mors, quoad necessitatem & actum moriendi, sed non quoad potentiam. *Potuit homo ita se gerere, ut necessitatem moriendi declinaret; sed & ita se gerere potuit, ut incurreret, & potentia aliquando in actum prodiret*, ex re & vero G. Calixtus in tract. de Pactis th. X. scribit. Quin & iamdudum B. Meisnerus in Anthropol. S. *immortalitatis modos* IV. posuit. Primus est a se ipso, & a nemine dependens. Et hoc modo solus Deus immortalitatem habet, 1. ad Tim 6, 16. Secundus est naturalis segregatio a materia. Et hoc modo immortales sunt angeli & anima rationalis. Tertius, quum manente materia moriendi, potentia cessat. Et hac ratione beatorum & damnatorum corpora erunt immortalia. Quartus, quum non materia tantum, sed & moriendi potentia remanet, ita tamen, ut nunquam ea actuetur, si homo recte se gerat. Atque ita immortales erant primi homines. Disp. 1. §. 43.

Pag. 19. *Quando Gen. 1, 26. scribitur*, hominem ad imaginem Dei esse creatum, *sciendum est, imaginem significare potestatem hominis & dominium in omnes inferiores creaturas, quae ratione & arbitrio ei concesso utitur.*] Dominium in alias creaturas, fuit quidem particula imaginis divinae homini concessae, sed non praecipuum illius imaginis, multo minus id, in quo unice constiterit imago divina. Id quod inde constat, quod dominium illud, quanquam non parum debilitatum, post lapsum residuum mansit, ut Gen. 9, 2. dicitur ad Noachum: *Terror & tre-*

mor

mor vester sit super cuncta animalia. Praecipue autem constitit imago divina, in divina, quantum in hominem viatorem cadere potuit, *sapientia*, & exacta creatoris & creaturarum *cognitione*, secundum illud Col. 3, 10. nec non *iustitia & sanctitate*, seu rectitudine morali, ad Eph. 4, 24.

Pag. 24. *Inter ea, quae ad naturam Dei pertinent, ad salutem cognitu sunt necessaria, quod Deus sit quod sit tantum unus, quod aeternus, quod perfecte iustus, perfecte sapiens, perfecte potens.*] Non tantum haec VI. capita ad salutem cognitu sunt necessaria, quum & Ethnici eorum notitiam habuerint, sed etiam alia quaedam, videlicet quis verus Deus, & quid sit, quod Deus habeat Filium, & quis sit ille, item in quo consistat verus Dei cultus: quamvis enim hic cultus ad naturam seu essentiam Dei nostri non pertineat, iis tamen, qui salvari cupiunt, eius cognitio necessaria est, ne incidant in ἐθελοθρησκείας, quibus Deus frustra colitur, ut Christus docet Matth. 15. 9.

Pag. 30. *Eorum, quae ad salutem vehementer utilia sunt, praecipuum est, ne in communem errorem incidamus, quo manifesta contradictione una Dei essentia esse statuitur, caeterum non unam, sed tres illius esse personas.*] Qui aliquid contradictionis, & quidem manifestae, arguere audet, is illud exacte cognitum habeat, necesse est. Ecquis autem est Socinianorum, qui Dei naturam & potentiam notitia perfecta se exhausisse ac tenere sibi persuadere possit? Immo si difficile est, in naturalibus dicere, hoc vel illud implicat contradictionem, eo magis difficile profecto erit, eiusmodi quid de rebus supranaturalibus & rationem nostram longissime transscendentibus ac superantibus pronunciare. Vt adeo a temeritatis nota abesse non possint, qui se statim ad contradictionis accusationem convertunt, circa quam potius deberent esse cautissimi parcissimique.

Pag. 31. *Tribus numeratis personis, tres essentias individuas eodem modo*

modo numerari, necesse est.] Huc recidit argumentum Catecheseos: Vbi sunt 3. subsistentiae, ibi sunt tres essentiae. Atqui, ex sententia Trinitariorum, in divinis tres sunt subsistentiae. Ad quod nonnulli respondent, limitando maiorem, hoc modo: Vbi sunt 3. subsistentiae, *quae habent esse absolutum*, ibi sunt 3. essentiae. Et sic concessa maiore negant minorem, quae haec est: Atqui in divinis sunt tres subsistentiae, quae habent esse absolutum. Hanc enim aiunt esse falsam eo, quod subsistentiae in divinis consistant in paternitate, filiatione & processione, atque adeo habeant esse relativum, non absolutum. Et sane communis est Scholasticorum sententia, *essentiam* in divinis constitui conceptu positivo, *personas* autem conceptu relativo, seu, quod idem est, subsistentias, per quas personae formaliter constituuntur, esse relationes. An autem hoc adeo certum sit, ut super eo articulus fidei fundari possit, non immerito dubites, 1. quia etiam inter Scholasticos reperti fuerunt viri docti, qui cum Iohanne de Ripis docuerunt, personas divinas constitui per proprietates absolutas. 2. quia ne illi quidem Scholastici, qui pro relatione pugnant, inter se satis conveniunt, quum alii velint, personas divinas non constitui per relationes ipsas, sed tantum *per origines relationum*, ut Bonaventura & Marsilius ab Ingen.; alii, non per origines relationum, sed ipsas *relationes*, ut Thomas de Aquino; alii, ut Ioh. Capreolus, Franciscus ferrariensis, & Ioh. de Rada, *per relationes, sed sub ratione absoluta*, non relativa. 3. quia Scotus eiusque asseclae, Iohannis de Ripis sententiam profitentur esse probabilem. Melius igitur tutiusque est, si respondeas ad allatum argumentum negando, quam limitando maiorem. Nam si maiorem limitatam concedis, 1. periculo te exponis, ubi Ioh. de Ripis, aut alius

alius, probaverit, personas in divinis esse absolutum quid, non relativum. 2. Solidam evidentemque rationem dare cogeris, cur tres relativae subsistentiae multiplicationem essentialiter non importent, quod tamen fiat in absolutis. Si vero eam negas, adversarii autem probant ex eo, quod in rebus naturalibus & finitis, multiplicatis subsistentiis, essentiae multiplicentur, nec in tota rerum natura detur exemplum dissimile, tunc idem est, ac si sic argumentarentur: Q. subsistendi virtus nulli essentiae finitae in tota rerum natura competit, illa etiam non potest competere essentiae infinitae. Haec autem probatio non est sufficiens: nam si ista maior est falsa, Q. operandi virtus in nullam potentiam finitam cadit, illa nec cadit in infinitam, falsa quoque erit haec maior: Q. subsistendi virtus nulli essentiae finitae competit, illa etiam non competit essentiae infinitae; sicut enim se habet potentia ad posse, ita etiam se habet essentia ad esse. Si ergo a potentia finita ad infinitam non valet consequentia, non valebit etiam consequentia ab essentia finita ad essentiam infinitam: adeoque, ut dictum, recte negatur consequentia primi allati argumenti, nec opus est, eam limitare, atque sic periculo & oneri probandi se exponere.

Pag. 31. *Unam esse personam divinam, probatur, 1. ex Ioh. 17, 3. ubi Iesus ait:* Haec est vita aeterna, ut cognoscant te (*Pater*) illum solum verum Deum.] Argumentum hoc esset: Quicunque in cit. loco dicitur verus Deus, ille etiam est summus Deus. Atqui solus Christi pater in cit. loco dicitur verus Deus. E. solus Christi pater est summus Deus. ℞. 1. Argumentum habet vitium in forma, quandoquidem in 1. figura, ex minore exclusiva non recte infertur conclusio exclusiva. Sic etiam non sequitur: Omne grunniens est

quadrupes. Soli sues sunt grunnientes. E. soli sues sunt quadrupedes. Causa vero istius rei haec est, quod propositio exclusiva affirmantem & negantem in se continet, e.g. si dicitur, *Solus homo est rationalis*, sensus hic est: Homo est rationalis, & Q. non est homo, non est rationale. In prima autem figura minor debet esse affirmans. Iam si propter minorem exclusivam in tali figura occurrit etiam conclusio exclusiva, tunc negatio minoris vim suam exerit, & quatenus negans est, concurrit ad inferendam conclusionem ex parte negantem, quum conclusio sequatur partem debiliorem. Quodsi autem minor quidem exclusiva est, sed conclusio a signo exclusionis libera, tunc in formam non peccatur eo, quod minor, non quatenus negans, sed quatenus affirmans est, ad illationem conclusionis cooperatur. Ita recte concluditur: Omne latrans est irrationale. Solus canis est latrans. E. canis est irrationalis. Neque in Socinianorum argumento quoad formae bonitatem desiderari quid, sed totum illud concedi posset, si hunc in modum concluderet: *Ergo pater Christi est summus Deus.* 2. Si maxime argumentum non laboraret vitio formae, minor tamen negatur, quia in loco Iohannis citato particula *solus* est exclusiva exclusi praedicati, non vero exclusi subiecti: neque enim ibi dicitur, quod solus pater sit verus Deus, sed quod pater sit solus ille verus Deus. Quo non obstante, recte etiam dicitur: Filius est ille Deus, qui est solus ille Deus.

Excipiunt: (1) Quoties vox *solus* adhibetur ad subiecta alia a communione praedicati excludenda, tunc subiecto, non autem praedicato additur, immo si maxime post subiectum steterit, ad id tamen non pertinet. Et hoc quidem loco vox *solus* adhibetur ad alia subiecta, nempe idola gentilium, a communione praedicati, quod est verus Deus, excludenda, atque adeo valide hinc potest concludi: Ergo idola gentilium, quia non sunt pater Christi, non sunt Deus.

R. Haec

℞. Haec regula non est perpetua: potest enim vox *solus* vel subiecto praeponi, vel praedicato, & tamen alia a communione praedicati excludere subiecta. Caeterum quod in hac propositione, *solus pater Christi est verus Deus*, excluduntur idola, id fit per accidens, & speciatim vi materiae, secundum quam ex falsis praemissis interdum vera infertur conclusio. Ita, ex ipsorum etiam Socinianorum confessione, falsa haec est propositio, Solus pater Christi est adorandus, & tamen inde sequitur haec vera conclusio: *Ergo idola, & sancti homines demortui non sunt adorandi.* Item: *solus pater est noster servator.* Et nihilominus inde recte concluditur: *Ergo B. Maria, & reliqui Sancti non sunt servatores.* Quodsi autem propositio sic intelligitur, *Pater est ille Deus, qui solus est verus Deus*, tunc etiam inde excludi possunt idola, h. m. Q. non est ille Deus, qui est pater, is non est verus Deus. Atqui idola non sunt ille Deus, qui est Pater. Ergo.

(2) Si exclusiva *solus* non pertinet ad vocem *Pater*, sed vocem *Deus*, hic est sensus propositionis: *Pater est ille Deus, qui solus est verus.* Neque enim vox *Deus* bis exstat in textu. Quum autem hoc loco *verus* non significet *veracem*, sed rei falsae aut falso creditae opponatur, inepta erit haec propositio: nam hoc sensu non Deus duntaxat est verus, sed omnes etiam creaturae sunt verae; immo *verum*, est attributum entis, ac Metaphysica docet, *omne ens esse verum*, i. e. habere cum nostro intellectu conformitatem. ℞. Conced. illam propositionem, quam sibi fingunt, esse falsam. At ex nostra explicatione sensus ille non resultat, sed potius haec inde formanda est propositio: *Haec est vita aeterna, ut cognoscant te, nempe Patrem, illum Deum, qui solus est verus Deus.*

(3) Sic fit inanis verborum repetitio, & nulla urgente necessitate tam subiectum, quam praedicatum bis ponitur; perinde

ac si quis Christum alloquens ac dicens, *ut agnoscant te solum verum Christum*, sic exponere vellet: *Vt agnoscant, te esse illum Christum, qui solus est verus Christus.* R. Vsus plurium verborum, quem pleonasmum dicimus, non est insolens scripturae sacrae. Saepe etiam una vox & ad subiectum refertur, & ad praedicatum, ut Deut. 6,4. *Audi Israel, Dominus Deus noster, Dominus unus est.* Sed nec brevius loqui potuit Christus in loco praesente, quia propositio est exclusiva, adeoque exponibilis, & virtualiter in se continens 2. propositiones.

(4) Fac, esse hunc verborum sensum: *Pater est ille Deus, qui solus est verus Deus*, perinde tamen est, ac si dixisset: Solus pater est verus Deus. Sicut si dicam: *Christus est ille homo, qui solus est verus Messias*, id aequipollet huic enunciationi: Solus Christus est verus ille Messias. Similiter haec propositio: *Elias est ille propheta, qui solus igneo curru ad coelum subvectus est*, sensu exprimit istam: Solus Elias est propheta ille, qui igneo curru in coelum ascendit. Vnde formari potest regula hunc in modum: Quoties quippiam dicitur esse id, cui soli aliud quid insit, tunc idem est, ac si perhibeas, primo illi subiecto soli utrumque inesse. R. Haec regula non valet, nisi in illis propositionibus, ubi praedicatum est proprium subiecti, & consequenter reciprocum. Si autem subiectum est commune, & subiecto primo latius patet, ibi dicta regula adhiberi nequit. Instantiae allatae sunt prioris generis, adeoque unum pro altero, salva veritate, licet substituere, e. g. Messiam, seu salvatorem generis humani esse, Christi est proprium, adeoque reciproce dici potest: Q. est Christus, est Messias, & Q. est Messias, ille est Christus.

(5) Tales propositiones neque in scriptura S. neque apud autores bonae monetae reperiuntur. R. Quid absurdi est, si qua propositio semel occurrat in SS. literis? Ad haec, an omnes autores bonae monetae legerunt adversarii, &, si legerunt an pos-

an poſſibile eſt, ut omnes eorum phraſes in promtu habeant? Sufficit, quod tales loquendi formulae in familiari & quotidiano ſermone adhibeantur, ut quando medicus, ad differentiam auri potabilis adulterati, dicit: *Hic liquor eſt ſolum illud verum aurum potabile*, aut, *Hoc medicamentum eſt ſolum illud verum bezoarticum.* Vbi reciprocatio non habet locum.

Pag. ead. *Et ad Corinthios, ep. 1. c. 8, 6. apoſtolus ſcribit: Nobis unus (eſt) Deus ille pater, ex quo omnia*] Inde ſic colligunt: Si unus (ſolus pater) eſt Deus, ſequitur, filium non eſſe Deum. At verum eſt prius. E. Item: Si Paulus explicaturus, quis ſit unus ſeu ſolus Deus, neminem nominat niſi patrem, ſequitur, ſolum Patrem eſſe Deum, & non ſimul Chriſtum. Atqui verum eſt prius. E. ℞. Vox *pater* hic ſumitur eſſentialiter, quia reſpectu creaturarum ſic dicitur: quod indicant verba addita, *ex quo omnia*. Illo autem modo uſurpata vox *pater*, aeque ad Chriſtum pertinet, & Spiritum S. Neque unus ſeu ſolus Deus h. l. dicitur, niſi in oppoſitione ad eos, *qui vocantur dii*, ut textus habet, quales ſunt Magiſtratus & Angeli. Aut ſi perſonaliter ſumitur, non tamen excluditur Filius & Spiritus S. quia ſaepe, una perſona vel re nominata, non tamen excluſae intelliguntur aliae, ut exempla docent Act. 4, 7. 10. & c. 8, 16. ubi non excluditur nomen *Patris* & *Spiritus S.* Act. 16, 30. ubi non excluditur *fides in Patrem, aut Sp. ſanctum*, neque *confeſſio oris* & *bona opera*; 1. Cor. 2, 2. ubi non excluditur *notitia Patris & Spiritus ſancti*, vel *reſurrectionis, aſcenſus in coelum*, & *glorificationis.* Porro etiam diſtinguendum inter *explicationem accuratam*, plenam, perfectam, omnia exprimentem, nihil omittentem; & *vulgarem* ſeu non accuratam, qua res non tam explicatur, quam deſignatur & indicatur in epitome, per ſynecdochen, aut alio modo. Iam de priore explicati-

R 3 one

one vera est consequentia, sed falsa minor secundi argumenti. Immo Paulus, quis sit ille unus Deus, explicans, disertis verbis non solum Patris, sed ipsius etiam domini nostri I. C. mentionem facit.

Instant (1) Qui ab uno Deo patre distinguitur, ille non est summus Deus. Atqui Christus h. l. ab uno Deo patre distinguitur, quia Christus dicitur unus Dominus, per quem omnia. ℞. Christus a Patre distinguitur, ratione personae, non autem essentiae. Et quemadmodum Pater a dominio non excluditur, quod Christo asseritur, ita Christus non arcetur a divinitate, quae tribuitur Patri.

(2) Non recte is rem explicat, qui non modo tantundem, sed plus etiam omittit, quod ad rem explicandam pertinet, quam exprimit, & loco trium personarum, unam tantum commemorat. ℞. Hac ratione apostolus & alii scriptores sacri, similiter loquentes, reprehenduntur. Sic enim sequeretur, apostolum non recte explicuisse, quid Corinthiis praedicaverit 1. Cor. 2, 2. cum unius meminit I. C. crucifixi: plus enim omisit, quam expressit; omisit quippe Patrem, omisit Spiritum S. Christi nativitatem, vitam, miracula, resurrectionem, ascensum in coelum, sessionem ad dextram patris, secundum adventum; &c. omisit quoque ecclesiam, fidem, charitatem. Nec recte explicuisset Ioh. c. 20, 31. quem in finem scripserit evangelium, quippe qui ibi nec Patris meminit, nec Spiritus S. nec spei, nec charitatis, nec aliorum credendorum agendorumque.

(3) Si unus Deus & unus Dominus sunt unum idemque, tunc eadem res tautologice repetitur ab apostolo. ℞. Supposito, Patrem a Filio & Spiritu S. personaliter distingui, nulla est tautologia, si dicam: Pater est Deus, Filius est Deus. Porro tenendum, quod, etiamsi Dominus & Deus idem significent,

cent, tautologia tamen censeri non possit, si de iisdem per quandã appropriationem diversa dicuntur, ut de Patre, quod ex eo sint omnia, de Christo autem, quod omnia per eum.

(4) Vnum numero, ut Deus summus, de pluribus numero differentibus non potest praedicari. ℞. Concedimus, si unum numero sub aliqua specie praedicamentali positum intelligitur. At *Deus* tale est unum numero, ut sit supra omnia genera & species praedicamentales. Deinde distinguendum etiam est inter plura numero differentia: nam vel ita differunt, ut divisim existant, vel ut existant sine imperfectione divisionis. De hisce, at non de illis potest praedicari unum numero.

(5) Paulus non vult ostendere, unum esse Patrem, sed unum esse Deum, eumq; nominans Patrem, docet, nullum alium, quam illum, esse Deum. ℞. Concedo, Paulum ad quaestionem, utrum unus sit Deus, nec ne, respondere hoc loco. Ac docet quidem, unum tantum esse Deum: idque probat ex eo, quod nobis Christianis unus tantum est Deus, ex quo sunt omnia, & unus Dominus, per quem sunt omnia, I. Christus. Vnus Deus igitur sumitur ab apostolo duobus modis, 1. absolute, ut est commune Patri & I. C. exclusis omnibus idolis; 2. restricte, iuxta haec verba, *ex quo sunt omnia*; quomodo Patris sit proprium. Hinc autem sequitur, nullum esse alium Deum, nisi unum: Deus enim differt ab aliis omnibus entibus eo, quod est causa adaequata omnium entium creatorum; & haec necessario complectitur causam, ex qua omnia, & causam, per quam omnia. Iam si illa una est, & haec itidem una, utique una est causa adaequata omnium entium creatorum.

(6) Causa ex qua, & causa per quam, sunt duae causae. ℞. Sunt duae causae, si modus causandi, qui sequitur modum

dum existendi, spectatur; sed non sunt duae causae divisae, seu separatim existentes.

(7) Deus ille unus est tota Trinitas. Pater est Deus ille unus. E. Pater est tota Trinitas. ℞. Deus ille unus est tota Trinitas, adaequate. Pater est Deus ille unus inadaequate.

(8) Deus ille unus est Pater. Deus ille unus est Filius & Spiritus S. E. Filius & Sp. S. sunt Pater. ℞. Maior est singularis: si enim apponitur signum universale, h. m. Q. est Deus ille unus, ille est Pater, tunc falsa est. Vel ita limitetur: Deus ille unus, *ex quo omnia*, est Pater. Sic concessa maiore, negatur minor, quia Filius & Spiritus S. distinguuntur ut personae a Patre, per hoc, quod per eos quidem, non tamen ex iis sint omnia.

(9) Vox *Dominus* h. l. denotat eum, qui Deo summo aliqua ratione est inferior, eique in imperio subordinatus, adeo ut significet eum, per quem Deus ille summus omnia ad salutem hominum quoquo modo spectantia gubernat. ℞. Annon sensus verborum, *Nobis est unus Deus, Pater*, hic est? Nobis nullus est Deus κατ' ἐξοχὴν, praeter Patrem. Similiter igitur verba, *Nobis unus est dominus I. C.*, significant, nullum esse Dominum κατ' ἐξοχὴν, praeter Christum.

(10) *Per Christum omnia* dicuntur esse, quia ille media est causa omnium eorum, quae ad nos salutemque nostram spectant, quodque per eum omnia a prima illa rerum causa gubernantur ac dispensantur. ℞. Causa, *per quam omnia*, non est divisa aut separata a causa, ex qua omnia, sed ab ea tantum distinguenda modo causandi, & existendi. Quicquid enim ab imperante fit, id fit per λόγον, seu sermonem; & quicquid fit per sermonem, id ab imperante fit. Et media quidem causa est ὁ λόγος inter Patrem & Spiritum S. & inter Patrem & creaturas, sed non causa instrumentalis, neque causa secunda, sed una cum Patre & Spiritu S. causa prima & adae-

quata

aequata omnium, quaecunque Deus fecit & creavit. Et hinc appellatur κατ' ἐξοχὴν *Dominus.* Verba, *per quem omnia*, non de gubernatione accipienda sunt, quia 1. apostolus ea non sic restringit. 2. haec restrictio non convenit verbis superiobus, *ex quo omnia*: non enim solum gubernantur, sed sunt & facta sunt ex Deo patre omnia. 3. repugnat scopo apostoli, qui est, ostendere, non per alium quam Christum omnia creata esse. 4. repugnat etiam aliis scripturae locis, ut Ioh. 1, 3. 10. Heb. 1, 2. Eph. 3, 9. Col. 1, 16. Neque ista omnia, quae Christo tribuuntur, restringenda sunt ad ea, quae ad nos salutemque nostram spectant, quia apostolus non ita restringit; & verba, *ex quo omnia*, itemq; scopus apostoli obstant.

Ibid. *Et ad Ephesios*: Vnus est Deus & pater omnium, qui est supra omnia, & per omnia, & in omnibus. c. 4, 6.] Nimirum hoc inde formant argumentum: Si unus idemque nomine *Dei* & *Patris* indicatur, sequitur, neminem alium esse Deum, quam Patrem Christi. Atqui verum est prius, quia 1. apostolus de utriusque unitate iunctim loquitur, non distinctim. 2. Deum unum distinguit a Domino uno & Spiritu uno. ℞. Limitando maiorem: Si unus idemque nomine Dei & Patris, *Patris voce personaliter sumta*, indicatur &c. Sic autem limitata maiore, negatur minor, quia addita vox *omnium* ostendit, eum patrem dici respectu creaturarum: quomodo illa vox & Christo & Spiritui S. communis est. Si autem maior propositio intelligitur de patre, voce *Pater* essentialiter sumta, tunc illa falsa est, quia vox *pater* essentialiter sumta, toti trinitati competit, adeoque non repugnat, praeter primam personam, quae personaliter dicitur pater, alios quoque dari, qui sunt unus Deus, & simul patres, essentialiter sumto hoc vocabulo. Ad probationem alteram ℞. Distinctionem intelligunt vel ratione essentiae, vel ratione operati-

S onum

onum, vel ratione personarum. Si primum, id probent. Si secundum, id nobis non obstat, quum sensus huc redeat: Vnus est Deus, qui est Spiritus ille unus, a quo sumus vocati, & unus noster Dominus, qui nobis imperat iure eminentis dominii, & unus Pater, h. e. creator & conservator omnium. Si tertium, habemus, quod volumus.

Excipiunt (1) Pater quidem est dominus & spiritus κατ' ἐξοχὴν, at non est ille dominus, & ille spiritus, a quo distinguitur. ℞. Sit ita: sic etiam de Christo dicitur, (atque idem valet de Spiritu S.) eum esse Deum κατ' ἐξοχὴν, non tamen illum Deum, a quo distinguitur, h. e. Patrem.

(2) Admissa distinctione personarum, agnoscenda est divisio naturarum. ℞. N. C. id enim neque ex h. l. neque ulla ratione evinci potest. Immo e contrario hic locus postulat potius, ut 3. istas personas, absque naturae divisione, distinctas intelligamus: alioqui non *unus* esset *Spiritus* κατ' ἐξοχὴν, nec *unus Dominus*, nec *unus Deus*, sed duo, aut tres. Id quod verbis & scopo Apostoli repugnat. Hortari enim vult apostolus ad unitatem spiritus servandam per vinculum pacis, argumentis ductis ab unitate variarum rerum, quae fideles inter se colligare, ac in unum compingere debent quam arctissime, praesertim Spiritus, Domini, & Dei seu Patris. Quo ipso innuere voluit, summam intercedere inter Spiritum, Dominum & Deum patrem unitatem, ut eo ipso, quod uni eorum paremus & placemus, aliis duobus pareamus & placeamus.

(3) Nullum datur exemplum, quo *Spiritus* vel *Patris* nomen ad 3. personas extendatur. ℞. A significatione nominis *Spiritus*, Pater & I. Christus excludi nequeunt, quia uterque revera est spiritus: neque a *Patris* significatione Christus, parens omnium fidelium, vel Spiritus S. ex quo omnes nascimur.

(4) Spi-

(4) *Spiritus* nomen nunc ſimpliciter, nunc cum adiectione poſitum, & pro Spiritu S. ſaepiſſime poſitum legitur: at pro Patre & Filio nuſpiam. ℞. Non quidem pro Patre aut Filio praeciſe, ita tamen, ut, dum ſignificat Spiritum ſanctum, neque Patrem neque Filium excludat, ſed includat potius, quia, quicquid facit aut dicit Spiritus, id ipſum & Pater & Filius faciunt, ſicut, quicquid hi faciunt aut dicunt, id ipſum facit & dicit Spiritus.

(5) De Patre vox *Spiritus* ſemel in S. literis praedicatur, videlicet Ioh. 4, 24. bis diverſo ſenſu de Chriſto, nempe 1. ad Cor. 15. 45. 2. Cor. 3, 17. at ſubiective poſita, ſeu certum ſubiectum, quod ſpiritus ſit, deſignans, nec de Chriſto nec de Patre uſpiam legitur. ℞. Non quidem praeciſe, ſeu ut Pater aut Chriſtus praeſcindatur a Spiritu S. attamen una cum Spiritu S. Deus ſane eſt ſpiritus, a quo & caeteri ſpiritus dependent, & ab ipſis Socinianis definitur per *ſpiritum aeternum.* Vt adeo *ſpiritus* nomen magis Deo, quam ulli alii rei, conveniat, & abſolute ſeu *κατ᾽ ἐξοχὴν* poſitum, Deum ſignificet. Ad Chriſtum autem quod attinet, praeter loca allata, ille etiam ſpiritus dicitur Apoc. 2, 29. & c. 3, 22.

(6) At Apoſtolus haec tria, Patrem, Filium & Spiritum S. aliis rebus interiectis disiunxit. Ergo non ſunt idem. ℞. N. C. Sic enim & Heb. 12, 22. 23. *civitas Dei, ſancta Hieroſolyma,* non iunctim commemoratur cum *conventu & Eccleſia primogenitorum* conſcriptorum in coelis, ſed dirimitur interpoſitis myriadibus angelorum: haecque ipſa *Hieroſolyma* & Eccleſia a *ſpiritibus iuſtorum conſummatorum* ſeparatur Dei iudicis interpoſitu, nec tamen propterea aut res diverſae & disiunctae ſignificantur, aut verba tantum cumulantur.

Pag. 33 *Hac quidem poſteriore ratione Filius Dei vocatur* Deus *in nonnullis ſcripturae locis.*] Sane & creaturae nonnullae, propter officium & poteſtatem a Deo acceptam, appellantur Deus,

 ſicut

ſicut Paulus dicit 1. Cor. 8, 5. *Sunt, qui nominantur dii, in coelis & in terra*; ſed Chriſtus non ob ſolam hanc rationem Deus vocatur. Nam 1. SS. literae Chriſtum ab iis, qui nomen duntaxat habent deorum, non vero tales ſunt, expreſſe diſtinguit, ut ad Gal. 4,8.9. ubi Galatae, ad Chriſtum converſi ab apoſtolo, dicuntur *Deum cognoviſſe*. E quo loco ſic argumentari poſſumus: Is, quem cognoverunt Galatae, & in quem crediderunt, eſt natura Deus. Atqui Chriſtum cognoverunt, & in eum crediderunt: Ad Chriſtum enim converſi ſunt, & in eum eſt credendum, Ioh. 14,1. E. Chriſtus eſt natura Deus. 2. Quando creaturae in ſcriptura appellantur dii, plerumque epitheton aliquod additur, quo, qualis ſit intelligendus, ſignificatur. Sic Moſes vocatur *deus Aaronis*, Ex. 4, 16. quia perſonam Dei apud eum gerebat, exponens ei voluntatem ipſius; & *deus Pharaonis*, Ex. 7, 1. quia potens erat coram Pharaone, eique itidem Dei voluntatem indicabat; ſed Chriſtus vel abſolute Deus appellatur, vel eiusmodi epitheto decoratur, quod eum ab omnibus, qui tamen officii & poteſtatis ratione dii nominantur, diſtinguit, & verum ſummumque Deum eſſe docet, ut quod appellatur *Deus vivus*, 1. Tim. 4, 10. *Deus magnus*, Tit. 2, 10. *Deus verus*, 1. Ioh. 5, 21. *Deus benedictus in ſecula*, Rom. 9, 5. 3. Nomen *Dei*, Chriſto competiit etiam in ſtatu exinanitionis, videlicet in incarnatione, 1. Tim. 3, 16. in conceptione & nativitate, Matth. 1, 23. Vnde rurſus patet, quod non tantum propter poteſtatem & gloriam, quam a Patre (ut adverſarii dicunt) demum poſt mortem accepit, tanquam praemium obedientiae, Deus ſit Chriſtus.

Ibid. *Ex ipſius Filii Dei verbis, Ioh 10, 36.*] Chriſtus heic diſputat cum Iudaeis ex propria eorum hypotheſi, qua eum pro mero habebant homine, docetque, ſe Deum dici poſſe,

etiamſi

etiamsi nudus esset homo. Argumentum autem nectit ex loco non similium, sed maioris & minoris, h. e. non dicit, se ita tantum esse Deum, ut Magistratus, sed ostendere vult, se multo maiore iure, quam Magistratus humanos, posse appellari Deum, licet non nisi homo esset, quandoquidem ad hoc sit destinatus, sanctoque unctus spiritu, & in mundum missus, ut mediator esset inter Deum & homines; quod officium omnium Regum potentiam gloriamque infinitis parasangis superet. Praeterea autem demonstrat, se non nudum hominem esse, sed verum Deum, sicut Pater, eo quod eadem opera faciat, quae facit Pater, ℣. 37. 38. Hinc & Iudaei eum lapidare volebant ℣. 33. quippe qui credebant, eum blasphemasse, quod dixerit, se esse Deum, cum tamen homo sit, nunquam eum lapidaturi, si tantum officii causa nomen Dei sibi tribuisse ab ipsis fuisset creditur.

Ibid. *Spiritus S. nusquam in scripturis vocatur expresse Deus.*] Immo sic vocari dicimus 2. Sam. 23, 2. 3. ubi David *spiritum Domini*, qui per se locutus sit, statim appellat *Deum*, & Act. 5, 3. 4. ubi Petrus dicit, Ananiam, qui mentitus erat Spiritui sancto, mentitum esse Deo.

Pag. 35. *Nam in scripturis minime novum est, in aliis rebus, non minus, quam baptismi initiatio, divinis, Deo coniungi & personas & res, quae ad essentiam Dei nullo modo pertinent. Vt* 1. Sam. 12, 1. Ex. 14. 3. Act. 20, 32. Eph. 6, 10. Apoc. 3, 12.] Quando rebus aut personis, quae non sunt divinae, divina tribuuntur, id fit quodam duntaxat modo, & ministerialiter seu instrumentaliter, quia Deus iis, ut instrumentis, ad opera divina producenda utitur. Sic *Dei verbum* dicitur *salvare animas nostras*, Iac. 1, 21. *Timotheus* dicitur *salvare se ipse, eosque, qui ipsum audiunt*, 1 ad Tim. 4, 16. Eadem est ratio dictorum allegatorum. Populus *timebat* Deum, ut omnium supremum; Samuelem, ut pro-

ut prophetam Dei & iudicem ordinarium. Populus *credebat* in Deum, fiduciam in eo tanquam potentissimo optimoque ponens, & in Mosen, sermoni eius, ut legati divini, fidem adhibens. Atque idcirco LXX. interpretes posuerunt, *credebant Mosi*, non autem in Mosen. Nam Hebraeis praepositio ב iuncta fidei non infert fiduciam, nisi cum obiectum, in quod fides tendit, fiduciae capax est. Vide Buxtorfii Grammat. p. 452. Paulus Ephesios commendat Deo & verbo gratiae eius, optans, ut Deus sancto evangelio eos gubernet, & in vera pietate magis magisque perficiat. Et *virtus roboris Domini*, in qua non minus, quam in Domino eos vult confortari, non est separata a Domino. At quando iubemur baptizari in nomine Patris, Filii & Spiritus sancti, tunc aequaliter & in eodem plane gradu haec actio divina fieri iubetur. Ac notandum, quod phrasis, *baptizare in nomine alicuius*, significet, ad mandatum, & in fide eius baptizare, cum baptismus sit eximia pars cultus divini, qui creaturae non potest exhiberi. Vt adeo firmiter possimus argumentari: In cuius nomine babtizamur, is est verus Deus. Atqui baptizamur in nomine P. F. & Sp. S. Ergo. Item: Sicut in nomine Patris baptizamur, ita baptizamur in nomine Filii & Sp. sancti. Sed in nomine Patris, ut personae divinae, baptizamur. E. in nomine Filii & Sp. sancti, ut divinarum personarum, baptizamur.

Excipiunt Pag. 36. *Legimus in scripturis, Israëlitas baptizatos fuisse in Mosen 1. Cor. 10, 2. & quosdam in baptisma Iohannis, Act. 19, 3. Christianos vero in mortem Christi, Rom. 6, 3. licet nec Moses Deus sit, nec baptisma Iohannis, neque mors Christi persona sit, nedum Deus*] ℞. Scriptura non dicit, Israëlitas in nomine Mosis baptizatos fuisse, sed *in Mosen*, h. e per Mosen, eiusque ministerio. Ideo Syrus reddidit ܒܐܝܕ ܡܘܫܐ *in manu Mosis*. Vide Gutbirii praefat.

praefat. in N. T. Idque factum, quando Moses Israëlitas per mare rubrum duxit, quod fere instar baptismi erat. Et hic baptismus erat improprius. Neque etiam dicit scriptura, discipulos quosdam Iohannis in eius nomine baptizatos fuisse, sed *in baptisma Iohannis*, h. e. baptismo aquae, quo Iohannes suos discipulos tingere solebat.

Pag. 37. *Etamsi divinae operationes*, 1. ad Cor. 12, 4. *tribuantur Deo & Domino, qui Christus est, & Spiritui S. hinc tamen effici non potest, hos tres illum unum Deum esse; immo hinc contrarium colligitur, cum apertissime ab uno illo Deo Dominus, id est, Christus, & Sp. S. distinguantur.*] Distinguntur a Deo Patre non essentia, sed ratione personarum, seu quia sunt distinctae ab ipso personae. Nec licet regerere, *Domini & Spiritus sancti mentionem fieri ideo, quod Dominus sit is, per quem Deus ista omnia operetur, Spiritus vero sanctus sit Dei virtus, cuius communicatione omnia ista fiunt.* Quamvis enim Pater per Filium & Spiritum S. illa operetur, non tamen operatur per eos, tanquam per instrumenta, a se quoad essentiam & potentiam distincta, sed per Dominum, i. e. Christum, tanquam aeternam & divinam suam sapientiam; per Spiritum S. veluti per virtutem suam divinam, quae a divina essentia reapse non est distincta. Et hinc Christus ait: *Quod Pater facit, similiter & Filius facit*, Ioh. 5, 19. ac de Spiritu S. aeque dicit Paulus, ut antea de Patre: *Haec omnia operatur unus atque idem Spiritus*, ℣. 11. nostri loci.

Ibid. *Locus 1. Ioh. 5, 7. 1. non habetur in graecis exemplaribus vetustioribus, ac in syriaco, & in latinis versionibus antiquioribus 2. Etiamsi haberetur, non tamen inde concludi posset, tres personas esse in una deitate, quia in seq. versu etiam de aqua & sanguine dicitur, quod testentur, quae tamen non sunt personae. 3 Quod dicuntur* unum esse, *vel* in unum, *intelligendum est de unitate testium in testimonio dicendo plane concordium.*] R. ad 1. Habetur tamen in aliquot exemplaribus graecis, etiam in editione

Rob.

Rob. Stephani, nec non in codice britannico & complutensi. Citatur etiam a Cypriano de Vnitate Eccles. p. 181. & Hieronymo in Prologo super Epistolas canonicas. Vide Baieri Comp. theol. dogmat. p. 230. & nostras in illud Annotat. p. 28. Ad 2. Cum adversarii concedunt, Patrem & Verbum esse personas, necessario etiam idem de Spiritu S. est concedendum, vi huius argumenti: Quemadmodum Pater & Filius testantur, ita etiam testatur Spiritus sanctus: testimonium quippe eorum unum est. At Pater & Filius testantur, ut personae subsistentes. E. & Spiritus S. Item: Quemadmodum Pater & Filius testantur, ut duo testes a se realiter distincti, ita & Spiritus S. testatur, ut tertius a Patre & Verbo vere distinctus. Sed Pater & Filius testantur, ut duo testes a se realiter distincti. E. Porro: Si Spiritus S. non esset persona, sed essentialis tantum virtus Patris, ut statuunt Sociniani, non tres essent testes, sed tantum duo, quia virtus essentialis Patris, ab essentia eius non est distincta. Ad 3. Per unitatem testimonii, non excluditur unitas essentiae, sed per hanc potius illa confirmatur ac stabilitur.

PAg. 38. *Adversae partis opinio 6. modis perniciosa est*] Non ita autem se res habet: nam 1. doctrina nostra *unius Dei fidem* non *labefactat & convellit*, quia non sunt contraria, in hoc praesertim mysterio, esse unum essentia, & trinum personis, maxime cum dicamus, quamlibet istarum personarum esse unum illum Deum. 2. *gloriam Dei patris* non *obscurat*, quia honor Christi est Patris honor, quippe qui vult, ut filius honoretur, sicut ipsemet, Ioh. 5, 22. 3. nec *Deo illo uno & summo indigna continet*, quia Filius & Spiritus S. Patri sunt ὁμοούσιοι, coaeterni, & potentia aequales, & Deus ille unus & altissimus homo factus est sine maiestatis suae detrimento. 4. nec *aliud mentis & fidei nostrae obiectum* facit, quam est in re ipsa, quia tale proponit, quale repraesentatur in SS. literis. 5. nec *discrimen tollit inter primam & secundam salutis causam*: nam causa efficiens salutis prima nobis est S. Trinitas. Nec obstat, quod Pater dicitur per Filium & Spiritum S. hoc vel illud efficere, quia alibi ipse Filius aut Spiritus S. dicuntur id absolute per semet ipsi efficere. Vt adeo particula haec *per* solummodo ordinem operandi indicet, non modum causandi. nec 6. per se *impedit alios a religione christiana amplectenda*, quia nunquam probari poterit, eam veritati divinae & rationi sanae adversa tradidisse. Adversa sint mysteria fidei rationi carnali & male sanae, adversa etiam sint perversae scripturarum interpretationi; sed quid hoc ad ipsam scripturam & rationem sanam?

Pag. 45. *Christum verum esse hominem, scripturae testantur 1. Tim. 2, 5. & 1. Cor. 15, 21.*] Haec dicta testantur quidem, Christum

T esse

esse hominem, & praesupponunt eum verum hominem, sed eum tantummodo esse verum hominem, neutiquam testantur: nam dum *mediator* dicitur, innuitur simul, esse verum Deum, quia mediator a parte Dei nudus homo non poterat esse. Et cum *homo* sit concretum, non excludit alteram naturam, scilicet divinam, e qua & humana constat mediator Christus.

Pag. 46. & 47. *Jesus simul est unigenitus Dei filius, quia 1. conceptus e Spiritu S. & e virgine sine ullo viri congressu natus, nullum alium patrem praeter Deum habuit, Luc. 1,35. 2. a Patre sanctificatus & in mundum missus fuit. 3. a Deo ex mortuis resuscitatus, & sic denuo velutigenitus fuit, Ps. 2,7. 4. imperio ac suprema in omnia potestate Deo similis, immo aequalis effectus fuit.*] Ob haec non proprie, sed improprie *filius Dei* diceretur Christus: proprie autem filius Dei dicitur, quia a Deo in aeternitate, quae cum successionem non habeat nec praeteritum, particula *bodie* in loco psalmi allegato indicatur, genitus est, & eandem cum Patre naturam habet, quia naturalis est Dei filius, non adoptivus. Neque particula *ideoque* Luc. 1, 35. est causalis, seu index causae, propter quam Christus vocandus sit filius Dei, sed illativa, & consequentiae indigitamentum, ut patet ex paticula καὶ voculae διὸ subiecta: sensus enim est, ideo etiam eum, qui ob nativitatem aeternam filius Dei sit, vocandum esse filium Dei.

Pag. 48. *Duae substantiae disparatae, & proprietatibus adversae, quales sunt Deus & homo, de uno eodemque individuo, atque adeo etiam de se invicem praedicari nequeunt.*] Falsum hoc est cum in naturalibus, tum in artificialibus. In illis corpus & anima in unam personam coëunt; in his ex multis materialibus substantiis una fit domus. Excipiunt p. 49. Anima & corpus ad eum modum iuncta sunt, ut homo nec anima sit, nec corpus ipsum. ℞. Verum est, quod neque corpus, neque anima homo dicatur; interim in unione corporis & animae, duae distin-

distinctissimae essentiae, cum suis distinctissimis proprietatibus, in unam coëunt personam. Ad hoc probandum simile illud adducitur: quod in aliis sane claudicat. Instant: Vt natura divina per se constituit personam, ita humana per se constituat, necesse est. ℞. Non divina natura constituit personam, nam ab omni aeternitate est persona simplex, ἀσύνθετος. Et quare humana per se constituat personam? an quia Christus per omnia debuit similis fieri fratribus suis? debuerat videlicet similis fieri quoad naturam, non quoad subsistentiam: nam unio duarum naturarum, personam σύνθετον constituit, hoc est talem, quae Christus vocatur, constans divina pariter & humana natura.

Pag. 49. & seqq. *Christum habere naturam divinam, repugnat scripturae sacrae, quia 1. illa nobis unum tantum Deum proponit. 2. testatur, Iesum Christum esse hominem 3. docet, Christum habere Patris dono, quicquid divinum habeat. 4. Christus Patrem suum non semel invocavit. 5. Idem non est ultimus fidei nostrae scopus, Ioh. 7, 28. 6. fuit a patre missus, nec a se ipse venit. 7. in terris vivens, ignoravit diem iudicii. Mar. 13, 32. 8. asserit, Patrem se maiorem esse. Ioh. 14, 28.*] Respondemus ad 1. Scriptura Deum nobis ut unum & trinum proponit, unum essentia, trinum personis. Ad 2. Testatur etiam, eum esse Deum. Ad 3. Omnia Christus a Patre habet, partim in tempore accepta & ex gratia, ut homo, Matth. 28, 19. Phil. 2, 19. 1. Cor. 15, 27. partim ab aeterno, per suam nativitatem a Patre, Ioh. 5, 26. 27. Ad 4. Invocavit Patrem, in statu exinanitionis. Ad 5. Sensus illius dicti hic est: Qui credit in me, non *tantum* credit in me, sed *etiam* in eum, qui misit me. Ad 6. Missio in divinis non tollit aequalitatem. Ad 7. Ignoravit diem iudicii, secundum humanam naturam sibi relictam. Ad 8. Etiam aequalis dicitur Patri, Phil. 2, 6. *Maior* itaque *eo* quando dicitur, intelligendum id est de officio legati, quod obiit, & secundum humanam naturam.

Pag. 51. *Trinitarii non recte faciunt, quod illud ipsum pro concesso sumunt, de quo controvertitur, nempe in Christo esse naturam illam divinam.*] Neque vero illi petunt id, quod est in principio sive in quaestione, qui id, quod receptum est apud plurimos, eosque non indoctos, & per plurium cursum seculorum, sed alii, qui minus probabilem sententiam ac novam faciunt suam, ut contradicentes.

Pag. 54. Ioh. 1, 1. *Nil habetur de praeaeternitate, cum hic principii mentio fiat, quod praeaeternitati opponitur - non aliud hic, quam evangelii principium cogitandum*] Nos vero non argumentamur ex sola voce *principium*, sed ex integra phrasi, *In principio erat verbum.* Et esto, vocem *principium* in scriptura interdum limitari, & ad rem & materiam subiectam, seu de qua agitur, referri, hoc tamen non semper fit, quum dentur scripturae loca, in quibus principium temporis vocula ista indicatur, ut Gen. 1, 1. Esa. 48, 16. Heb. 1, 10. unde colligi potest, id, quod iam in principio temporis fuit, ante tempus, & sic ab aeterno fuisse, ut coelestis sapientia de se dicit Prov. 8, 22. Argumentum igitur adversariorum ex particularibus, & sic vitiose concludit. Neque, ut illi volunt, *principium* in verbis Iohannis, de principio evangelii intelligendum est, quia (1) repugnat scopo & intentioni Iohannis, quae erat, de aeterna Christi deitate scribere contra Ebionem & Cerinthum, ut testantur Euseb. l. 3. H. E. c. 27. Epiphanius lib. 1. T. 2. haer. 27. aliique. (2) non possunt pro sua interpretatione vel alium locum scripturae, vel dictum aliquod Patrum, quorum tamen consensus non est contemnendus, proferre. (3) sequeretur, Patrem aliquando fuisse sine Filio, h. e. non fuisse patrem. (4) si vel maxime vera esset ipsorum sententia de principio evangelii, cogitandum tamen, quod nobilis pars evangelii sit, credere, Iesum esse Christum, filium Dei,

Dei, & nos per fidem in ipsum vitam aeternam habere, docente sic ipsomet Iohanne c. 20. 31. Quod sane non iuvat interpretationem adversariorum, sed potius nostram. Caeterum pro nostra interpretatione, quod Verbum in principio temporis fuerit, adeoque ei competat pura puta aeternitas, seu, ut adversarii loquuntur, *praeaeternitas*, inde probatur, quia 1. Iohannes loquitur de divina persona, eamque vocat *Deum*, & divina opera, *creationem* videlicet rerum omnium, *illuminationemque & vivificationem* eidem tribuit. 2. quia, ut iam dictum, scopus eius est, ostendere contra hostes deitatis Christi, Verbum gaudere deitate aeterna. Vide G. Calixti Harmon. Evangelistarum, Lubbertum de Servat. I.C. contra Socinum, & Ioh. van der Wayen differt. de λόγῳ contra Ioh. Clericum.

Pag. 56. Ioh. 6, 62. *nulla praeaeternitatis mentio fit. Nam expresse hoc in loco filium hominis, 1. hominem in coelis fuisse testatur scriptura: quem citra ullam controversiam, ab aeterno non extitisse, certum est*] Si qui sunt nostratium, qui dicto illo utuntur ad probandam Verbi aeternitatem, & per consequens deitatem, non male faciunt, cum filius hominis in humana sua natura, ante ascensionem non fuerit in coelo. Intelligendum igitur id est de alia natura, quae ante humanam fuit: unde postea praeaeternitas per se sequitur. Nam, quod adversarii dicunt, Christum statim a baptismo, & ante muneris sui prophetici inchoationem in coelos ascendisse, ibique a Deo ad munus suum instructum fuisse, pro figmento agnoscitur.

Pag. ead. Ioh. 8, 58. *non dicitur, Christum ab aeterno extitisse*] Non dicitur quidem expresse, interim id per bonam consequentiam inde eruitur. Nam Si Christus ante Abrahamum fuit, sequitur, cum non demum coepisse esse in nativitate ex Maria virgine; & si ante Abrahamum non demum fa-

ctus est, sed est, non est profecto creatura, sed Deus, qui semper est, & manet, sicuti est, secundum Ps. 102, 28.

Excipiunt (1) *Ne hoc quidem illic contineri, ipsum ante Mariam virginem fuisse. Etenim ea ea verba aliter legi posse (nimirum hac ratione, Amen, amen, dico vobis, priusquam Abraham fiat, ego sum) apparet ex locis* c. 13, 19. & 14, 29. R. Probandum esset, sic *debere* legi. Sed ei obstat contextus. Dicente enim Christo: *Si quis sermonem meum servaverit, non videbit mortem in aeternum* ℣. 51. excipiunt Iudaei: *Abraham & Prophetae*, qui tamen verbum servarunt, *mortui sunt.* Quibus respondet Christus: *Abraham, pater vester, gavisus est, quod diem meum videre deberet, & vidit eum, atque gavisus est*, i. e. Abrahamus audivit verbum Dei de Christo, & hinc vixit vitam spiritualem & gaudio plenam. Iudaei autem non itelligentes hoc de vita spirituali, sed naturali, reponunt: *Nondum 50. annos natus es*, &, ut verba tua prae se ferunt, *Abrahamum vidisti*, eiusque tempore vixisti. Hoc absurdum est, immo absurdissimum. Ad hoc iam respondet Christus: *Amen, amen, dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum*, i. e. adeo non absurdum est, me fuisse tempore Abrahami, ut etiam ante eius nativitatem fuerim.

(2) Sensus verborum hic est: *Antequam Abram fieret Abraham*, i. e. pater multarum gentium, atque promissio de Christo etiam ad gentes veniret, quod demum factum, postquam Dei gratia in Christo fuit manifestata, *ego sum*, vel eram *lux mundi*: Ita non supplenda sunt verba ex initio eius orationis ℣. 12. R. Haec interpretatio, quamvis eam vocet (*) *egregiam* Catechismus, non potest habere locum, quoniam Iudaei non indignati sunt, quod se vocasset *lucem mundi, gentesque illuminandae essent*, nam gentium conversionem ipsimet desiderarunt, 1. Reg.

Egregiam] Faustus Socinus eam vocat *divinam*, & in somnio revelatam Lael. Socino.

1. Reg. 8, 41. Matth. 23, 15. sed quod dixisset, *se fuisse, antequam Abraham esset.* Et hanc etiam, non vero illam ob causam, cum lapidare volebant. Neque Abraham demum exhibito Christo factus est pater multarum gentium, sed talis iam fuit in circumcisione sua, ubi promissionem accipiebat, Gen. 17, 5. gentiles quoque & alienigenae circumcisi sunt in domo eius. ℣. 12. Et porro notandum, quod Christus non dicat, Ego sum lux mundi, sed *ego sum*: quod verbum essentiale est, denotans naturam & subsistentiam, non vero officium Christi. Atque hoc *sum* opponitur τῷ γενέσθαι seu *fieri* Abrahami, quasi diceret: Antequam Abraham, ut creatura, suo tempore factus est, ego sum, vel essentiam meam habui. Quod cum de humana essentia falsum sit, intelligenda erit essentia divina.

(3) Christus se ante Abrahamum esse, merito dicere potuit, quatenus divina constitutione ante ipsa secula erat. ℟. Hoc non simpliciter dicendum, sed etiam firmiter probandum est.

Pag. 58. *Generatio ex essentia* (Dei) *patris, implicat contradictionem, Nam si Christus ex essentia patris genitus fuisset, aut partem essentiae sumsisset, aut totam. Non illam, quia essentia divina est impartibilis: neque hanc, quia pater desiisset esse pater, & factus fuisset filius. Adde, quod essentia divina sit una numero, ac proinde incommunicabilis.*] Generatio filii Dei non ad amussim generationis naturalis est dimetienda, nec nostrum est, inquirere in illius modum, sed contenti esse debemus eo, quod dicit scriptura, patrem filium suum genuisse, & filium ex patre esse genitum Et hanc generationem divinam debemus secernere ab omni imperfectione, quae naturali & humanae generationi adhaeret. Accepit autem filius Dei totam essentiam patris, ita ut patri nihil inde decederet, quia essentia illa est infinita, quae sine multiplicatione vel divisione potest esse tota in pluribus.

Adeo-

Adeoque canon hic, *Essentia est incommunicabilis*, in naturalibus quidem procedit, non vero in divinis.

Pag. 59. Dictum *Mich. 5,2. non probat praeaeternam generationem, quia in eo mentio fit initii, & dierum, quae in ista aeternitate locum non habent. Deinde in hebraeo non legitur* a diebus aeternitatis, *sed* ab olim, a diebus seculi. *Dies autem seculi sunt dies antiqui, ut Es. 63,9. & Mal. 3,4. Sententia igitur loci illius est, Christum illustrem nativitatis suae originem ab annis admodum antiquis ducturum.*] Non simpliciter fit mentio initii & dierum, sed dicitur מקדם מימי עולם *ab initio*, vel *ante initium dierum aeternitatis.* קדם & עולם interdum quidem tempus significant, sed de Deo usurpata aeternitatem, ut Prov. 8,22. Gen. 21,33. Es. 40,28. Ps. 9,8. Vnde & Deus dicitur esse מעולם עד־עולם, quae est merae aeternitatis descriptio. Neque dari potest locus scripturae, ubi קדם & עולם tanquam terminus a quo posita, tempus longum duntaxat, & non aeternitatem denotent. Apud Esaiam autem & Malachiam non similis est locutio, ut in dicto Micheae, sed tantum dicitur כל־ימי עולם *omnibus diebus seculi.* Nec propheta Micheas familiam, sed *patriam* Messiae nominare voluit, & ad indicandam praestantiam atque excellentiam nativitatis aeternae, adhibuit vocem pluralis numeri מוצאות. Ecquid eximii habuisset Messias, prae multis Regibus de tribu Iuda, si ex antiqua & clara Davidis familia tantum diceretur natus esse?

Ibidem. *In verbis Ps. 2,7. nec de generatione ex essentia patris, nec de generatione praeaeterna prorsus quicquam habetur. Etenim vox* hodie *certum tempus designat, non aeternitatem. Quod vero Deus eum genuerit, non evincit, eum ex essentia ipsius esse genitum. Nam 1. verba*, Ego hodie genui te, *primo sensu de Davide dicuntur. 2. Paulus apostolus eadem verba ad probandam resurrectionem Christi affert, & auctor ep. ad Hebr. ad glorificationem Domini Iesu demonstrandam citat. 3. constat, Deum aliter quam ex essentia generare, dum e Deo genitos credentes scriptura pronunciat.*] De Dei aeternitate loquitur scriptura humano

mano more, & aeternitatem intelligens, in qua non est praeteritum nec futurum, eam vocabulo *hodie* describit. Hoc vocabulum igitur, de Deo ita usurpatum, ab omni imperfectione repurgandum est, & tunc demum Deo tribuendum. Praeterea esto, verba illa primo sensu de Davide dici, (quanquam maxima pars nostratium statuit, Davidem in psalmo hoc proprie & unice de Christo loqui, unde & eum tam frequenter allegari in N. T. de Christo; idque etiam inde manifestum esse, quod ea ibi contineantur, quae de Davide nullo modo intelligi possint, nam *eiusmodi Regem describi, qui habeat gentes hereditatem, & possessionem suam terminos terrae, ac talem Filium commendari, in quo debeamus confidere, neque ulli angelorum tribui posse, quod hic dicatur de Filio,* Ego hodie genui te, Heb. 1, 5.) mystice tamen possent accommodari seu transferri ab Christum. Quemadmodum & verba illa, quibus generatio Filii Dei exprimitur, ad resurrectionem & glorificationem, quibus illa patefacta fuit, recte applicantur. Neque negamus, Deum alio modo, quam ex essentia sua fideles gignere: sed propterea non tollitur aeterna illa Filii Dei generatio, secundum quam ille dicitur *proprius filius Dei*, Rom. 8, 32. & *unigenitus a Patre,* Ioh. 1, 14.

Pag. 60. Dictum Ps. 110, 3. *in hebraeo aliter legitur, nempe*, ex utero aurorae tibi ros nativitatis tuae. *In quibus verbis vaticinatur David de multitudine populi christiani, instar roris matutini multiplicandi.*]

℟. Etiamsi hoc dictum non loquatur de aeterna Christi generatione, sed de multitudine fidelium, secundum interpretationem ipsius etiam Lutheri, non tamen propterea ruit fundamentum illius generationis, cum ex aliis testimoniis probari possit.

Pag. 61. Prov. 8. 23. *Salomo non agit de generatione Filii Dei aeterna, sed de sapientia ; nec de substantiali sapientia, sed ea, quae ante secula in Dei mente formata, per Dei legem manifestata est, & per eam communicatur hominibus. Unde nec vocem illi addit* Dei. *Introducit autem illam sapientiam loquentem, per prosopopoeiam. Et verba, quae sunt reddita,* ab aeterno, *in hebraeo extant*, a seculo] Agit Salomo de sapientia, quæ nec angeli est, nec hominis, ergo Dei; quamvis vox *Dei* non addatur. Hæc autem sapientia est vel attributum, vel essentialis sapientia Dei. Attributum Dei esse non potest, quoniam a Deo ordinata & concepta est. E. est essentialis sapientia Dei. Et hanc Deus dicitur *possedisse* in initio, eo scilicet modo, quo Eva Cainum, cum eum genuisset, Gen. 4, 1. Nec personae non possunt competere, quae de hac sapientia dicuntur, quod *per ipsam regnent reges, & principes iusta decernant*, quod *invitet ad se homines, & mittat virgines suas, ut vocent ad arcem & mœnia civitatis.* Et haec in filium Dei quadrant optime: Is enim potestatem Caesaris asseruit; is Pontio Pilato dixit, habere ipsum potestatem suam desuper; is ad se vocavit omnes afflictos; is emisit discipulos suos & sinceros alios doctores, invitatum homines ad regnum suum, tanquam ad epulum lautissimum. Denique repetimus ex superioribus, vocabulum עולם non quidem de creaturis, attamen de Deo usurpatum, aeternitatem denotare. Et in hoc quidem loco aeternitas ulterius describitur per *initium viarum Dei*: (quo enim tempore viae Dei suum habuere initium?) perque *initium*, *antequam terra fieret.* Conf Ps. 90, 2.

Pag. 62. Ier. 23, 6. *Nomen tetragrammaton non tribuitur Christo: nam verba haec referri debent ad Israëlem, de quo sermo est in praecedente versiculo. Sicut in c. 33, 16. idem dicitur de Hierosolyma, cum in hebraeo legatur* eam. *Adeoque sensus est: tempore Christi, Deum nos justificaturum.*] Nec de Israële, nec de Hierosolyma dicitur

nomen

nomen Iehovae, ſed de *germine Davidis*, quod eſt Chriſtus: cuius tempore *ſervandus* ſive ſalvandus eſt Iuda & Iſraël; de quo etiam dicitur, quod ſit *rex futurus, & bene regnaturus, iudiciumque & iuſtitiam adminiſtraturus in orbe.* In 33. autem cap. לה non eſt accuſativi, ſed dativi caſus, & verbum קרא ſignificat *annunciare, praedicare, commendare,* ut Ier. 34, 15. Eſ. 61, 1. & ſenſus eſt: Deum Eccleſiae novi teſtam. Meſſiam praedicaturum & commendaturum eſſe, ut Iehovam, qui iuſtitia eius eſt, eamque ſalvaturus ſit Quodſi etiam concederetur, in c. 33. Hieroſolymam appellari Deum iuſtitiam noſtram, ſicut Geneſ. 22, 14. mons vocatur *Dominus videbit*, vel videbitur, & Ex. 17, 15. altare nuncupatur *Dominus vexillum meum*, notandum tamen eſſet, quod nomen tetragrammaton non abſolute tribuatur ei, ſed limitate & reſtricte, prout obſervat I. Saubert. in Expoſit. dictor. ſcripturae p. 44.

Pag. 64. Zach. 2, 8. vel, 12. *Chriſtus non dicitur* Dominus exercituum: *nam ea verba*, poſt gloriam miſit me, *ſunt ab alio prolata, nempe ab angelo, qui cum Zacharia & alio angelo colloquebatur. Neque dicitur ibi in hebraeo, tangit pupillam oculi mei, ſed* tangit pupillam oculi eius: *quae non Domini exercituum, ſed legati verba eſſe, neceſſe eſt.*]

℟. Sit angelus creatus, nihilominus verba Domini exercituum refert, & in hac relatione Meſſiam introducit, ut Dominum exercituum, qui de ſpirituali Ieruſalem, h.e. de Eccleſia Chriſti vaticinatur, & ad fugam e ſpirituali Babylone capeſſendam adhortatur. Nimirum *appellatio Domini exercituum, miſſio ad docendum gentes, ad gentes, quae ſpoliaverant Iudaeos, levatio manuum ſuper eas*, h.e. regere eas verbo & ſpiritu, *adventus & habitatio in medio earum*, non pertinent ad nudum angelum, ſed ad Chriſtum. Ut his ita poſitis liceat argumentari: Q. heic loquitur, eſt Dominus exer-

cituum. At qui heic loquitur, est Messias. E. Pronomen autem *eius*, potest respicere Patrem, qui gravissime laeditur, quotiescunque laeditur Filius.

Pag. 65. 1. Ioh. 5, 20. *non Christus, sed Pater dicitur* ille verus Deus, *quia Christus nec usquam cum articulo* Deus *simpliciter, aut* Deus verus *appellatur, & in hoc ipso loco manifeste ab illo vero Deo distinguitur. Et quamvis Christi in verbis proxime praecedentibus facta fuerit mentio, ad eum tamen pronomen* hic *non necesse est referre, quia pronomina relativa non semper ad proxime antecedentia, sed saepenumero ad id, de quo potissimum sermo est, licet remotius, referuntur.*] Deus verus non semper articulo afficitur, ut Matth. 4, 4. 5, 9. 6, 24. Et Christus cum articulo dicitur *Deus*, Ioh. 20, 28. Act. 20, 28. Rom. 9. 5. Pronomen autem οὗτος non est relativum, sed demonstrativum. Nec minus frequenter pronomen demonstrativum refertur ad proxime praecedens, ut Matth. 21, 38. Luc. 1, 32. & c. 4, 22. Quod autem pronomen *hic* hoc loco referendum sit ad subiectum proxime antecedens, sequentes ostendunt rationes: 1. qua Iohannes commisisset ταυτολογίαν, Deum Patrem bis dicens verum illum Deum 2. quia appellationem *vitae aeternae* nusquam scriptura tribuit Patri, sed Filio, ut Ioh. 6, 35. 11, 25. 14, 6. Col. 3, 4.

Pag. 66. In epist. Iudae ℣. 4. *non unus Christus intelligitur, sed Pater, qui* herus, *& Christus, qui* dominus *dicitur: quamvis enim unus duntaxat articulus praepositus sit, non tamen propterea una persona indicatur, quia saepe de pluribus unicus adhibetur articulus.*] Hoc non negamus, quod interdum unus articulus adhibeatur, cum duae aut plures memorantur personae, sed ut sciamus, de unane vel pluribus dicatur, in consilium debet vocari circumstantia rei. Hic autem rei circumstantia evincit, articulum istum unam & eandem personam exprimere. Iure enim meritoque solus *herus* appellari potest, qui dicitur *dominus*. Christus 1. Cor. 8, 6. dicitur heres omnium, & per consequens herus,

Pag. 67.

Pag. 67. Tit. 2, 13. *Paulus non dicit*, exſpectantes adventum magni Dei, *ſed*, exſpectantes apparitionem gloriae magni Dei. *Gloria autem Dei Patris apparitura eſt, quia Chriſtus, ad iudicium veniens, in gloria* i. e. cum *gloria Dei patris venturus eſt. Et Pater poteſt dici* venire *aut* apparere, *cum Chriſtus ad iudicandum veniet, quia perſonam Patris repraeſentabit & ſuſtinebit.*] Paulus non diſtinguit inter apparitionem gloriae, & apparitionem Chriſti, ſed ipſam Chriſti apparitionem, ad modum loquendi Hebraeis uſitatum, vocat *apparitionem gloriae Chriſti*, i. e. glorioſam Chriſti apparitionem. Iſta apparitio eſt magni Dei. Sic autem Filius Dei heic dicitur, quia 1. is venturus eſt ad iudicium. 2. de eius glorioſa apparitione hic agitur, de cuius ſalutari apparitione actum erat ỷ. 11. Salutaris autem haec gratia eſt Filii, & denotatur eius primus in mundum adventus. 3. vox ἐπιφανείας ſemper de Chriſto uſurpatur, ut Luc. 1, 79. 2. Theſſ. 2, 8. 1. Tim. 6, 14. 2. Tim. 1, 10. & c. 4, 1. 8. 4. Si vel maxime diceretur de Patre, non tamen inde excluderetur Filius, quia & Filius veniet in gloria Patris, Matth. 16, 27.

Pag. 68. *Apoc. 1, 8. vox* ἐρχόμενος, *quae redditur* venturus eſt, *atque reddi poteſt* futurus eſt, *ut Ioh. 16, 13. Et ſic reddenda illa, quia praecedit*, qui erat & qui eſt, *ut omnino de exiſtentia oratio accipiatur. Atque hic deſcribitur aeternitas Dei, quae tempus praeteritum, praeſens & futurum comprehendit. Et Apoc. 1, 4. & 5.* Ieſus Chriſtus *ab eo*, qui eſt, erat & futurus eſt, *diſtinguitur.*] Quid aliud eſt, *futurum*, quam *venturum*? Quanquam dubium eſt, an de Deo recte dici poſſit, quod *futurus ſit*, quia eſſe ipſius eſt perpetuum, isque idem ipſe eſt, & cuius anni non deficiunt, Pſ. 102, 29. Locum Apoc. 1, 8. de Chriſto exponimus, ob collationem ỷ. praeced. ubi dicitur *in nubibus venire, quem videbit omnis oculus, & qui eum pupugerunt.* Quae ſane eſt deſcriptio Chriſti. Et hic ab eo, qui eſt, qui erat &c. diſtinguitur, ut alia perſona, non vero ut alius quoad eſſentiam. Cumque ab

 eo non

eo non minus, septemque spiritibus, h.e. Spiritu S. qui vel propter septemplicia dona, quibus ecclesiam ornat, vel quia Iohannes VII. ecclesiis Asiae gratiam apprecatur, VII. *spirituum* appellationem sustinet, benedictio annunciatur, per se patet, nec Christum, nec Spiritum sanctum nudas creaturas, sed divinitate praeditos esse.

Pag. 69. Act. 20, 28. *nomen* Dei *ad Patrem referendum est, tum quod articulus voci* Dei, *& quidem subiective positae, additur, quod neutrum de Christo uspiam reperitur; tum quod in hac ead. oratione aliquoties a Deo distinguitur, v. 21. & 24. Vocatur autem sanguis Christi*, sanguis Dei patris, *ea ratione, qua ea, quae ab aliquo possidentur, illiusque turis sunt, etiamsi extra ipsum consistant, ipsius propria esse dicuntur: praesertim quatenus pro nobis est fusus: fusus enim est, ut sanguis agni Dei, h. e. eiusmodi victimae, quam Deus veluti de suo, ad tollenda mundi peccata, praebuit. Deinde quatenus Christus proprius fuit Dei filius. Et in syriaca versione, loco* Dei, *legitur* Christi. *Sicut in quibusdam graecis codicibus extat*, Domini & Dei, *ad indicandum, Christum a Deo talem esse factum dominum, cui etiam Dei titulus merito tribuendus sit.*] Paulus de eo loquitur, cuius est ecclesia, & qui sanguine suo, immo proprio suo sanguine acquisivit ecclesiam. Quae utique ad Christum pertinent, qui sponsus est ecclesiae, Ioh. 3, 29. Eph. 5, 29. Deus etiam in sanctis patitur, quando illi sanguinem pro verbo suo effundunt: nec tamen propterea dicitur proprium suum sanguinem effundere. Denique quamvis variae dentur lectiones in ipsis etiam graecis codicibus, opus tamen, quod Christo tribuitur, videlicet *acquirere sibi ecclesiam*, utique divinum est, eumque verum Deum esse comprobat.

Pag. 71. 1. Ioh. 3, 16. *neque in graecis editionibus, complutensi excepta, nec in syriaca, vox* Deus *habetur. Etsi haberetur, tamen pronomen* is *non esset ad Deum referendum, quia eiusmodi vocabula non semper ad propinquiores personas referuntur: & in hoc ipso cap. v. 5. & 7. Iohannes vocem* ἐκεῖνος *ad Christum, licet multo ante nominatum, refert.*]

Atta-

Attamen in ℣. 17. additur vox *Dei*, quando dicitur: *Quomodo charitas Dei manet in eo?* Et opus, quod Christo adscribitur, ponere scilicet animam suam pro homine, ut is servetur ad vitam aeternam, iterum divinum est, Christumque verum Deum esse arguit. Alterum argumentum deducitur a particulari, adeoque non concludit legitime.

Pag. 73. Ioh. 1, 3. *non dicitur*, creata sunt, *verum*, facta sunt. *Quod intelligendum de secunda creatione, seu renovatione. Et locutio*, per eum, *causam secundam seu mediam significat. Conf. Eph. 3, 9. Vox* omnia *ad subjectam materiam restringitur, h. e. ad evangelium.* Sine ipso *autem* nihil *dicitur* factum esse, *quia Apostoli in negotio praedicationis, conversionis, & abolitionis legalium ceremoniarum, nihil sine ipso fecerunt.*] *Fieri* & *creari*, hic sunt synonyma. Sic & Moses locutus est Gen. 1, 3. 6. ac LXX. interpretes. Nec Pater per Filium fecit, tanquam per organon, quod ratione potentiae cum ipso non sit conferendum, sed tanquam per divinam suam virtutem atque sapientiam Immo & *per Patrem* dicimur in societatem filii eius vocati, 2. Cor. 1, 9. qui tamen non est causa media. Caeterum Iohannes non de solo evangelio agit, sed & de operibus creationis. Et si evinci posset, ipsum duntaxat loqui de renovatione, tamen haec, utpote divinum opus, deitatem Christo vindicaret.

Pag. 75. Mundus *non solum coelum & terram denotat, verum, praeter alias significationes, vel genus humanum designat, vel mundum futurum. Itaque sensus verborum potest esse vel hic:* Genus humanum per Christum renovatum, reformatum, restauratum, & quasi denuo factum ac renovatum est. *vel iste:* Futurus ille mundus, per Christum, quantum ad nos, factus est.] Uterque sensus repugnat superioribus, ubi ℣. 3. dicebatur: *omnia per ipsum facta sunt.* Omnia autem, non sunt Christiani. Et observandum est, Iohannem de eo mundo loqui, in quem venit Christus, & qui ipsum non cognovit: id quod de futuro mundo non potest intelligi.

Pag. 78.

Pag. 78. *Dictum ad Col. 1, 16. loquitur de causa media, & creatione secunda. Verba haec*, omnia in coelis & in terra, *non usurpantur de omnibus prorsus rebus, ut patet non solum ex v. 20. sed etiam ex ipsis hisce verbis, in quibus apostolus non ait*, coelum & terram creata esse, *sed* ea omnia, quae in coelis & in terra sunt. *Et sensus est: Omnia, quae sunt in coelis & in terra, per Christum ordinata esse, ac in novum statum & conditionem translata. Id vero factum, cum Deus angelis & hominibus Christum caput dedit, qui antea tantum Deum solum pro domino cognoverunt.*] Causae mediae creationis non competit, quod dicitur ℣. 17. *omnia in ipso consistunt.* Neque de secunda creatione, seu renovatione hominum, intelligi potest, quod dicitur, *creata per Christum esse omnia*: quae statim dispescuntur in visibilia & invisibilia. Duplex autem ratio, cur non sermo heic sit de omnibus in universum, falsa est: nam ℣. 20. Paulus loquitur de alio opere, quod etiam Christi est, videlicet reconciliatione hominum per ipsum facta. Et inter ipsos adversarios est, qui pro aequipollentibus habet, sive dicatur, *coelum & terram per Christum esse creata*, sive, *ea, quae sunt in coelo & terra.* Sic enim scribit Eniedinus: *Si quis forte instet, ac dicat, hic non* coelum & terram dici creata esse, *sed* ea, quae in coelo & terra sunt, *respondeo, nihil referre, utrovis modo loquatur scriptura, sensum esse eundem.* Et ad Ebr. 3, 4. creatio prima describitur per *construere haec omnia.* Nec sensus allatus locum invenit, quia 1. vocabulum *creare*, quatenus idem est ac renovare, non tribuitur, vel tribui potest angelis; nam angeli boni non indigent renovatione, mali autem renovationis non sunt amplius capaces. Neque etiam *creare* in SS. literis idem est ac *reformare.* Et Christus dominium suum non demum post resurrectionem suam accepit, sed id iam in principio habuit: Ideo angeli boni ei ministrarunt, Matth. 4, 11. mali autem ipsum reformidarunt, c. 8, 29. Ideo etiam Apostolos vocavit, eosque plena cum potestate ad praedicandum emisit, Matth. 10, 5.

Pag. 78.

Pag. 78. *Heb. 1, 2. non dicitur*, Christus fecit, *sed* Deus per Christum secula fecit; *idque respectu hominum, quod nempe genus humanum reparatum sit per eum: aut etiam de futuris seculis accipi potest. Non autem hic agi de veteri illa mundi huius creatione, id demonstrat, quod idem auctor affirmet, per eum, quem heredem universorum constituerit Deus, etiam secula esse condita. Eum enim non alium, quam Iesum hominem esse, constat. Et verborum ordo indicat, secula haec fuisse facta, postquam is heres omnium constitutus est: quod post resurrectionem ipsius demum factum fuisse, SS. literae docent.*] In ℣. 10. creatio mundi ipsi Christo tribuitur. Αἰών non tantum futurum seculum denotat, sed etiam praesens, quodque cum rerum universitate coepit. Et Iesus nazarenus etiam ante resurrectionem & exaltationem fuit heres universi, iuxta Ps. 2, 8. Hinc & ante passionem dicit ad Deum patrem suum: *Omnia tua mea sunt*, Ioh. 17, 10. Neque demum post resurrectionem, omnem in coelo & terra potestatem accepit, nam Ioh. 3, 35. dicit: *Pater diligit filium, & omnia dedit in manus eius.* Et ante passionem etiam potestatem iudicium faciendi accepit, quatenus filius hominis est, Ioh. 5, 27. Plenam autem usurpationem illius potestatis & maiestatis subiit, fatemur, postquam exaltatus est, & sedit ad dextram Dei.

Pag. 79. 86. & 87. *Verba epist. ad Heb. 1, 10. 11. 12. ex Ps. 102, 26-29. adducta, ad unum summumque Deum dicta, hactenus tantum ad Christum referuntur, quatenus id ad scopum eius pertinet. Vult enim probare, Christum praestantiorem angelis esse effectum: atque hoc ut faciat, ostendit, eum res creatas aboliturum. Et hac ratione mentionem quoque facit primae rerum creationis, ad Deum patrem pertinentis, quia haec cum abolitione in psalmo allegato coniungitur. Similia loca, ubi cum eo, quod ad scopum & rem auctoris faciat, alia coniunguntur & simul citantur, extant Matth. 12, 18-21. ubi tantum v. 19. Act. 2, 17-21. ubi tantum v. 17. & 18. & v. 25-28. ubi tantum v. 27. ad propositum facit, & Heb. 1, 9. ubi verba haec,* dilexisti iustitiam, & odio habuisti iniquitatem, *non pertinent ad rem, quam probat apostolus, quaeque est, Christum factum*

 esse

esse praestantiorem angelis. Et exempla verborum de alio prolatorum, atque ad alium, propter subordinationem aut coniunctionem aliquam, relatorum, habentur Heb. 1, 6. & 7.] Autor epistolae ad Heb. praestantiam Christi, ut filii hominis, prae angelis, ostendere laborat, eique demonstrandae varia adducit argumenta, inter quod etiam hoc est, quod & Filius Dei sit, quem angeli adorent, quique coelum & terram crearit. Neque Christus dicitur simpliciter effectus seu factus, sed [illegible], *factus praestantior*, h.e. constitutus & declaratus angelorum dominus: adeoque agitur hic de praestantia Christi non tantum hereditaria seu acquisita, sed etiam ea, quam habet a se ipso. Et si concederetur, h. l. non creationem, sed abolitionem rerum Christo vindicari, vel ex hac tamen, ceu divino opere, divinitas eius, & iuxta hanc ipsi competens prima rerum creatio assereretur. *Allegari autem ea in S. literis, quae ad rem non faciunt*, durius dictum est. Neque loca citata sunt satis probantia. Nam apud Matthaeum, versus praecedentes & sequentes agunt de eodem subiecto. Act. 2. prophetiae de uberrima Spiritus sancti effusione connectitur prophetia, continens promissionem de ecclesiae defensione in gravissimis afflictionibus, tanquam re illi coniuncta. In altero Actorum loco continentur causae, quibus nititur assertio ℣sus 27 Et verba ℣. 9. cap. 1 ad Heb. sunt exegetica superiorum: nam abstractis vocibus notantur concreta, & sensus est iste: Dilexisti bonos, & odio habuisti iniquos. Quo ipso comprobatur, sceptrum Christi rectum esse.

Pag. 89. Heb. 1. 3. *vocabulum* omnia *non designat omnia in universum, sine ulla exceptione, sed ea tantum, quae ad Christi regnum pertinent, de quo hic verba fiunt. Aut voce* omnia, *ea tantum comprehenduntur, quae Christi potestati fuere subiecta tum, cum substantiae aut personae Dei character in terris existeret, h. e. Deum nobis invisibilem quodammodo repraesentaret. Praeterea verbum* virtutis ipsius, *ex SS. literarum*

terarum consuetudine nil aliud denotat, quam iussum & imperium illius potens. Et verbum portare, *motum potius quendam rerum, quam conservationem significat.*] Allatae interpretationi vocis *omnia*, obstant antecedentia: de eodem enim dicitur, quod *portet omnia*, de quod dicebatur, quod crearit omnia. Hoc autem intelligendum de creatione totius universi: Ergo & illud. Posito etiam, sed non concesso, tantum de ecclesiae conservatione agere hunc locum, suum tamen argumento robur constaret, quia qui ecclesiam conservat, utique verus & aeternus Deus est. Quodsi etiam verbum *portare* regimen potius, quam conservationem notaret, intelligendum tamen esset non quodvis externum, sed internum regimen, quo cordibus pariter & corporibus praecipit, quod solius Dei est, qui e. g. pisci praecepit, ut absorberet Ionam, & corvis, ut Eliae cibos afferrent. Quodque h. l. non de portatione reginis, sed conservationis sermo sit, patet ex Esa. 63, 9. ubi de Christo idem, quod hic, dicitur his verbis: *Imponens eos sibi, baiulavit eos.*

Pag. 90. In epist. Iudae *v.* 5. *vox* Iesus *in nullo prorsus graeco exemplari habetur, sed loco illius*, Dominus.] Est autem in codicibus graecis Roberti Stephani. Quid tum etiam, si vel maxime in omnibus non extaret? Versu proxime antecedente de Iesu dicitur, isque *Deus & Dominus noster* appellatur. Cumque eductio populi ex Aegypto fuerit opus Dei externum, inde Filius excludi non potest, iuxta antiquum canonem: *Opera externa sunt indivisa.*

Pag. 91. 1. ad Cor. 10, 4. *Christus dicitur* petra, *figurate, nempe quia illa fuit imago & figura Christi.* Spiritualis *autem dicitur, quia spiritualis potus & petrae figura & signum erat, vel etiam, quia spiritualem sui intellectum habebat. Deinde* secuta illos *dicitur* petra, *per metonymiam, quia aqua, e petra, praesertim secundo percussa, fluxit, & populum longius secuta fuit per desertum. Porro in verbis v. 9.* ne tentemus

Christum, sicut quidam tentaverunt, *alius potest subintelligi praeter Christum, ut Moses, Aaron &c. vel Deus.*] Concedimus, quod Christus figurate & improprie dicatur *petra*, sicut & Deus *petra* dicitur. Ex hac autem spirituali petra dicuntur Israëlitae *bibisse*, quia beneficio Dei potum istum consecuti sunt: & haec petra, scilicet Deus, eos *sequebatur* seu comitabatur, (nam aquarum copia post ea tempora non semper suppetebat, ut Theodoretus observat) & ab omnibus periculis immunes praestabat. Et sic pulcre convenit, quod subiungitur, *petra vero illa erat Christus*, nempe illa spiritualis petra, quae Israëlitas sequebatur, & hunc potum aliaque beneficia exhibebat, erat Christus, ut Deus. Ad ℣. 9. non sufficit loqui de posse, sed ostendendum est, *debere & oportere* alium intelligi. Moses autem & Aaron non fuerunt tentati, etiamsi Israëlitae contra eos murmurarint. Hinc Moses Ex. 17, 2. & 7. distinguit inter murmur adversum se, & tentationem adversus Iehovam. Eccur non suppleatur nomen e proximo commate, cum & in aliis dehortationibus huius cap. idem fieri debeat? ut: *Ne concupiscamus res malas, sicuti illi concupiverunt*, scilicet res malas. *Ne estote idololatrae, sicut quidam eorum*, scil. fuerunt. &c.

Pag. 94. Verba Ioh. 12, 41. *de Deo patre accipi possunt. Nec obstat, quod in seqq. statim verbis de Christo sit sermo; nam verba vers. 42. non cum proxime praecedentibus, sed cum verbis commatis 37. cohaerent, & intermedia parenthesi includenda sunt. Et si ad Christum referenda essent, dici posset, in illa Dei gloria, quam Esaias vidit, Christi quoque gloriam fuisse visam, sed futuram, cum vatibus sit proprium, futura videre. Eam autem Dei gloriam vidit, qua plena esse terra dicitur. Hoc autem tum demum vere & perfecte contigit, cum Deus per Christum toti mundo patefactus fuit. Adde, priora ista Iohannis verba,* cum vidit gloriam eius, *ad prius ex prophetia Esaiae allegatum sermonem recte referri, posteriora autem,* & locutus est de eo, *ad allegatum posterius, sive ad eum locum, in quo Esaias de Christo simpliciter & absque visione gloriae eius locutus est*]

Ex an-

Ex antecedentibus & consequentibus patet, de Christo sermonem esse: & huius nomen implicite & per ellipsin ibi continetur, sicut non minus ℣. 39. quam 37. de eo intelligendus est. *Gloria* Christi, quam vidit Esaias, non erat futura, quia Christus eam habuit, priusquam esset mundus, Ioh. 17, 5. Nec vates tantum futura videre solent: alioqui nec Patris gloriam, nisi futuram, vidisset Esaias. Christo sine dubio praerogativa aliqua tribuitur, dum dicitur, Esaiam eius gloriam vidisse. Nullam autem haberet praerogativam prae fidelibus, si tantum propterea eius gloria visa diceretur, quia visa est in gloria Patris; nam & in fidelium gloria, gloria Dei conspicua est. Denique sufficit, unum eundemque esse, cuius gloriam vidit Esaias, & de quo locutus est. Locutus autem est de Christo, quippe ad quem Iohannes verba illa applicat. E. etiam vidit Christi gloriam.

Pag. 96. Ioh. 1, 14. *non habetur*, Deum incarnatum esse. *Et potest sic reddi*: Verbum caro fuit. *Atque sic verborum hic est sensus: Sermo, quamvis tanta divinitate praeditus, substantia sua fuit homo, miseriis & afflictionibus ac morti denique, non minus ac caeteri homines, obnoxius.*] Dicitur tamen ℣. 1. *Sermo erat Deus.* Et in nostro loco dicitur, *sermonem factum esse hominem.* E. Deus factus est homo. γίνεσθαι proprie significat *fieri.* Et si sumitur metaleptice pro *esse*, tamen connotat *fieri.* Immo ipse Iohannes distinguit ab imperfecto ἦν, quo simplex esse subiecti notatur, sine ratione principii aut ortus illius, cum dicit: In principio *erat* verbum, & verbum *erat* apud Deum &c. Denique sensus allatus est tautologus; idem enim est, ac si diceretur: Homo factus est homo.

Pag. 99. *Phil.* 2, 6. 7. forma Dei *non potest designare Dei naturam, quia Deus sua natura se exinanire non potest; sicut* forma servi *non denotat humanam naturam. Et semel adhuc in N. T. occurrit verbum* formae, *videlicet Mar.* 16, 12. *& significat exteriorem speciem. Nec*

phrasis, habitu inventus, ut homo, *incarnationem Christi probat, quum nec alibi eam significat, ut Iud. 10, 7. 11. & Ps. 8, 2. Ut sensus sit: Christum, quia in mundo, instar Dei, opera efficiebat, factum esse tanquam servum & mancipium, & hominum nulla divina virtute praeditorum similem, non re ipsa, sed specie & figura.*] Forma Dei h. l. quidem non praecise significat naturam Dei, eam tamen connotat. Et significet vocabulum μορφὴ Mar. 16. exteriorem speciem, non rei essentiam, an necesse est, eandem significationem etiam hîc habere locum? Inter reliqua loca & nostrum, est magnum discrimen: Samson enim dicitur esse, ut homo, ratione imbecillitatis. Ps. 8. comparatio instituitur, tantum ratione mortis. Sed in nostro loco particula *ut* est comparativa, non ratione tertii, sed omnium & singulorum, quae de homine praedicari possunt. Denique ex data explicatione sequeretur, etiam Apostolos, & omnes reliquos, qui donum miracula faciendi habuerunt, fuisse in forma Dei, immo Apostolos Christo praeferendos esse eo, quod maiora opera fecerunt, ut ipsis praedixit Christus Ioh. 14, 12.

Pag. 100. 1. Tim. 3, 16. *in vulgata non legitur vox* Deus, *ut nec in syriaca. Et si legeretur, tamen ad Deum patrem posset referri. Nec dicitur*, receptus in gloriam, *sed* in gloria, i.e. *cum gloria, aut gloriose. Ac sensus est: Deus voluntatis suae arcana per homines infirmos & variis vexationibus obnoxios patefecit.*] Attamen legitur vox *Deus* in graecis exemplaribus, fatente ipsomet Smalcio. *Caro* sane interdum significat humile, abiectum, fragile. An autem semper? Neque Deo patri immediata manifestatio in carne tribuitur. *Iustificari spiritu*, est, declarari δικαιωθεὶς in spiritu, Rom. 1, 4. Nec dicitur *voluntas Dei manifestata est*, sed *Deus visus est angelis*. Et ipse Christus praedicatus est, 1. Cor. 1 23. omnesque ei, scilicet Deo in carne manifestato, crediderunt. Perinde etiam est, sive dicatur receptus *in gloriam*, sive, *in gloria*. Vide Luc. 24, 26. Eph. 4, 8. Col. 2, 15.

Pag. 102.

Pag. 102. Heb. 2, 16. *non dicitur*, *Christum* assumsisse, *sed* assumere *seu potius apprehendere semen Abrahae*; i. e. *eos, qui in Christum credunt. Hos apprehendit Christus, dum, veluti manu iniecta, ex servitute ob mortis metum, in libertatem eos vindicat*] Ponitur ἐπιλαμβάνεται pro ἐπελάβετο, per enallagen temporis. *Semen Abrahae* interdum quidem notat omnes credentes, sed heic Christus eo sensu dicitur assumsisse semen Abrahae, quo ipse dicitur *semen Abrahae*, Gal. 3, 16. Quum autem Deus hominem suscipit in tutelam, eumque liberat, non propterea Deus fit homo. Nec Deus pater dicitur semen Abrahae assumsisse, quamvis afflictis fidelibus opem ferat.

Pag. 103. 1. Ioh. 4, 2. *non dicitur*, venit in carnem, *sed* in carne. *Nec Iohannes scribit*, spiritum, qui confitetur, quod Christus in carne venerit, ex Deo esse, *sed*, quod is spiritus, qui confitetur Iesum Christum, qui in carne venit, ex Deo sit. *Quorum verborum sensus est, eum spiritum ex Deo esse, qui confitetur Iesum illum, qui in terris summa cum infirmitate carnis versatus est, & mortem ignominiosam oppetiit, omnique adeo splendore & potentia humana, quam in suo Messia Iudaei requirerent, caruit, esse Christum populi Dei, promissum illum regem.*] Ἐν ponitur interdum pro εἰς, ut 1. Thes. 1, 8. & c. 4, 7. Debet autem verti, *in carnem*, quia sic Iohannes exorditur primam suam epistolam, c. 1, 1. Qui igitur venit in carnem, praeextitit ante illum adventum. Et esto, ἐν σαρκὶ, vertendum esse, *in carne*, tamen potest hinc argumentum duci pro incarnatione, quia *venire in carne*, praesupponit *venisse in carnem*. Sensus autem verborum adductus non potest subsistere, quia multi professi sunt, Christum absque pompa & splendore externo, in magno mundi contemptu apparuisse, officioque suo functum esse, qui tamen ex Deo non sunt. Et sequeretur, Christum demum aetatis anno trigesimo, quippe quo officium suum auspicatus est, in carne venisse, antea autem ἄσαρκον fuisse.

Pag. 104.

Pag. 103. *Heb. 10, 5. non fit mentio incarnationis: nam etiam de quovis homine dici potest*, ei corpus a Deo fuisse aptatum seu concinnatum. *Deinde Psalmi verba primo sensu de Davide intelliguntur. Quis autem eum dixerit incarnatum esse? Et ad Christum accommodata, accipi possunt de corpore ipsius immortali, quod ei Deus aptavit, praesertim si per* ingressum eius *intelligitur ingressus in mundum futurum. Ut sententia loci sit, Deum Iesu tale corpus aptasse & concinnasse, quod ad obeundum in coelis pontificis summi munus aptum & accommodatum foret.*] Christi ascensio in coelum non est ingressus in mundum, sed potius egressum e mundo consecuta est. Vide Ioh. 16, 28. De quo autem mundo apostolus loquatur, docet ℣. 7. Cui similiter dicit Christus Ioh. 6, 38. Verba autem haec, *corpus aptasti mihi*, non debent de immortali corpore accipi, quia falso supponitur, Christo ad obeundum munus sacerdotale debuisse spirituale corpus adaptari, cum ille in terris quoque fuerit sacerdos noster.

Pag. 106. & 107. Ioh. 1, 1. *agitur de* verbo sive sermone Dei, *qui alius est a Deo, quia* apud eum *dicitur* fuisse. Ioh. 20, 28. *Thomas (si modo Thomae verba non sunt rem admirantis) Christum appellat Deum*, in cuius pedibus & manibus, *clavorum*, & latere, *lanceae vestigia deprehendit.* Rom. 9, 5. *Paulus eum vocat* Deum benedictum supra omnia, qui secundum carnem ex patribus erat. *Quae omnia de eo, qui Deus ille unus est, dici nequeunt.*] ℞. ad 1. Sermo fuit apud Deum non physice, sed ὑπερφυσικῶς: quo indicatur, eum eiusdem cum patre esse essentiae. Ad 2. Thomas non secundum vestigia clavorum & lanceae eum appellat Dominum ac Deum suum, sed secundum divinam naturam: sicut, quod ad 3. notandum, Paulus Christum, non qua Deus, sed qua homo, seu secundum carnem, dicit esse ex patribus.

Pag. 209. *Ioh. 10, 29. 30. Christus dicitur* unum esse cum patre, *non ratione naturae, sed individui consensus. Et quod Christi natura divina inde non probetur, ex eo constat, quod Pater omnibus, adeoque & Christo,* maior sit, *quod idem Christo oves* dederit, *& quod Christus* ex Patris invi-

invicta potentia *argumentum sumat, nunquam fore, ut sibi oves suae a quoquam rapiantur.*] Voluntatis consensus, essentiae unitatem in divinis non destruit, sed potius, supponit. Eademque in salutis nostrae negotio potentia infert, Christum cum Patre unum esse natura; infinita quippe requiritur in illo negotio potentia, respectu infiniti demeriti, quod tollendum, & ratione boni infiniti, quod conferendum erat, per munus Christi propheticum, sacerdotale, & regium; nemo enim corda illuminare & regenerare, nemo infinitum λύτρον solvere, nemo universam ecclesiam gubernare potest, qui infinitam non habeat potentiam. Deus pater autem *Christo maior* dicitur ratione humanae naturae, & muneris mediatorii, ad quod se ipse sponte exinanivit, deitate ad tempus occultata. Neque is, qui alteri quid *dat*, propterea maior est: nam & inferior superiori aliquid dare potest, ut nos Deo, subditi magistratui, & aequalis aequali ex mutuo amore.

Pag. 111. *Ex Ioh. 5, 18. non potest inferri natura divina Christi, quia nemo sibi ipse est aequalis. Neque Christus se aequalem Deo fecit, sed Iudaei sic de Christo iudicarunt; Christus autem in sui aequalitate cum Patre, inaequalitatem esse demonstravit, dum ait*, se nihil a se ipso facere posse. *Locus ad Phil. 2, 6. idem ostendit, partim quod in graeco non est*, aequalem esse Deo, *sed* aequalia, *h. e. per graecismum*, aequaliter esse Deo, esse instar Dei, *partim quod ad tempus deposuerit istam suam cum Deo aequalitatem.*] Christus Deo erat *aequalis*, non persona, sed tamen essentia. Atque ipse se dixit aequalem esse Deo, iuxta syri interpretationem. Et annon aequalitas haec fluit ex eo, quod dixit Deum patrem suum? Phrasis altera, *Filius non potest a semet ipso operari*, non infert essentiae diversitatem, sed ordinem personarum, secundum quem Filius a Patre habet eandem, ut essentiam, sic virtutem. ἀφ' ἑαυτοῦ aequipollet etiam hebraico לבדו *seorsum*, at-

que adeo indicatur unitas potentiae. Et quid, ſi verbum *poteſt* habet ſignificationem *velle*, ut Mar. 6, 5.? Quo ipſo indicaretur unitas conſenſus.

Pag. 112. & 113. Matth. 16, 16. *Petrus confitetur*, filium hominis, *de quo erat quaeſtio*, eſſe Chriſtum, & filium Dei viventis. *Filius autem hominis, naturam divinam non habet. Immo & alii homines dicuntur filii Dei viventis, ut ex Hoſea citat Paulus Rom. 9, 26. Rom. 8, 32. & Ioh. 3, 16.* proprius & unigenitus Dei filius *dicitur* in mortem traditus: *quod de eo, qui natura Deus ſit, dici non poteſt. Quin eo, quod filius Dei eſt Chriſtus, non eſt Deus; alioqui ſui ipſe filius eſſet.* Proprius *autem appellatur* filius, *quia ſolius Dei eſt filius, a ſolo Deo per ſpiritum S. generatus, cum* proprium *nihil aliud denotet, quam non alienum, nec commune, ſed omnino ſuum.* Vnigenitus *vero* ſeu unicus *ideo appellatur, quod inter omnes filios Dei & praecipuus ſit & Deo chariſſimus, ut Iſaac & Salomo, Heb. 11, 17. Prov. 4, 3.* unigeniti *dicuntur, licet ille Iſmaëlem, hic plures haberet fratres.*] Petrus confitetur, quid de Chriſto credat, tam officii, quam naturae ratione. Nempe ratione officii, quod ſit Chriſtus, i. e. unctus in prophetam, ſacerdotem & regem: ratione naturae, quod ſit filius Dei viventis, ſcilicet non adoptione, ſed natura: nam ſi tantum intellexiſſet filium adoptione, ad id peculiari revelatione non habuiſſet opus. Rom. 9. alii autem homines dicuntur filii Dei, quoad adoptionem. Et Chriſtus *filius Dei* dicitur, vocabulo Dei non eſſentialiter, ſed perſonaliter ſumto, ſeu dicitur filius perſonae patris. *Proprium* tripliciter ſumitur, 1. pro eo, cui opponitur commune. Sic propria domus dicitur, quae alicui cum alio non eſt communis. 2. pro eo, cui opponitur alienum. Sic qui ſcortatur, in proprium corpus peccare dicitur, 1. Cor. 6, 18. 3. ut opponitur metaphorico. Et hoc tertio modo Chriſtus appellatur *filius Dei proprius*, quia opponitur adoptivis, quippe qui metaphorice ſunt filii. Iſaac revera erat unigenitus ex Sara, at-

ra, atque eiecto Ismaële, unicus dictus fuit heres, Gal. 4, 34. Salomo *dicitur unicus coram matre sua*, i.e. prae reliquis liberis ab ipsa dilectus. Ubi *unicus* improprie sumitur. An autem etiam sic sumendum hoc vocabulum de Christo usurpatum?

Pag. 114. *Cum Christus dicatur Col. 1, 15.* primogenitus omnis creaturae, *eum unum e numero creaturarum esse necesse est. Non autem est primogenitus veteris creaturae: ergo novae. Dicitur autem* primogenitus novae creaturae, *quia tempore & praestantia res omnes novae creationis longe antecedit.*] Vox *primogeniti* vel sumitur proprie, vel improprie. Qui proprie dicitur primogenitus, is sane est ex ordine eorum, qui post ipsum nati sunt. Sed Christus dicitur improprie primogenitus omnis creaturae, quia ante omnes creaturas, & sic ab aeterno fuit. Nec valet haec consequentia: Christus est primogenitus creaturae, ergo & ipse est creatura: nam & Deus dicitur *Deus deorum*, licet ipse non sit ex ordine istorum deorum. Porro etiam notandum, locum hunc non agere de regeneratione, quia *omnia* dicuntur per Christum condita, & quidem *visibilia & invisibilia*, immo & *angeli*. Denique si Christus omnem novam creaturam tempore antecedit, nova autem creatura etiam ante Christum incarnatum fuit, sequitur, quod etiam ante illius incarnationem fuerit: annon secundum divinam naturam?

Pag. 115. *Ioh.* 16, 15. & c. 17, 10. omnium *nomine nullo pacto includitur natura seu essentia, sed res tantum, quae ab aliquo possidentur, praesertim si alter alteri sit subordinatus, ut Christus Deo patri. Si ad essentiam referendum esset, sequeretur, Christum eandem numero cum Patre habuisse essentiam.*] Quod Christus ὁμουσίαν suam cum Patre his verbis voluerit asserere, patet ex eorum diligenti inspectione: non enim loquitur indefinite, vel particulariter, sed universaliter, *omnia*. Nec dicit, quae habet Deus, sed,

quae *Pater* habet, iudicans, omnia illa ſe habere per aeternam generationem. Neque etiam dicit, mea erunt, ſed *ſunt*: ad ſignificandum, ſecundum divinam naturam eſſentialiter & invariabiliter ſe omnia habere, quae Pater habet, paternitate tamen excepta, utpote quae perſonalis proprietas Patris ſit. Neque vero apud nos abſurdum, Chriſtum eandem numero cum Patre habere eſſentiam, idque ob eius infinitatem. Subordinatio ratione deitatis, ſomnium eſt, & ſi quid vanius iſto.

Pag. 116. Eſa. 9, 6. *non eſt ſermo de aeternitate*, quae omni careat principio: *alias duo ab omni aeternitate patres introducerentur. Sermo quoque eſt de puero olim naſcituro, qui ab omni aeternitate exiſtere non potuit. Hinc graeci interpretes & latinus ſic reddiderunt:* pater futuri ſeculi. *Poteſt autem Chriſtus* pater aeternitatis *ſeu* aeternus *vocari, quia eſt princeps & autor vitae aeternae.*] R. עד de aeternitate uſurpatur etiam Eſ. 57, 15. ubi de Deo dicitur, quod inhabitet aeternitatem. Et Chriſtus ſecundum aliud dicitur *puer naſciturus*, ſecundum aliud *pater aeternitatis.* Eſto etiam, eum dici patrem aeternitatis, quia princeps & auctor eſt vitae, tamen vel inde eius divinitas probatur, quia utique divinum opus eſt, vitam aeternam dare poſſe.

Pag. 117. & ſeqq. *Ioh.* 1, 1. & *Apoc.* 19, 13. *Chriſtus appellatur* verbum Dei, *non ob divinam illam naturam: nam quia unius Dei verbum eſt, apparet, non eſſe eum unum illum, (quod etiam valet de eo, qui dicitur imago Dei inconſpicui, & character hypoſtaſeos eius) ſed quoniam divinae voluntatis immediatus, immo excellentiſſimus (quod indicatur in graeco per additum articulum) interpres & ſimul exſecutor fuit. Sic etiam* imago Dei inconſpicui *vocatur Col.* 1, 15. *quia Deum, quem nemo vidit unquam, conſpiciendum & cognoſcendum nobis dedit in iis, quae cognoſci a nobis, ſalutis noſtrae intererat:* & character hypoſtaſeos *i. e. ſubſtantiae Dei, ut* & ſplendor gloriae illius, *Heb.* 1, 3. *quatenus in Chriſto, quum in terris verſaretur, Dei ſumma potentia, ſapientia, bonitas reſplenduit, & inviſibilis ipſius ſubſtantia, per opera a Chriſto edita ex-*

ta, expressa, & ob oculos nobis posita fuit, immo & quatenus Deus Christum sibi divinae naturae & gloriae participatione simillimum effecit, in eoque se coli & adorari ab omnibus vult. Ioh. 14, 9. per visionem *intelligenda est cognitio, & quidem eorum, quae dixit & fecit Christus. Neque ex eo, quod in vers. 10. dicitur, Patrem in Christo esse, & Christum in Patre, natura ista divina colligitur, cum idem Christus dicat de discipulis suis Ioh. 15, 4. 5. & c. 17, 21, 23. sed tantum denotatur summa Patris & Christi coniunctio, qua fiat, ut neque Pater Christum deserat, neque ipse a Patre ulla in re in diversum abeat.* Plenitudo deitatis *Col. 2, 9. significat veram & coelestem sapientiam, divinaeque voluntatis solidam cognitionem, ceu patet ex vocabulo* omnis, *& vers. seq. item ex Ioh. 1, 15-18. Vox* corporaliter *autem opponitur umbris legalibus, sicut ex vers. 17 animadverti potest, & significat idem, ac vere & solide.*] Λόγος est essentialis vel accidentalis. Iam autem Christus non fuit verbum accidentale, quod ore profertur aut scripto inseritur: ergo fuit essentiale verbum. Dicitur autem Christus λόγος *Dei*, non tantum propter expositionem omnis voluntatis Dei, sed & quia character est & repraesentatio existentiae Patris, atque in ipso, videlicet Christo, cognoscitur naturalis sanctitas & misericors voluntas Dei patris, & Christus est obiectum sermonis evangelici. Similiter *imago Dei* inconspicui & *character substantiae patris* appellatur, non accidentalis, sed substantialis, videlicet ob identitatem essentiae. Reliquae explicationes, etiamsi aliquid dicant, tamen non sunt sufficientes, quia excludunt ὁμοουσίαν Christi cum Patre: quae tamen non erat excludenda.

Pag. 122. *Ex Ioh. 17, 5. non potest Christi summa divinitas probari, quia etiam de credentibus dicitur 2. Tim. 1, 9.* illis datam fuisse gratiam ante tempora secularia. *2. Christus* rogat *istam gloriam. Sententia autem loci est, Christum rogare Deum, ut sibi gloriam facto ipso det, quam habuerit apud ipsum, constitutione & decreto, antequam mundus fieret. Neque dicit simpliciter, se habuisse, sed* apud Patrem, *scilicet repositam.*]

 De e-

De electis 2. Tim. 1. non dicitur, eos gloriam habuisse apud Patrem ante conditum mundum, sed *gratiam Dei illis datam esse a Deo*, & additur, *secundum suum propositum.* At Christus absolute dicit, quod gloriam illam *habuerit.* Si autem intelligere voluisset destinationem, eius quoque mentionem facere debuisset, ac dicere: *gloriam, quam mihi destinasti.* Non autem hunc esse loci sensum, ex eo patet, quia Christus ea gloria petit glorificari apud Patrem, quam habuit apud eum ante mundum conditum. Iam autem non petiit glorificari in mente Patris & praedestinatione, sed re ipsa, existendo apud Patrem, illam habere. Ergo etiam, dum ait, se gloriam illam habuisse apud Deum, intelligit, se habuisse tunc, cum existeret apud Patrem, uti dicitur Ioh. 1, 1.

Pag. 123. *1. Pet. 1, 10.* spiritus, *qui in prophetis erat*, Christi *dicitur, non quod a Christo datus fuerit, sed quod ea, quae Christi fuerunt, praenuntiavit, sive etiam quod idem fuerit cum spiritu, qui in Christo, quanquam longe copiosior, habitaturus erat. Simili locutione utitur Iohannes in hac 1. epist. v. 6. ubi ex* spiritu veritatis & spiritu erroris, *non licet colligere, veritatem & errorem personas esse.*] *Spiritus* ita dicitur *Christi*, ut Patris. Annon autem dicitur spiritus Patris, quia Pater eum dat? Ergo etiam dicitur Christi, quia Christus eum dedit Prophetis. Error & veritas spiritum non possunt conferre, quia personae non sunt. At Christus, cum persona sit, spiritum conferre potest, immo & contulit Prophetis.

Pag. 125. *Ioh. 3, 13. Christus dicitur* descendisse de coelo, *figurate, quemadmodum Iac. 1, 17.* omne donum, *& Apoc. 21, 2.* Hierosolyma *e coelo dicitur descendere. Vel si propric accipiendum, non de alio, quam de filio hominis sermo est, qui, cum naturam humanam habeat, Deus ille esse non potest. Quod de Christo dicitur Ioh. 10, 36.* Patrem eum misisse in mundum, *idem de Apostolis legimus Ioh. 17, 18. Adde, quod Deus miserit filium suum*, factum seu natum ex muliere, *Gal. 4, 4. Unde liquet, non fuisse missum, ut demum ex muliere nasceretur. Verba de* exitu a Patre & adventu in mundum, *Ioh. 16, 28. idem valent quod*

illa

illa de descensu e coelo. *Neque enim ante in mundum venit, quam a Patre esset missus, sed potius missus fuit, ut in mundum veniret; missus autem fuit ad praedicandum publice evangelium.*] Qui descendit de coelo, qua talis non est natus in terra. At secundum humanam naturam Christus non descendit, quia humanam naturam accepit in virgine Maria. E. secundum aliam, scilicet divinam. Ad quid autem possibilitas figuratae acceptionis adducitur, si proprie, ut perlibenter admittere se dicunt adversarii, potest capi? Filius hominis naturam certe humanam habet, at non solam. Alia est missio Christi, alia missio Apostolorum. Christi missio est eius nativitas, per quam dicitur *in mundum* missus, factus seu natus ex muliere. At missio Apostolorum facta est *ad munus*. Hinc de nativitate Apostolorum non dicitur, quod *sint missi*. Sicut igitur cum Apostoli dicuntur missi ad munus, supponuntur iam extitisse, antequam mitterentur, ita etiam cum Christus per nativitatem dicitur missus in mundum, supponitur iam extitisse. Extitit autem non secundum humanam, sed divinam naturam. Neque vero propterea negatur eius missio ad munus: attamen haec praesupponit missionem in carnem.

Pag. 129. 1. Cor. 8, 6. *Christus manifeste a Deo illo uno secernitur. Et licet etiam de Patre dicat scriptura,* omnia per eum esse, *aliter tamen de eo, quam de Christo accipiuntur: de Patre enim haec ideo dicuntur, quia non tantum eius consilio omnia primo instituuntur, verum etiam eius virtute omnia perficiuntur, etiamsi nonnunquam aliae causae mediae ab ipso adhibeantur. Et agit apostolus de iis omnibus rebus, quae ad populum christianum pertinent, ut praeter vocem* pater, *ac* unus ille dominus, *quae propriae sunt novi foederis, demonstrat vox* nobis, *aliquoties repetita.* 1. Cor. 8, 2. *agitur de eo, qui crucifixus est. Ex hoc ergo divina Christi natura illa probari non potest. Homo autem ille dicitur* dominus gloriae *seu gloriosus eo, quod a Deo honore & gloria coronatus est: nam describitur, qualis esset, cum Paulus haec scriberet. Quanquam etiam tum, cum crucifigeretur, dominus gloriae fuit, quatenus ad coele-*

stem

stem gloriam fuit destinatus. Apoc. 17, 14. & c. 19, 16. agitur de eo, qui agnus est, & qui vestimenta habet, atque occisus est. *Quae in eum, qui natura Deus est, non cadunt. Omnia vero, quae Christo in his testimoniis tribuuntur, summam ipsius in omnia potestatem, quam ipsi Deus dedit, arguunt.*] ℟. ad cap. 8. Secernitur Christus a Deo patre, quoad personam, non vero quoad essentiam. Τὸ *omnia* absolute ponitur. Neque de iis tantum rebus accipiendum est, quae ad populum christianum pertinent, quia statim sequitur: *& nos per ipsum.* Deus etiam reproborum est *pater*, videlicet ratione creationis & conservationis. Particula *nos* collectiva est, iudicio charitatis, h. e. includit etiam illos, qui a nobis putantur esse filii Dei renati, etiamsi iudicio Dei non sint tales. Ponamus autem, in dicto illo sermonem esse de rebus ecclesiae sive christiani populi, tamen quia hic populus, non quidem nomine, sed re tamen iam fuit in V. T. & iam per universum mundum dispersus, opus habet, ad sui directionem & defensionem contra tot ac tantos hostes, domino infinitae scientiae & potentiae, vel inde etiam Christi divinitas constaret. Porro Christus *crucifixus* dicitur, *occisus agnus, vestimenta habere*, quoad humanam naturam, & quidem, quod duo ultima attinet, improprie & metaphorice. Sequeretur etiam, ob allatam rationem, homines quoque *dominos gloriae* appellari posse, si Pf. 8, 6. ut certe volunt Sociniani ipsi, de homine sermo est.

Pag. 131. Ioh. 14, 1. *Christus sibi fidem non ea ratione arrogat, qua Deo debetur. Hinc Ioh. 12, 44. ait:* Qui credit in me, non credit in me, sed in eum, qui misit me. *Ideo autem in Christum fidem collocamus, quod supremam nobis felicitatem, a Deo ad hoc missus, promiserit, quodque nos felices efficiendi potestatem a Deo acceperit. Et sic fides nostra in Christum, ad ipsum Deum, tanquam ultimum finem, dirigitur, secundum 1. Pet. 1, 21.*] Christus Ioh. 12. loquitur ex hypothesi Iudaeorum, qui eum putabant nudum esse hominem. Et

omissae

omiſſae ibi ſunt particulae *tantum* & *etiam*, atque hic eſt ſenſus: Qui credit in me, non credit *tantum* in me, ſed *etiam* in eum, qui miſit me, quoniam videlicet eiusdem ſumus eſſentiae. Tales ellipſes cum alibi extant, tum Gen. 32, 28. Ex. 16, 8. vel 9. Ratio allata, cur in Chriſtum credendum ſit, aliquid, ſed non omne dicit: nam officium mediatorium, & maieſtas divina ipſi data in tempore, non excludit poteſtatem, quam habet ab aeterno, ut filius Dei unigenitus.

Pag. 132. Ier. 17, 5. *non abſolute dicitur*, maledictum eſſe, qui confidat in homine, *verum qui ita confidat, ut* carnem ponat brachium ſuum, *h. e. in mortalis hominis viribus ſpem ſuam defigat, non vero in ſpiritu ſeu virtute divina. Hinc additur*: & a Domino recedit cor eius.] Propheta non dicit, quatenus confidere in homine aut viribus humanis peccatum ſit, nimirum, ſi forte fiat abſque divinae virtutis auxilio, peccatum eſſe, ſin autem cum auxilio illius, non eſſe peccatum, ſed ſimpliciter docet, nullo modo confidendum eſſe in hominibus. Verba adiuncta, *& a Domino recedit cor eius*, non ſunt ita ſumenda, quaſi determinarent ac definirent priorem phraſin, ſed copulative, hoc ſenſu: eum eſſe maledictum, qui ita confidat in homine, ut corde ſuo recedat a Deo, nam quicunque id facit, eum hoc etiam committere, ut corde ſuo recedat a Deo.

Pag. 133. *Eſa. 42, 8. negat Deus, ſe* alteri *honorem ſuum daturum, qui ſcilicet nullam ſecum communionem habeat, & unde ad ſe nulla gloria, quae ipſis datur, derivetur: qualia ſunt* ſculptitia, *ut ſtatim ſequitur. Vnde verba* non dabo, *nihil aliud ſignificant, quam* non promittam; *non vero ſimpliciter, nemini ultro & ad maiorem mei gloriam communicabo.*] Verba ſunt generalia, dum dicitur, *non alteri*. Neque reſtringuntur per id, quod ſequitur, *neque honorem meum ſculptilibus*, ſed certo duntaxat exemplo exponuntur & illuſtrantur. Et loquitur Deus de gloria redimendi & ſalvandi genus humanum, quod nullius niſi Dei eſt,

Si autem subordinatis sibi & a se dependentibus suam communicare potest gloriam, tunc honorem suum omnibus personis & rebus communicare dicendus esset, quia omnes ei subordinantur, atque ab eo dependent.

Pag. 134. *Scripturae veteris testamenti dicta quaedam, de Deo loquentia, per quandam applicationem Christo accommodantur tantum, nec naturam illam divinam probant.*] De accommodatione ista, quam sibi fingunt Sociniani, legenda est disp. peculiaris Hackspanii, in Sylloge disp. eius p. 422. & disp. inauguralis Andr. Kesleri de Allegat. dictorum V. T. quae subiuncta est isti Sylloge, & in cuius th. 39. verba haec legimus notatu digna: *Ne absque causa confugiatur ad accommodationes typicas, allusiones &c. probe advertendum est, inprimis in iis, quae ex V. T. de Christo allegantur*, an literalis sensus Christum concernat. *Ad hanc rem procul dubio certissimum est medium, si coniungatur* indagatio textus V. T. & consideratio allegantis in N. T. *Quod enim dictum in N. T. citatur, & ad Christum disertis verbis refertur ex textu in V. T. qui, quod de alio non possit literaliter intelligi, ex circumstantiis textus apparet, illud sensu literali de Christo est intelligendum. Quod vero dictum citatur ex tali textu, cuius circumstantiae repugnant, nec patiuntur proprie de Christo illud intelligi, monstrant autem, de quo intelligatur, illud per alium sensum, praeter literalem, ad Christum accommodatur. Quod porro dictum de Christo, in N. T. ex V. T. disertis verbis allegatur, ex textu tali, qui non repugnat literaliter de Christo intelligi, sed tamen de aliis etiam posset sine absurditate accipi, illud potius literaliter ac proprie de Christo intelligendum est, quam de alio: siquidem tutissimum est, in explicando V. T. Christum, Evangelistas & Apostolos, interpretes infallibiles, sequi.*

Pag. 141. *Sententia de natura Christi divina, partim* Dei gloriam obscurat, *quia gloriam unius Dei, quae soli Patri debetur, ad alium trans-*

transfert, & Deum ea gloria privat, quam in I. Christo exaltando quaesivit; *partim* spei nostrae certitudinem convellit, *quia ille statuitur vi divinae suae naturae a mortuis resurrexisse, nos vero illam non habemus*; *partim* aliud ex Christo subjectum facit, *aliumque Dei Filium inducit, in quem cultus & honor divinus conferatur.*] Petitur id, quod est in principio, quando unus Deus solus Pater dicitur. Ipsi autem Patri nihil decedit, si honor divinus etiam in eum confertur, qui ab eo nec essentia nec potentia differt, quandoquidem ipse vult, ut omnes honorent Filium, sicut honorant Patrem, Ioh. 5, 23. Et spei nostrae certitudo sententia nostra confirmatur; tantum abest, ut tollatur: nam si Christus se ipse excitavit, quid impediet, quo minus & nos excitet e mortuis? Neque alium ex Christo facimus, quam qualem nobis describunt & exhibent sacrae paginae.

Pag. 146. *Dominus Iesus ad divinae voluntatis notitiam pervenit ea ratione, quod in coelum ascenderit, ibique Patrem suum viderit, & ea omnia, quae docere debebet, ab eodem audierit.*] Scriptura S. rationem illam non suppeditat, sed potius plenissima Spiritus S. inunctionem, Luc. 4, 18. Neque dicta scripturae, quae postea afferuntur ex Ioh. 3, 13. 31. 34. 6, 38. 46. 8, 26. 28. 12, 4. 50. Luc. 4, 18. Nam ea mentionem quidem faciunt descensus, informationis & visionis cuiusdam, sed non talis, qualem comminiscuntur adversarii. Dicit sane Christus, se coelitus venisse, sed non dicit, se inde rediisse. Venit autem e coelo, non carnis, quam demum ex matre habuit, sed naturae divinae respectu, non quidem locali motu, sed humanae carnis assumtione. Edoctus fuit a Patre, ut alii Prophetae, quibus Deus per spiritum suum suggessit dicenda, praeterquam quod eum in finem raperentur in coelum. Neque a partibus Socinianorum stant exempla Pauli in coelum rapti, & Mosis in monte edocti: nam Paulus audivit

ineffabilia verba, 2. Cor. 12. & Moses extraordinarie institui necesse habebat, cum Christus a primo conceptionis momento Spiritu S. esset unctus. Idem vidit Patrem, non ut discipulus ludimagistrum: nam, ut Augustinus docet lib. de Praedestinat. *valde remota est a sensibus carnis haec schola, in qua Pater auditur & docet*; sed quatenus eum & eius decreta intime cognoscit, quippe qui est in sinu Patris, eiusque unigenitus & consubstantialis filius.

Pag. 148. *Novum foedus comprehendit tum praecepta tum promissa.*] Non excludimus nos quidem praecepta a novo foedere, id tamen in illis non proprie constitit: nam novum foedus proprie est pactum illud gratuitum, promittens omnibus in Christum credentibus iustitiam ac vitam aeternam, per & propter mortem Christi. Qua morte etiam ratificatum est & confirmatum, & ab ipso Christo in carne exhibito revelatum nobis, eiusdemque iussu per totum terrarum orbem, Apostolorum praeconio divulgatum. Vide Fabricii Syst. theol. 413.

P. 153. *Potest quisque magistratum gerere, modo in ipso capessendo & administrando ita se gerat, ne quid contra leges & instituta Christi delinquat.*] Quid vero hoc est, quo contra leges & instituta Christi potest delinquere? An supplicio capitali afficere sontes? Utique, inquiunt rigidiores. At magistratum gerere, & ius gladii habere, iuxta se possunt stare, ut docet Paulus Rom. 13, 4. Ipse etiam Christus capitalia supplicia probavit Matth. 15, 4. & c. 26, 52. Adde Apoc. 13, 10.

P. 160. *Christus I. praecepto addidit hoc, quod nos & orare omino iusserit, & quae orare necessario debeamus, nobis praescripserit. Deinde, quod ipsum etiam dominum Iesum pro eo, qui in nos potestatem habeat divinam, istoque sensu pro Deo agnoscere, ac porro ei confidere, & honorem divinum exhibere tenemur.*] Si cultus Dei consistit in adoratione & invocatione, ut dicitur pag. 158. cultus Dei

Dei autem primo praecepto continetur ac praescribitur, ut dicitur p. 157. omnino sequitur, orationem in V. T. fuisse praeceptam. Porro oratio dominica potest spectari dupliciter, secundum suum formale, nec non secundum materiale suum. Verum est quidem, quod non reperiatur totidem verbis, eoque verborum ordine in V. T. in quo consistit formale eius: interim res ipsae oratione dominica contentae, in quibus materiale eius consistit, etiam a fidelibus V. T. fuere requisitae. Sic prima & secunda petitiones reperiuntur in iis psalmis, quibus cunctae gentes ad confitendum nomen Dei invitantur. Ps. 9. 12. 100. Ad tertiam petitionem pertinet Ps. 119. Quartae petitionis materia est in Ps. 104. Ad quintam petitionem spectat Ps. 32. & 51. Ad 6. & 7. quoties vel David vel alii sancti ex tentationibus, morbis, angustiis, vel ipsa etiam morte liberari se flagitant. Christi adoratio autem indicata fuit etiam in Ps. 2, 12. *Osculamini filium.* Quod Symmachus reddidit: προσκυνήσατε καθαρῶς.

Pag. 148. *Praecepto II. addidit hoc, ut non tantum idola non colamus, sed caveamus etiam, ne istarum actionum, quae ad idololatriam aliqua ratione spectant, participes fiamus, ac porro etiam, ut loca illa, in quibus idola coluntur, studiose vitemus.*] Id vero etiam in V. T. prohibetur, & quidem Deut. 12, 2. ubi Deus iubet, *ut perdantur omnia illa loca, ubi gentes coluerunt deos suos; immo ut confringantur statuae eorum, & luci eorum comburantur igne.*

Pag. 187. *Nomen Domini in vanum assumere, est, Deum testem invocare, seu per nomen eius iurare, in rebus falsis.*] Immo etiam in rebus vanis. Nam שוא non significat tantum falsum, sed etiam vanum, ludicrum, inutile, frustraneum, minusque necessarium, ut Iob. 7, 3. 15, 31. Ps. 60, 13. 89, 48.

Pag. 188. *Tertio praecepto addidit, quod etiam dominum Iesum in testimonium vocare possimus. Deinde quod nobis non solum peierare non*

liceat, verum etiam ne in veris quidem iurare, nisi gravissimis causis.] Ratio allata, cur Christus etiam in testimonium vocari possit, videlicet quod *sit scrutator cordium & renum*, etiam in V. T. valuit: nam Christus talis coepit esse non in tempore, sed fuit ab aeterno: nec id per beneficium illi fuit collatum, sed habuit per naturam. Levitas autem iurandi, etiam in V. T. illicita fuit, iuxta Ps. 34, 14. &, quem ipse autor Catechismi racov. p. 189. allegat, Sirac. 23. 8. 9. 10. *ut* videlicet *nomen Dei altissimi esset in summa veneratione*, nec ulla ratione vilesceret. Quae causa affertur p 189.

Pag. 190. *Quod in 4. praecepto rituale & carnale fuit, una cum caeteris ritibus legis evanuit; cuius loco perpetui sabbati ferias indixit, quae in assidua divini nominis celebratione, & perpetua a peccatis vacatione consistunt.*] Praeceptum hoc spectatur vel ratione generis, vel ratione speciei. Genus morale est, quod videlicet aliquod tempus cultui divino destinandum sit; & rationi profecto plane esse consentaneum, ut unus hebdomadis dies divino cultui impendatur, sicut & omnes populi faciunt. Species vero ceremonialis est, quod Iudaei paedagogicam, nos dominicam quietem observamus, quodq; Iudaei septimum, nos octavum diem sanctificamus. Ut igitur ceremoniale huius praecepti abrogatum est, ita morale adhuc durat, semperque durabit. Ideo enim Deus ministros dedit, Eph. 4, 11. 12. qui iubentur audiri: & necesse est, esse aliquod tempus, quo plebs de mysteriis erudiatur, & cultus publicus, per quem ecclesia in mundo semper aliquo modo sit conspicua, conservetur. Neque obstat, quod dicitur Rom. 14, 5. Col. 2, 16. Nam in illo loco apostolus loquitur de *illa aestimatione dierum, quae offensionem tum temporis pariebat inter Christianos*: qualem certe observatio diei dominicae, quam apostolus ipse tunc in Ecclesiis obtinuisse docet, 1. Cor 16, 1. 2. praebere non poterat: in hoc damnat *superstitiosam dierum*

rum obſervationem, qua putatur plus ſanctitatis ineſſe uni diei, quam alteri. Perpetui autem ſabbati feriae, quae in aſſidua divini nominis celebratione conſiſtunt, & in perpetua a peccatis vacatione, etiam in V. T. obtinuerunt, quemadmodum patet ex plurimis ſcripturae illius dictis, ut Ex. 19, 5. 6. Levit. 19, 2. Deut. 28. Pſ. 1. Eſa. 1, 16. & paſſim in Proverbiis; patet etiam ex piorum exemplis, ut Abrahami, Iſaaci, Iacobi, Davidis, & aliorum.

Pag. 192. *Praecepto de diligendo proximo hoc addidit Chriſtus, quod* proximi *vocem, ac porro etiam dilectionem erga eum latius extendit: nam proximum cenſeri vult quemvis hominem, & perfectiori ratione eum, qui eiusdem corporis Chriſti una nobiscum membrum eſt, & vult omnes in univerſum proximos a nobis diligi.*] Etiam in V. T. per *proximum* intelligebatur omnis homo, ſive amicus, ſive inimicus, modo alterius ope indigeret, ut Chriſtus docet parabola de homine ſaucio, a ſamaritano humaniſſime tractato, Luc. 10, 37. Vide etiam Ex. 23, 4. 5. Et cum omnes diligere, eorumque bonum curare tenerentur, inprimis tamen id faciendum erat erga domeſticos fidei.

Pag. 202. *Sexto praecepto hoc additum eſt, ne fratri iraſcamur, neque verbis aſperis, ex ira prodeuntibus, eum offendamus.*] Vtrumque etiam in V. T. erat interdictum: illud quidem Levit. 19, 17. hoc Prov. 20, 22. Hinc ipſe Deus verba aſpera, quae in corde ſuo foverat Laban, repreſſit, Gen. 31, 24. Sed & animorum ira accenſorum reconciliatio praecepta fuit, quia Iacob Eſauo, Ioſeph fratribus, David Abſaloni & Simei, Iob viſitatoribus ſuis importunis reconciliatus eſt. Quae ſupererogationis opera fuiſſent, niſi fuiſſent praeſcripta.

Pag. 204. *VII. praecepto addidit, ne mulierem ita, ut eam concupiſcamus, aſpiciamus: & eum, qui uxorem excepta cauſa adulterii dimittat, & aliam ducat, moechari. Ex quo apparet, Chriſtum etiam polygamiam interdixiſſe.*] Etiam in V. T. fuit interdictum adulterium

rium cordis, videl. Ex. 20, 17. Deut. 5, 21. vel 27. Sir. 9, 8. & 2. Reprehenditur quoque Ezech. 23, 16. proponitur & exemplum honestum, Iob. 31, 9. & inhonestum, Gen. 39, 7. Coniugium fidelis cum infideli prohibetur Ex. 34, 16. Neque Christus novam de repudiis tulit legem, sed mosaicam a scoriis pharisaicis repurgavit, & revocavit ad primaevam coniugii sanctitatem. Matth. 19, 4. Et hic inprimis legi merentur *Seldenus* de Vxore ebraea, lib. 3. cap. 18. 23. 27. & *Bruckner* Decis. iur. matrim. c. 16. & seq.

Pag. 209. *Decimo praecepto additum est, ut non modo non coneris rem proximi iniqua ratione ad te pertrahere, sed ne quidem id facere velis, seu apud te constituas.*] At idem etiam in V. T. erat prohibitum, ceu patet ex Ps 62, 11. Si enim divitiis legitime acquisitis non licuit adiicere, quanto minus rebus illegitime desideratis?

Pag. 210. *Christus separatim dedit praecepta, quae ad religionem ac devotionem animi spectant, ut scilicet semper gaudeamus spe immortalis vitae, sine intermissione oremus, & in omni tempore vel re gratias agamus.*] Cum in scripturis V. T. quas Christus scrutari iubet, ipsius iudicio, vita aeterna habeatur, sequitur omnino, quod & pii V. T. spe illius vitae gaudere potuerint debuerintque. Vide Ioh. 8, 56. Heb. 11, 10. & 14. Gen. 49, 18. Iob. 19. Ps. 17, 13. Praecepta quoque fuit in V. T. assidua oratio, Ps. 50, 15. ut & gratiarum actio, ℣. 14.

Pag. 212. *Item quae ad mundi contemtum spectant, 1. Ioh. 1, 15. 16.*] Amor mundi, concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum seu illicitarum voluptatum, quae oculorum spectaculis hauriuntur, & fastus vitae, luxuriosos reddunt homines. Cum autem luxus, ipso fatente Smalcio, in Decalgo fuerit prohibitus, sequitur, Christum non peculiare contra eum dedisse praeceptum. Avaritia autem non demum sub N. T. coepit esse radix omnium malorum, sed semper talis fuit. Hinc indefinite de ea scribit apostolus 1. Tim. 6, 10. Et Genti-

Gentiles ex lumine naturae, vitii huius foeditatem agnoverunt & confessi sunt. Taxata illa fuit Ex. 18, 21. 22, 25. Deut. 16, 19. Dehortatus ab ea est Spiritus S. Ps. 62, 11. & sancti Dei viri, precati sunt eum, ut se praeservaret a mala isthac herba. Ps. 119, 96.

Pag. 217. *Avaritia est studium sollicitum habendi plus, quam tibi tuisque ad vitam commode atque honeste sustentandam ac traducendam necessarium est.*] Sed si hoc est avaritia, tunc multi Sociniani, opibus affluentes, avari sint oportet: habent enim plus, quam ad vitam tum suam, tum suorum tuendam requiritur. Apostolus 1. Cor. 9. 10. dicit, quod *qui arat, sub spe arare, & qui triturat, suae spei particeps esse debeat.* Idemque 2. ad Cor. 12, 14. scribit, *non debere filios parentibus thesauros colligere, sed parentes filiis.* E quibus certe locis manifestum est, studium acquirendi plus, quam opus est, in & per se non esse vitiosum ac damnabile. Vera autem avaritia est, cum amor rerum talium inordinatus, & insatiabilis cupiditas bonorum terrenorum, ita animum occupat, ut plus etiam habere cupiat, quam Deus per ordinaria media concedit; cum non quaerit ea, quae sunt proximi, sed tantum ea, quae sunt sua; cumque divitiis confidit, & animum removet a Deo.

Pag. 219. *Quaedam praecepta, addita a Christo, ad animi constantiam pertinent, & sunt abnegatio sui ipsius, crucis perpessio, & sequela Christi.*] Haec etiam in V. T. valuere, quia mandata iamtum erat dilectio Dei ex toto corde, ex toto animo, & ex omnibus viribus. Non poterat autem haberi pro Dei amatore, qui se ipse non abnegasset, qui in cruce patiens non fuisset, qui Deum in benefaciendo non fuisset imitatus.

Pag. 245. & 246. *Si* promissionis *nomine, uti par est, apertam aliquam divinae voluntatis declarationem intelligas, ob quam quis bonum sibi destinatum certo iure sperare possit, nulla vitae aeternae in lege Mosis huiusmodi extitit promissio: quae per Christum demum nobis est*

patefacta, qui mortem quidem abolevit, illuminavit autem vitam & incorruptibilitatem per evangelium; *unde & evangelium* introductio melioris ſpei, *& novum foedus* in melioribus promiſſis, *quam antiquum illud ſancitum eſſe dicitur* 2. *Tim.* 1, 10. *Heb.* 7, 19. 8, 6. *Interim non negatur, aliquam ſpem vitae aeternae in Dei populo ante Chriſtum fuiſſe: Poteſt enim ſperari quidpiam, etiamſi promiſſo Dei careas, modo ea res ſit ſummopere expetenda, & eiusmodi, quam credibile ſit Deum cultoribus ſuis daturum. Talis autem eſt vita aeterna, quam credibile eſt Deum cultoribus ſuis daturum, tanquam mercedem, quae ipſius maieſtati vehementer conveniat.*] Vitam aeternam etiam in lege Moſis promiſſam fuiſſe, patet ex Lev. 18, 5. ubi dicitur: *Homo qui fecerit ea*, (ſcil. praecepta Dei) *vivet in eis*; modo haec verba conferantur cum Luc. 10, 26. ubi Chriſtus legisperito percontanti, quid *faciendo vitam aeternam poſſideret?* reſpondit: *In lege quid ſcriptum eſt?* In qua reſponſione ſupponit ſervator, quaeſtionem iam in lege Moſis deciſam eſſe. Chriſtus autem dicitur *illuminaſſe vitam & incorruptibilitatem*, non quod eam primus promiſit, ſed quod clare manifeſtavit, & magis propalavit, ſicut Prov. 17, 17. *frater in anguſtia naſci* dicitur, non quod tum demum naſcatur, ſed quod ſe talem antea quoque fuiſſe iam manifeſtet. Quod dicitur, *nihil enim lex conſummavit, ſed ſuperintroducta ſpes potior*, de comparatione ſacerdotii aaronici & Chriſti intelligendum venit: & Chriſti ſacerdotium dicitur *introductio ſpei melioris*, quia proponit palam & clariſſime promiſſiones remiſſionis peccatorum & vitae aeternae gratuitas, nobisque dat Spiritum S. qui nos regignit & illuminat. Chriſtus etiam *praeſtantioris pacti mediator* dicitur, quia hoc novo pacto vetus illud, nempe moſaicum, ſublatum eſt. Et *promiſſa* N. T. ſunt *praeſtantiora*, non quoad rei ſubſtantiam, ſed quoad accidentia, videl. 1. quoad modum patefactionis, 2. quoad obiecti latitudinem, & 3. quoad claritatem

tatem. Nam in vet. teſt. fuerunt promiſſiones de Chriſto exhibendo, in novo ipſa exhibitio: in veteri promiſſiones unam ſpectabant gentem, nempe iudaicam, in novo omnes gentes: in veteri non tam clara fuit patefactio, quam in novo; ibi erat umbra, hic corpus. Quomodo autem veteres ſperare potuerunt vitam aeternam, ſi nullam eius habuere promiſſionem? Promiſſio certe baſis & fundamentum eſt ſpei, ita ut haec ſine illa eſſe nequeat, ſicut apoſtolus ſcribit ad Eph. 2, 12. Et cum ad Heb. 11, 10. dicitur de veteribus, quod *expectarint civitatem coeleſtem, & quidem ex fide*, clare indicatur, illos etiam promiſſionem eius habuiſſe, quippe cui fides & ſpes innititur.

Pag. 247. *Promiſſa vitae huius, ſub novo foedere facta, ſic accipi debent, ne chriſtiano homini deſit quidquam, quod ad hanc vitam tuendam neceſſario requiritur.*] Id autem, quod ad vitam tuendam requiritur, ſi conſideratur phyſice, ethice, politice, oeconomice, & eccleſiaſtice, ita ſe habet, ut abundantiam & affluentiam quandam in bonis fortunae, ne quidem in N.T. excludat: nam non de ſolo pane & aqua promiſcue omnes Chriſtiani vivere tenentur; deinde reſpectus aliorum, & temporis futuri etiam habendus eſt, alendi videl. ſunt miniſtri eccleſiae, magiſtratui tributum & vectigalia ſolvenda, providendum domeſticis, liberis theſauri colligendi, neceſſitatibus ſanctorum communicandum, benefaciendum omnibus, praeſertim domeſticis fidei, multa honeſtatis cauſa eroganda, e. g. in aliorum, nuptiis, in officiis patrinorum, in excipiendis convivio hoſpitibus, in alendis famulis &c.

Pag. 250. *Sub novo foedere eſſe quoddam Spiritus ſancti donum, quod perpetuo, h. e. omni tempore in Chriſti eccleſia locum habeat.*] Bene hoc ſe habet, dummodo inde non inferatur, eccleſiam V.T. dono iſthoc caruiſſe: nam opera Spiritus S. quae ſe exſeru-

erunt in piis, ut fides Abrahami, pietas Davidis, ſpes Iobi, virtutes Hiskiae, ſatis teſtantur, dona Spiritus etiam tunc viguiſſe.

Pag. 253. *Spiritus ſanctus non eſt perſona deitatis, quia 1. multa ei in ſcripturis attribuuntur, quae nulla prorſus ratione perſonae diuinae, non pauca etiam ne perſonae quidem ulli conveniant, ut ſunt, quod* ex eo detur, *quod* effundatur, *quod* eo potentur homines *&c. 2. datur aut donatur a Deo hominibus. 3. non loquitur a ſemet ipſo, Ioh. 10, 13. 4. nemo novit Filium, niſi Pater, neque Patrem quisquam novit, niſi Filius. 5. multis in locis, ubi Patris & Filii fit mentio, Spiritus S. nulla fit mentio. 6.* Dei ſpiritus *appellatur. 7. Eſt ex Deo, 1. Cor. 2, 11. 8. Si eſſet perſona*, ſequeretur, Chriſtum eſſe Spiritus ſancti filium, *quia ex Spiritu S. eſt conceptus. Matth. 1, 20.*] ℞. ad 1. Vocabulum *Spiritus S.* vel proprie ſumitur, pro perſona Spiritus S. vel metonymice pro effectis ſeu donis Spiritus S. Secundum poſteriorem hunc ſignificatum dicitur ex eo dari, atque ipſe effundi &c. Ad 2. Etiam Chriſtus dicitur datus Eſa. 9, 6. Ioh. 3, 16. Ad 3. Significatur, quod Spiritus S. non propoſiturus ſit diverſum quid a Patris & Filii voluntate. Ad 4. Non excluduntur niſi creaturae. Ad 5. Interdum etiam non fit mentio Dei patris, ut in ep. ad Philem. ℣. 5. non tamen ille propterea excluditur. Ad 6. Chriſtus *Dei filius* dicitur ∴ inde tamen non ſequitur, quod non ſit Deus. Ad 7. Quamvis non ſcriptum ſit, Patrem eſſe in Spiritu ſancto, tamen propter identitatem eſſentiae, ita eſſe, dici poſſit. Nec comparatio, quae in illo loco fit inter ſpiritum hominis, & ſpiritum Dei, ultra tertium eſt extendenda. Tertium autem illud, eſt ſcientia & ineſſe eſſentialiter. Ad 8. negando conſequentiam, quia Chriſtus *filius Dei* dicitur non propter nativitatem ex carne, ſed propter aeternam a Patre generationem. Conceptio autem carnalis Chriſti Spiritui ſancto, ut cauſae efficienti, tribuitur, ad guttulas ſanctificandas, ad dilectionem

Dei

Dei demonſtrandam, ad naturas uniendas, ad Mariae foecundationem. De quibus vide Gerhard. in Exeg. L. de Chriſto §. 106. & Raupp. p. 108.

Pag. 269. *Chriſtum pro peccatis noſtris Deo ſatisfeciſſe, ſive aequivalentes pro illis poenas perſolviſſe, & obedientiae ſuae pretio, inobedientiam noſtram exactè compenſaſſe, in ſcriptura S. perſpicue non extat.*] Verum eſt, quod terminus *ſatisfactionis* non habeatur in ſcripturis, ſed tamen res ipſa, quae quidem aequipollentibus propoſitionibus traditur, ut 1. Ioh. 1, 7. c. 2, 2. c. 4, 10. Rom. 3, 25. 5, 11. 1. Pet. 1, 18.

Pag. 270. *Doctrina de ſatisfactione Chriſti ſcripturis repugnat eo, quod illae Deum peccata hominibus gratuito remittere teſtentur.*] Vnum alterum non evertit. Hinc & utrumque tradit ſcriptura Rom. 3, 24. & Eph. 1, 7. Nimirum Deus peccata gratis remittere dicitur, non quod nullam ſatisfactionem poſtulet & acceptet, ſed quod a nobis non accipiat, qui debitores eramus. Remiſſio igitur peccatorum & ſatisfactio non ſunt oppoſita, quia ſunt diverſa ſubiecta, in quibus reperiuntur, Chriſtus & homines. In Chriſto punit Deus peccata, nobis autem propter Chriſtum remittit. Si in uno & eodem ſubiecto utrumque faceret, tunc vero id non poſſet conſiſtere, ſalva iuſtitia vel miſericordia : at bene in diverſis ſubiectis. Excipitur 1. Cum creditori ſatisfit, vel ab ipſo debitore, vel ab alio, debitoris nomine, de eo vere dici non poteſt, eum debitum gratuito remiſiſſe. ℟. Hoc verum eſt de tali debitore, qui ipſe proprio motu, precibus, vel quacunque alia ratione inducit quempiam, qui creditori ſuo pro ſe ſolvat : falſum autem de illo creditore, qui ipſe ſponſorem ex mera gratia conſtituit, ut Deus Chriſtum, pretiumque ſolutionis, quod non tenebatur acceptare ab alio, tamen ratum habet & acceptat. 2. Matth. 13, 24. 25. comparatur Deus regi, pecuniam debitam ſervo ſuo remittenti, nulla addita ſatisfactionis mentione. ℟. Caven-

vendum, ne comparatio extendatur ultra ſuum tertium. Nimirum commendatur nobis parabola iſta benignitas in proximum, & exemplum affertur Dei, qui & ipſe erga nos ſit benignus, & peccata nobis remittat, nulla a nobis ſatisfactione accepta. 3. Nos petimus, ut Deus nobis remittat, ſicut & nos remittimus debitoribus noſtris, Matth. 6, 12. Nos autem remittimus, nulla ſatisfactione accepta. R. particula *ſicut* h. l. eſt ſimilitudinis, non aequalitatis. Neque etiam Deus omnium hominum ſibi adverſantium reconciliationem inſtitui voluit absque ſatisfactione: nam ut pars offenſa prompta eſſe debet ad remiſſionem, ita vult, ut offendens, culpam ſuam agnoſcat, & deprecetur; quae deprecatio eſt inſtar ſatisfactionis.

Pag. ead. *Doctrina de ſatisfactione Chriſti, rationi repugnat, quod ſequeretur, 1. Chriſtum aeternam mortem ſubiiſſe. 2. nos Chriſto, quam Deo, devinctiores eſſe.*] R. ad 1. Vtique Chriſtus aeternam mortem ſubiit, non duratione, ſed eſſentia, h. e. aeternae morti aequivalentem. Nam duo ſunt in morte aeterna, 1. immenſitas cruciatuum & dolorum infernalium cum deſertione & abiectione a Deo. 2. Continuatio perpetua talium dolorum cruciatuumque. Illam ſubiit Chriſtus, ſecundum Matth. 27, 46. & Pſ. 22, 1. non vero hanc. Ad 2. Opus redemtionis & ſatisfactionis, eſt opus omnium trium perſonarum divinarum. Ex aequo igitur ſingulis ſumus obligati.

Pag. 271. *Eadem doctrina eſt pernicioſa, quia hominibus feneſtram ad peccandi licentiam aperit, aut certe ad ſocordiam, in pietate colenda, eos invitat.*] Falſiſſimum hoc eſt, quia & ipſi, uti Smalcius h. l. fatetur, pietatis ſtudium urgemus: novimus enim, *nos e manu inimicorum noſtrorum eſſe liberatos, ut ſerviamus ipſi cum ſanctitate & iuſtitia in ipſius conſpectu, omnibus diebus vitae noſtrae*, Luc. 1, 74. 75. *atque nos eſſe redemptos, ut glorificemus Deum in corpore & ſpiritu noſtro*, 1. Cor. 6, 20.

Pag. 273.

Pag. 273. *Ea misericordia & iustitia, quae naturalis sit, Deo non inest, cum altera alteram omnino perimat. Altera enim secundum ipsos requirit, ne Deus ullum peccatum puniat, altera, ne ullum non puniat.*] Et misericordia & iustitia ita Deo naturalis est, ut tamen simul sit voluntaria. Sicut & omnipotentia Deo naturalis est, nec tamen indifferenter fertur ad omnia obiecta, quia Deus non facit, quicquid potest, sed quicquid vult. Pari modo homini naturale est loqui & ridere; & tamen nec semper, nec ad omnia obiecta ridet & loquitur, sed ad intellectus & voluntatis regimen modo ridet, modo non ridet, modo loquitur, modo non loquitur. Instant: Adversus ea, quae Deo insunt natura, nunquam potest quicquam facere Deus. R. Bene: itaque contra naturam iustitiae suae ageret Deus, si peccata absque satisfactione remitteret.

Pag. 275. *Sententia de satisfactione Christi non potest probari ex illis scripturae dictis, quibus habetur*, Christum pro nobis esse mortuum, *quoniam scriptura testatur* 1. Ioh. 3, 16. etiam nos pro fratribus animas ponere debere: *& Paulus* supplebat reliquias afflictionum Christi pro corpore eius, *quod est ecclesia: cum nec fideles pro fratribus, nec Paulus pro ecclesia satisfecerit.*] Particula *pro*, *ὑπὲρ*, vel infert utilitatem, quam quis praestat alteri, vel ponitur pro loco, vice. Priore modo sumitur in allegatis dictis; posteriore autem, quando dicitur, quod Christus pro nobis sit mortuus. Quod inde patet, quia scriptura alibi in hac materia adhibet etiam particulam *ἀντὶ*, quae toties substitutionem & vicem ac commutationem significat, quoties oppositionem non denotat: atque sic Christus dicitur mortuus pro nobis, ut etiam pretium persolverit, Matth. 20, 28. Mar. 10, 45.

Pag. 276. *Horum verborum*, Christum pro nobis esse mortuum, *sensus est duplex; qui tamen eodem redit: unus, quod Christus tanquam victima pro nobis succedanea fuerit: alter, quod Christus nostrûm omnium vi-*

um bono sit mortuus.] R. Verum est, phrasin *pro aliquo* interdum istas habere significationes; sed & significat idem, ac vice aut loco alicuius, ut Gen. 47, 16.17. Ex. 4,16. Num. 8, 16.18. Neque tamen Christus dicitur mortuus vice peccatorum nostrorum, sed vice nostri, quibus propter peccatum aeterna fuisset mors luenda.

Pag. 278. *Ex phrasi*, Christum tulisse nostra peccata, *Es. 53, 4. non potest probari satisfactio, quia etiam de Deo dicitur, quod* portet iniquitatem & peccata, *Ex. 34, 7. & Matth. 8, 17. de Christo, multos morbos sanante in populo, dicitur* impletum esse id, quod scriptum Esa. 53,4. *Deus autem peccata, & Christus morbos non in se recepit & sustinuit, sed ab hominibus abstulit. Et ita etiam scriptura ait, Christum esse agnum Dei, qui tollat seu auferat, & quasi in regionem longe dissitam deportet* peccata mundi, *eorumque poenas.*] Ipse Socinus Prael. c. 21. fatetur, locutionem hanc, נשא *portare seu ferre peccatum sive iniquitatem*, idem significare solere, quod peccati poenas dare, sive peccati poenam ferre: *peccati* enim & *iniquitatis* nomine in huiusmodi locutionibus, peccati & iniquitatis poenam potissimum significari. Sicut & nos fatemur, idem verbum interdum significare idem, ac auferre, amovere, & alio transferre. Sociniani igitur a particulari argumentantur, quando ajunt, apud Esaiam dici, quod Christus abstulerit, non autem tulerit infirmitates & peccata nostra. Probent enim, sic, & non aliter verbum נשא ibi esse accipiendum. Immo vero, quod de molesta & onerosa portatione ibi sermo sit, probari potest ex consequentibus, ubi dicitur, quod *baiulaverit nostros dolores*: ubi rursus Socinus l. c. concedit, verbum סבל proprie usurpari de iis, qui gestant onus impositum, ut iumenta solent. Et quod illa portatio, quam subiit Messias, fuerit satisfactoria, ex eo constat, quod subjungitur, *ipsum dolore affici a defectionibus nostris, atteri ab iniquitatibus nostris, castigationem pacis nostrae impo-* *ni ei,*

ni ei, & tumice eius fieri curationem nobis, & Iehovam facere, ut incurrat in eum poena omnium noſtrûm. De Deo autem & Chriſto ſanante, fatemur, נשא uſurpatur in ſignificatione *auferendi:* neque aliter fieri poteſt, quia Deus eſt impatibilis, & Chriſtus medicum egit, qui auferret & removeret, nec in ſe reciperet morbos. Dicitur autem de Chriſto ſanante morbos corporales, quod impletum fuerit illud Eſaiae dictum, quod tamen loquitur de morbis ſpiritualibus ſive peccatis, hoc ſenſu, quod *coeperit impleri*: revera enim impletum fuit per mortem Chriſti. Interim bene illud, quod dixit Eſaias de morbis ſpiritualibus, ad corporales applicatum eſt a Matthaeo, quia illi horum ſunt cauſa, & qui cauſam in ſe ſuſcipit, etiam effectus illius ſuſcepiſſe aeſtimatur. Chriſtus ita portavit peccata mundi, ut ſanguine ſuo, tanquam λύτρῳ, nos mundarit a peccatis, 1. Ioh. 1, 17. tulit, ut auferret. Fructus portationis fuit ablatio, non quidem ne ſint peccata, ſed ne imputentur. Vide Hackſpan. in Matth. 8, 17. & Ioh. 1, 29.

Pag. 279. 280. *E verbo* redimendi *non poteſt effici ſatisfactio, quia de ipſo Deo & Moſe uſurpatur, atque de vana noſtra converſatione dicimur redempti. Simpliciter autem ſignificat redemptio liberationem; ſed pleniore metaphora eam, ad quam perficiendam impendium aliquod intervenit. Liberatio autem noſtri, voce* redemptionis *exprimitur, ob ſimilitudinem maximam, quae inter liberationem noſtri & redemptionem intervenit. Tantum eo differt, quod in hac noſtra a peccatis liberatione nemo eſt, qui accipiat aliquid liberationis nomine.*] Deus dicitur redemiſſe populum ſuum ex Aegypto, item Abrahamum, & Davidem, quia eos liberavit e manu hoſtium. Et haec redemtio ſeu liberatio erat corporalis, & impropria, quae fieri poterat ſine redemtionis pretio. Dicitur etiam *redemtionem feciſſe populo ſuo*, Luc. 2. eamque ſpiritualem a peccatis, puta originaliter, cum Chriſtus illam fecerit termina-

tive. Moses fuit redemtor a tyrannide Pharaonis; at Christus nos redemit ab ira Dei, Rom 5, 9. a potestate tenebrarum, diaboli & mortis, Col. 1, 13 & quidem per sanguinem suum, ℣. 4. Conveniunt itaque Moses & Christus in eo, quod uterque mediator, redemtor, bonorum largitor; sed differunt persona, officio & effectis. Moses enim tantum homo & servus Dei fuit; Christus homo & filius Dei: Moses mediator typicus & temporalis V. T[ti]; Christus mediator aeternus utriusque testamenti: Moses liberator ex Aegypto; Christus liberator ab ira Dei, maledictione, peccato: Moses redemtor absque morte & sanguine proprio; Christus redemtor per mortem & sanguinem: Moses largitor terrae promissae; Christus hereditatis & vitae coelestis. Neque Christus; vanae nostrae conversationi & iniquitatibus nostris, sed coelesti iudici, quem offenderamus, pretium redemtionis solvere debuit, solvitque. E quo patet, esse omnino aliquem, qui in nostra a peccatis liberatione accipiat aliquid liberationis nomine, nempe Deum, iuxta Eph. 5, 2. & Heb. 9, 14. Atque, ut constet, Deo per oblationem Christi plenissime esse satisfactum, additur in illo: *In odorem bonae fragrantiae.*

Pag. 282. *Christus ob satisfactionem non dicitur* mediator, *cum & Moses legatur fuisse mediator inter Deum & populum Israël. Tribuitur autem Christo mediatoris nomen, quia is in novo foedere pangendo inter Deum & homines medius fuit, annunciando illis perfectam Dei voluntatem, eamque confirmando, & tandem sanguine proprio sanciendo, & quia per illum nunc in coelis agentem ac regnantem, omnibus hominibus accessus est ad Deum.*] At Moses non ita dicitur mediator, ut sese ipse dederit redemtionis pretium pro omnibus, sicut de Christo dicitur 1. Tim. 2, 6. Conf. Heb. 9, 14. 15. Neque annunciatio omnis seu perfectae voluntatis Dei, constituit mediatorem; alias & Paulus apostolus talis esset mediator,

qualis

qualis Christus, cum & ipse dicatur Ephesiis *revelasse omne consilium Dei*, Act. 20, 27.

Pag. 284. *Satisfactio non potest probari ex eo, quod Christus* nos Deo reconciliavit, *quia nusquam scriptura asserit, Deum nobis a Christo ciliatum, sed nos Deo reconciliatos esse. Deinde aperte in scripturis extat*, Deum nos sibi reconciliasse, *2. Cor. 5, 18. Col. 1, 20. 21. Quod certe nullam divinae irae placationem significare potest, sed nostram a Deo aversionem, & adversus eum inimicitiam significat. Dicimur autem* per Christum Deo reconciliati, *quia Christus viam ostendit, qua nos ad Deum converti, atque ad eum modum et reconciliari oporteat.*]

Si is proprie *reconciliari alicui* dicitur, qui alterum offendit, negare equidem non possumus, non Deum nobis, sed nos Deo reconciliatos esse. Idque etiam ex definitione reconciliationis hominis cum Deo patet: nam reconciliatio ista nihil est aliud, quam talis actio, qua amicitia, quae in prima creatione homini cum Deo creatore intercessit, & postea propter offensam hominis in Deum soluta fuerat, adeo ut inimicitiae secutae essent, redintegratur, per mediatorem, vi sanguinis ejus fusi. Interim tamen pro satisfactione sic argumentari licet: Qui sua morte nos Deo reconciliavit, & in gratiam Dei reduxit, is iram Dei, quam peccatis nostris concitaveramus, placavit, adeoque Deo pro nobis satisfecit. Atqui Christus sua morte &c. Quae autem, quaeso consequentia: Deus nos sibi reconciliavit. Ergo ira eius non fuit placata? Annon ipsum potius inde sequitur contrarium? Caeterum verum est, quod Christus viam conversionis ad Deum optimam nobis monstrarit; sed propterea non dicimur Deo reconciliati, vel per id non est facta reconciliatio. Per quid igitur? Per mortem Christi, ut indicatur in locis citatis. *Fecit enim* (Deus,) *ut, qui non novit peccatum, pro nobis peccatum esset, ut nos efficeremur iustitia Dei in, eo* 2. Cor. 5, 21. *& placuit Patri, ut pax per sanguinem crucis eius fieret*, Col. 1, 20.

Pag. 284.

Pag. ead. *Ex eo, quod* Chriſtus dicitur propitiatio, *non poteſt ſatisfactio extrui, quia ſcriptura tradit*, ipſum Deum propoſuiſſe propitiatorium Chriſtum, *& Ioh. dicit*, in hoc eſſe charitatem, non quod nos dilexerimus Deum, ſed quod ipſe nos dilexerit, & filium ſuum miſerit propitiationem pro nobis. *Deinde ipſum operculum arcae Dei, ad quod Paulus alluſit Heb. 9, 5. fuit vocatum* propitiatorium. *Denique aliud eſt*, ſatisfacere Deo, *ut Trinitarii explicant, aliud*, eum reddere propitium: *cum is qui propitius redditur ſeu placatur, poſſit multum de iure ſuo remittere; cui vero eo modo ſatisfit, de iure ſuo nil remittit.*] Quod ipſe Deus propoſuerit nobis Chriſtum propitiatorium, & prior nos dilexerit, intelligendum eſt non de amore complacentiae, ſed benevolentiae, ſeu ita, non quod Deus nobis non amplius fuerit iratus, ſed eum in modum iratus, ut placari nobis vellet; ſicut hoſtis aliquis pacis conditiones proponere poteſt: atque ipſe Deus amicis Iobi, quibus infenſus erat, media reconciliationis praeſcripſit, videlicet ſacrificia, quae pro ſe deberent offerre. Operculum dicebatur *propitiatorium* typice; at Chriſtus proprie, quippe qui per illud operculum fuit praefiguratus: nam dicitur Chriſtus placamentum *in ſanguine ſuo* i. e. per paſſionem ſuam, Rom. 3, 25. Neque obſtat, remiſſionem peccatorum morte & ſanguine Chriſti eſſe confirmatam: ſatisfactio enim pro nobis, & confirmatio remiſſionis peccatorum, quae Chriſti morti tribuuntur, non ſunt oppoſita, ſed ſubordinata. Deus autem de iure ſuo nihil remittere poteſt, quoniam iuſtitiam ſuam, quæ peccatis laeſa fuit, abnegare non poteſt.

Pag. 286. *Neque etiam ſatisfactio poteſt probari ex* ſacrificiis *priſci foederis, quibus mors Chriſti fuerit figurata & adumbrata, quia in ſacrificiis ſola victimae mactatio, illius praecipue, quae quotannis mactabatur, & cuius cum ſanguine ſacerdos ſummus in ſanctum ſanctorum ingrediebatur, Chriſti ipſam per ſe mortem adumbravit: quae mactatio uti non erat totum ſacrificium, ſed quaedam illius inchoatio (ipſum enim ſacrifici-*

um ſi-

num fiebat, summo pontifice ingrediente in sanctissimum, Heb. 9, 7.) ita etiam mors Christi non erat ipsum totum expiatorium Christi sacrificium, sed eius quaedam inchoatio, sacrificium vero tum demum peractum est, quum Christus in ipsum coelum ingressus est. Praeterea sacrificia non habuerunt vim satisfaciendi Deo pro peccatis, ergo nec Christi mors: quia inter figuram & figuratum similitudinem intervenire necesse est.] Immo omnia sacrificia expiatoria fuerunt typi sacrificii Chrsti, quia omnium victimarum sanguis expiavit peccata, Levit. 1, 4. 4, 26. 31. 35. 17, 11. non per se, Heb. 9, 9. 10, 1. 4. sed virtute sacrificii Christi, quod respiciebat. Vnde & grata fuerunt Deo, Lev. 1, 9. 13. 17. Neque tamen hoc vel illud sacrificium in particulari totam vim satisfactionis & sacrificium Christi adumbravit, (quaedam enim tantum pro levioribus peccatis offerebantur) sed omnia sacrificia collective & simul sumta; immo in sacrificio illo anniversario sacerdos tenebatur offerre pro omnium omnibus peccatis, Lev. 16, 21. Deinde falsum est, sacrificium ipsum tum demum fuisse peractum, quando summus pontifex ingressus est in sanctum sanctorum, quia hac ratione reliqua sacrificia, non fuissent vera sacrificia. Vnde & tertium per se ipsum corruit, mortem Christi fuisse tantum praeparationem ad eius sacrificium, factum in coelo. Denique de sacrificiis V. T. non quidem praedicatur satisfactio, attamen vox synonyma *expiationis*. Expiare autem peccatum, significat, reatum aliquo opere vel pretio redimere, seu pro reatu aliquid praestare, quod Deus in satisfactionem acceptet, & propterea peccatum remittat. Et in victimis illis Deus dicebatur *quiescere & delectari*, quando propter illas reatum externum remittebat, sicut propter Christi victimam, illis adumbratam, reatum internum condonabat. Excipiunt: Verbum כפר non significat satisfacere, sed *emundare, inumbrare & occultare peccata.*] R. Immo etiam significationem habet placandi, ut Gen. 32, 20.

Et poteſt etiam dici, poni interdum effectum placationis, ut mundationem a peccato, pro ipſa placatione.

Pag. 294. *Dicta Gen. 6, 5. & 8, 21. non agunt de peccato originali, ſed actuali.*] Concedimus, agere de peccato actuali, ſed non ſolo & unico, verum etiam de originali, quia expreſſe diſtinguitur inter malitiam externam & actualem, ac figmentum cordis internum & habituale. Et quia infantes etiam, qui non capaces erant actualis malitiae, diluvio abſumpti ſunt, patet, malitiam ipſi naturae inhaerentem hic intelligendam eſſe. Attendenda eſt unverſalis ſententia, in qua includitur univerſalitas 1. ſubiecti, cum dicitur, omne figmentum: 2. actus, cum dicitur *tantum, tantum malum eſt*: 3. temporis; nullum enim tempus excipitur.

Pag. 295. Pſ. 51, 7. *David non loquitur de quibusvis hominibus, ſed de ſe tantum: utiturque hypbolica quadam exaggeratione, ut Pſ. 58, 4.*] ℞. ad 1. in eo peti id, quod eſt in principio. Nam unde probatur, Davidem tantum de ſe loqui? Fac autem, ita eſſe, firmum hinc erit hoc argumentum: David fuit in peccato proprie dicto conceptus. Ergo datur aliquis homo, qui in peccato proprie dicto eſt conceptus. Ab eius autem peccaminoſa conceptione ad omnium hominum ſimilem conceptionem recte concluditur, quia eodem modo conceptus eſt, quo alii homines. Ad 2. Opponitur contrarium Oſtorodi teſtimonium, qui in Inſtit. p. 276. ait, *credibile eſſe, Davidem non ad exaggeranda peccata ſua ita locutum fuiſſe.* Neque etiam cauſa cadimus, ſi vel concedamus etiam hyperbolen & exaggerationem. Nam dici poteſt, Davidem, ut exaggeraret malitiam ſuam, voluiſſe ſimul deſignare eius originem, nec melius id potuiſſe facere, quam per gradus peccatorum actualium aſcendendo usque ad faſtigium peccati originalis. In allegatione au-

ne autem pſalmi 58. committitur elenchus parium: ſiquidem multum inter ſe differunt, *aliquem conceptum & natum eſſe in iniquitate, & improbos ſe abalienare a bono, & loqui mendacium ab utero*: nam illud de piis etiam hominibus dici poteſt, hoc tantum de impiis.

Pag. 297. Rom. 5, 12. *non dicitur*, in Adamo omnes peccaſſe, *ſed* in quo: *quod reddendum eſt per* quatenus, *vel* quoniam, *aut* eo, quod, *ut Rom. 8, 15. 2. Cor. 5, 4. Heb. 2, 18. Loquitur autem omnino Paulus de peccato actuali, ut indicant verba v. 13.*] In hoc loco eſt ὑπέρβατον, quo voces ἐφ' ᾧ referuntur ad remotius, videlicet Adamum. Atque in hac ſignificatione occurrit ἐφ' ᾧ etiam Mar. 2, 4. Et res eodem recidit, ſive reddatur, *in quo*, ſive, *quatenus*, vel quia: nam cauſa redditur, cur, & qui mors in omnes omnino & ſingulos pervaſerit, quia videlicet omnes peccarunt, non actuali peccato, quod in infantes non cadit, ſed originali, ſeu quia cum Adamo peccante peccaſſe cenſentur omnes homines. Poſt verſum 13. inſpiciatur etiam verſus 14. ubi de infantibus dicitur, quod *mors*, peccati poena, *regnarit etiam in eos, qui non peccarunt ad ſimilitudinem transgreſſionis Adami*, ſcil. auctualiter & proaeretice. Loca allegata non faciunt ad rem: etenim non habetur in iis ἐφ' ᾧ, ſed ἐν ᾧ.

Pag. 321. *Peccatorum expiatio, a Chriſto peracta, eſt a poenis, quae peccata tum temporariae tum aeternae ſequuntur, & ab ipſis etiam peccatis, ne eis ſerviamus, liberatio.*] Duplex haec liberatio non eſt illud, in quo formaliter conſiſtit peccatorum expiatio, ſed eius finis, effectus & fructus. Proprie autem expiatio peccatorum a Chriſto facta, fuit paſſio acerbiſſima, qua reatum peccatorum pretio ſanguinis ſui redemit, ſeu id praeſtitit, quod Deus in ſatisfactionem acceptaret.

Pag. 325. *Erat etiam in terris agens, & in cruce pendens, ſacerdos Chriſtus*] In veteri editione Catechiſmi racov. hoc negabatur.

batur. Cavendum igitur, ne ſub veteri illa hypotheſi refutentur adverſarii, & hac ratione aër verberetur. Quandoquidem iam non amplius negant, Chriſtum ſe in victimam obtuliſſe, ſed hoc tantum, oblationem illam fuiſſe conſummatam, antequam in coelum intraret. Qua ratione Nicol. Arnoldus in in Diſpp. contra relig. Socin. p. 697. ſcribit: *Nemo dubitat, pontificem Chriſtum coeleſte ſacrarium ingredi debuiſſe, ut ibi reliquas ſacerdotis partes perficeret.*

Pag. 333. *Chriſtum ſe ipſum a mortuis excitaſſe, non continetur* Ioh. 2, 19. *quia vox* ἐγερῶ excitabo *vel* eripiam *ita poteſt accipi, ac ſi Chriſtus ita fuiſſet locutus: Deſtruite vos corporis mei templum, & ego intra triduum illud vobis vivum & integrum ſiſtam & erigam. Ita autem loqui potuit, etiamſi non ſe ipſe, ſed Deus eſſet ipſum virtute ſua ex mortuis ſuſcitaturus. Simili ratione dicitur* Luc. 17, 33. eum qui perdiderit animamum, vivificaturum illam. *Neque* Ioh. 10, 17. 18. *quia etiam de credentibus legimus*, ipſis datam eſſe poteſtatem, ut filii Dei, i. e. *immortalitate Deo ſimiles* fierent. *Et ſenſus huius dicti eſt: Non in voluntate veſtra erit, ut in morte maneam. Nec denique* 1. Pet. 3, 18. *quia ibi tantum dicitur*, eum ſpiritu vivificatum eſſe, *nempe a Deo.*] ℞. ad 1. Ita & Lazarus, ac quivis alius a Deo excitandus dicere poſſet: Ego erigam corpus meum, poſtquam videlicet Deus illud excitaverit. Confer Rom. 1, 4. ubi Chriſtus *potenter declaratus* dicitur *filius Dei per reſurrectionem.* Quod de Chriſti propria reſurgendi virtute intelligendum, niſi idem omnibus hominibus potentia Dei e morte excitandis audeas tribuere. Ad 2. *Filios Dei fieri*, non eſt, immortales fieri, quia, qui in Chriſtum credunt, etiam in hac vita ſunt filii Dei, ſecundum Rom. 8, 8, Gal. 3, 26. Et ſenſus dicti allatus omnibus competere poteſt fidelibus, adeoque prae illis hac in parte nihil peculiare haberet Chriſtus. Ad 3. Coniungenda ſunt verba ſequentia, ubi dicitur, *per eundem ſpiritum, ſpiritibus, qui ſunt in carcere, praedicaſſe.* Is autem fuit

fuit ſpiritus Chriſti, qui in Prophetis erat: eratque in iis ſecundum divinam naturam, efficiendo, ut ſpiritu ſuo agerentur ſancti Dei homines. Et ſicut per *carnem* intelligitur caro eius propria, in qua paſſus & mortuus eſt; ita per *ſpiritum*, vi oppoſitionis, proprius eius ſpiritus, hoc eſt, divina eius natura & potentia, non male intelligitur.

Atque heic finem facimus examinis Catechiſmi racovienſis, Deum rogantes, ut eorum, qui adhuc in tenebris ambulant, mentes illuminet, iisque verbi ſui lucem indies clariorem reddat. Verbum ipſius veritas eſt.

Reliquum eſt, ut Eccleſiarum & Doctorum de Socinianis iudicia colligamus, & ſcriptorum iis oppoſitorum indicium faciamus. Doctrinam Socinianorum, in eorum maioribus, Paulo ſamoſateno, Ario, Photino & ſimilibus aliis, damnatam eſſe, eosque adeo pro haereticis & chriſtianae religionis hoſtibus, una cum illis modo memoratis, haberi & agnoſci, cum aliunde, tum vero ex Aug. Confeſſionis art. I. conſtat, ubi inter alios, etiam *Ariani & Samoſateni, veteres & recentiores, damnantur.* Videatur quoque Calovius in Opere novo caſ. conſc. (quod Francofurti prodiit in folio A. 1676.) pag. 464. Balduinus in praefat. Refut. catech. racov. fol 2. I. Conr. Dürr. in Diſpp. antiſocin. p. I. Moſ. Amyraldus Iren. p. 13. 39. Matth. Bochart. in Diallact. 76 & Conr. Berg. im Grund und Hauptſumma des wahr. Chriſtenth. p. 95. Ipſi quidem Sociniani, nolunt appellari *Ariani* aut *Samoſateni*, ſed Chriſtiani, ſiquidem, uti aiunt, cum aliis Chriſtianis recipiant ac profiteantur ſymbolum apoſtolicum, quod ſub titulo *Confeſſionis fidei chriſtianae, editae nomine eccleſiarum, quae in Polonia unum Deum, & filium eius unigenitum Ieſum Chriſtum, & Spiritum S. profitentur*, hunc in finem cum annotationibus & dictis ſcripturae S. ſingu-

Eccleſiarum & Doctorum iudicia de Socinianis.

la dogmata probantibus edidit Ion. Slichtingius, ac postea contra Nicol. Cichovium, prout inſcriptio habet, vindicavit. Vnde Vindiciarum harum pag. 98. (cum qua confer 27.) ſcribit: *Minime miramur, quod R. Cichovio chriſtiani non ſimus. Illi enim chriſtianus non eſt, qui credit in Deum & in Chriſtum, quales fuerunt ab omni memoria Chriſtiani, ut hoc ipſum docet ſymbolum; ſed qui credunt, ipſum ſummum Deum eſſe Chriſtum, & Chriſtum eſſe ſummum illum Deum: quales ſunt novi, & longe poſt apoſtolica tempora exorti Chriſtiani. Olim qui* Ieſum *dicebat* eſſe dominum a Deo exaltatum, 1. *Cor.* 12, 3. *in Spiritu S. loquebatur; qui* Ieſum *credebat* eſſe Chriſtū, *1. Ioh.* 5, 1. *&, quod idem eſt*, Dei filium, *ex Deo natus erat; qui ore confitebatur*, dominum eſſe Ieſum, *& credebat in corde ſuo*, quod Deus ipſum ſuſcitaverit ex mortuis, *Rom.* 10, 9. *ſalvus erat; & huc tendebat omnis Apoſtolorum praedicatio, haec erat chriſtianae fidei ſumma. Nunc omnia inverſa ſunt, & niſi Chriſtus credatur eſſe ille ipſe, cuius chriſtus eſt, chriſtianus non eſt.* Aiunt, ſe *credere in Patrem, Filium & Spiritum S.* & in eorum cuiusque nomen *baptizari*, atque hanc ſanctiſſimam illam *Chriſtianorum trinitatem eſſe* (ſi modo fas ſit, *trinitatis* hic nomen, quod alioquin & S. ſcriptura ignoret, uſurpare) confiteri; caeterum dogma, quo Deus ille unus tres eſſe ſtatuitur, tanquam dogma humanae menti inacceſſum, relinquere, p. 5. & Ruar. Epiſt. part. 1. 275. *Chriſtum non nudum hominem eſſe*, ſed ab ipſa ſui conceptione divino ſpiritu, illo ipſo, de quo conceptus fuit, repletum fuiſſe, propterea que *divinum hominem*, *Deique filium* dicendum eſſe. Slichting. Vindic. conf. p. 113. & quamvis non ſit ille Deus, cui ſoli, tanquam ultimo religionis ſcopo, ſerviendum ſit, pro quo nec a ſe colatur; tamen *eſſe eum, in quo & per quem religioſe coli*, adorari, ſibique ſerviri, & corpora animosque noſtros

ſtros incurvari velit Deus, eumque propterea ad tantam maieſtatem evexerit. p. 79. & Felbing. in Ep. ad Chriſtianos, qua Socini & eius diſcipulorum graviores errores refutantur, p. 18. ideoque *non eſſe alterum a Deo Deum*, ſed unum eundemque, ob ſummam divinitais & maieſtattis communicationem, cum ſummo Deo reputandum, Slicht. p. 80. eundem quoque Chriſtum *eſſe proprium & veriſſimum redemtorem*, ita ut ſufficiens pro peccatis hoſtris λύτρον ſeu pretium ſolverit, poenam que ſuo modo tulerit p. 127. 129. Cui adde Ruar. part. I. Ep. p. 270. & ſeq. Felbinger. l. c. p. 11. nec regnum ſuum adminiſtrare, tanquam proregem & vicarium, *ſed tanquam regem*, ſi ita loqui liceat, *abſolutiſſimum, & liberrime gubernantem*. Felbing. p. 17. licere homini chriſtiano *magiſtratum gerere, & militiae operam dare*. Id p. 24. non tantum pios, verum *etiam impios ex mortuis reſurrecturos*. p. 26. item Phil. a Limborch T. C. l. 6. c. 11. §. 17. Slichting. Vindic. confeſſ. 210. & Apolog. Equitis poloni p. 76. *nec patriarchas & prophetas ſine ſpe ſalutis aeternae conſequendae vixiſſe*. Vindic. conf. p. 132. denique *baptiſmum neceſſarium eſſe* omni tempore, quo mundus ſtabit, omnibus, qui evangelii praedicationem audiunt, & ſacri illius lavacri poſſunt fieri participes. Felbing. p. 7. E quibus patet, recte & vere dixiſſe Hoornbeeckium, *Socino in dogmatibus proponendis non ſemper aeque aſſenſiſſe diſcipulos*: in ſumma Controv. p. 566. Vnde & aegre ferunt, ſi ab illo denominentur, & dicantur *Sociniani*, prout videre licet apud Felbingerum in ſaepius allagatae Epiſtolae pag. 6. *Ex eo facile*, inquit ille, *cuivis manifeſtum erit, nos immerito a multis vocari* Socinianos, *ut qui longiſſime a Socini opinionibus ſcripturae ſacrae adverſis abſumus*. Pari modo nec *Samoſateniſtae* appellari volunt, nec *Arriani*, ſi cui placeat audire Slichtingium in Vindic. confeſſ. p. 27. Curcellae-

us quoque id agit, ut eis ſuppetias ferat, & patrocinium praeſtet, quando ſcribit: *Socinianorum opinio (quam nonnulli fervidiores tam ex Proteſtantium, quam Pontificiorum numero theologi, habentes quidem zelum Dei, ſed non ſecundum ſcientiam, non putant absque chriſtianae religionis* πανολεθρία *poſſe tolerari, & iudaiſmo impietate parem, mahumetiſmo vero deteriorem eſſe clamant) facilior adhuc eſt conciliatu cum doctrina orthodoxa, ſi aequitas, quae debet, afferatur. Accuſantur*, quod aeternam Chriſti deitatem negent, & ipſum pro nudo homine habeant, *quae ſit magna impietas. Sed reſpondent, ſibi fieri iniuriam*: credere ſe, Jeſum Chriſtum ex aeterno Dei ſpiritu in B. virginis utero eſſe conceptum, qui in ipſo exinde a conceptione perpetuo habitaret; licet maiore donorum copia ſit perfuſus poſt baptiſmum, cum ſe ad mediatorium munus exercendum accinxit, quam fuerat in infantia, & privatam adhuc vitam agens. Per iſtum ſpiritum in dictis & factis ſuis fuiſſe motum, & miracula, quotiescunque voluit, edidiſſe. Praeterea ſuſcitatum a mortuis, & exaltatum ad dextram Dei, omnem tam in coelo, quam in terra poteſtatem obtinuiſſe: ideoque in nomine Jeſu omne genu coeleſtium, terreſtrium & inferorum flectere ſe debere. *Quae confeſſio, ſi non ipſam potius, quam verba & phraſes ſpectes, parum ab Orthodoxorum ſententia differre videtur. Nam* ſpiritus ille Dei, *quem in Chriſto indivulſe habitaſſe confitentur Sociniani, nihil aliud eſt, niſi natura divina, quam ei vulgo tribuunt Chriſtiani, & nomine* ſpiritus *aliquando deſignatur, ut Marc. 2, 8. Hebr. 9. 14. 1. Pet. 3, 18. & aliquot aliis locis; ut de veteribus eccleſiae doctoribus nunc taceam, qui Chriſtum naturae divinae reſpectu* ſpiritum *creberrime vocant. Nec refert, quod Sociniani* non ſemper ita locuti fuerint, aut etiam ſenſerint, *de perpetua ſpiritus divini in Chriſto habitatione. Sufficit,*

ficit, quod in Confeſſione, *communi omnium nomine A. C. 1642. primum edita, & decennio poſt recognita & aucta, aliisque ſcriptis, tam aperte mentem ſuam expreſſerint, ut de ea dubitare nullus iam merito queat. Et ſane, ſi propius attendas, res difficultate caret.* Jeſum *enim* Chriſtum ſemper habuiſſe ſpiritum ſanctum in ſe reſidentem ab eo tempore, quo ſuper ipſum corporali ſpecie deſcendit in baptiſmo, *omnes conſentiunt. De infantia vero, quod nonnulli verentur admittere, Lucas c. 2, 40. teſtimonium praebet.* Puer autem (*Jeſus*) creſcebat & confortabatur ſpiritu, implebaturque ſapientia, & gratia Dei erat in illo. *Vbi etſi non ſatis conſtet, an ſpiritus*, quo Ieſus confortabatur, *ſit ſanctus Dei ſpiritus, vel de ſpiritu eius humano accipi poſſit; certum tamen eſt, deſignari vim ſpiritus ſancti in ipſo habitantis, per quem confortabatur in animo ſuo & implebatur ſapientia, cum divinos iſtos effectus ad aliam cauſam referre abſurdum ſit. Nec minus faciunt ſequentia ad iſtud confirmandum, ubi evangeliſta narrat*, Ieſum duodecennem inventum eſſe a parentibus in templo, ſedentem in medio doctorum, audientem eos, & eos interrogantem, & omnes, qui eum audiebant, obſtupuiſſe ſuper intelligentia & reſponſis eius. v. 46. 47. 48. *Nemo enim negabit, quin* extraordinaria iſta ſapientia, quae ſe in Ieſu reſponſis & interrogationibus longe ſupra aetatem prodebat, a Spiritu S. ſit profecta. *Quare iam ab infantia plenus erat ſpiritu S. licet dona eius tanta copia non ſe exererint in eo, ut poſtea, ſed tantum pro modulo illius aetatis. Adde, quod, cum Chriſtus ſpeciali Dei cura indiguerit, quamdiu eum ſancta virgo utero ſuo geſtavit, ne qua labes temperamentum eius inficeret: & poſtea in pueritia ſua, ut eam digne filio Dei unigenito traduceret, iſtud alia ratione fieri non conveniebat, quam per ſpiritum illum divinum, ex quo conceptus eſt: cuius munus eſt, ſanctita-*

tem in hominibus promovere, & eos ab omni inquinamento carnis & spiritus immunes praestare. Jesum autem Christum spiritus sancti virtute miracula patrasse, *indubium est. Ipse enim id professus est, cum dixit*, se digito Dei eiicere daemonia, *Luc.* 11. 20. digitus *enim* Dei *est eius virtus, & spiritus S. est virtus altissimi, Luc.* 1, 35. *Quae autem est huius generis miraculorum ratio, eadem quoque est reliquorum, & omnium eius divinorum operum. Quod si* iisdem phrasibus *Sociniani non utantur in exprimenda divinae & humanae naturae in Christo coniunctione, cum reliquis Christianis, id non est tanti, ut propterea pestiferae haeresis rei censendi sint. Verba enim scripturae, quibus inhaerere malunt, non minus apta sunt ad mysterium istud explicandum, quam ea, quae a Patribus & conciliis fuerunt inventa. Et sufficere videtur, si Petrum sequentes dicant*, Deus erat cum illo, *Act: 10, 38. non solum, quemadmodum in aliis sanctis, sed* ita, ut in eo maneret, *Iob.* 14, 10. & Deus non dederit ei spiritum ad mensuram, *Iob.* 3. 34. *sed tanta copia*, ut omnes de plenitudine eius accipiant, *Iob.* 1, 16. *quia* in ipso habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, *Col*: 2, 9. *quamvis unionis hypostaticae (de cuius ratione tot fuerunt olim & adhuc sunt lites in ecclesia) non meminerint. De* Spiritu S. *unica est controversia Socinianis cum Catholicis*, utrum sit persona, nec ne? *Nam alias agnoscunt*, in Deo esse spiritum aeternum, omnipotentem, omniscium, per quem mundum condidit, prophetas afflavit, regenerationem nostram perficit &c. *Solummodo verentur eum* personam distinctam a Deo Patre *dicere, ne plures deos introducere videantur. Sed forte non admodum repugnaturi essent, si* personae voce *non intelligeretur, ut vulgo fit, suppositum rationale, sed* tantum proprietas, *ut multi veterum locuti sunt*, aut modus subsistendi in Deo, *quemadmodum nunc multis placet,*

cet, & quidem talis, qui virtute Dei non foret indignus, non exilis ille Metaphysicorum, quem ad nihilum accedere docent, & in Deum nequaquam quadrat. Quanquam longe prudentius, iudicio meo, faciunt, qui ab omnibus illis vocibus abstinent, ex quarum ambiguitate lites oriri possunt, & cum scriptura sacra non solum sentire, sed etiam loqui malunt. *Quod si veteres Christiani tempore Iustini martyris, id est, circa A. C. 150. nullos habebant a se alienos, qui Iesum esse messiam confiterentur, etiamsi eum hominem ex hominibus genitum affirmarent, quanto aequius est, Socinianos, qui longe sublimius de eo sentiunt, in fraternitatem admittere? Id autem, quod dico, liquet* ex disputatione eximii istius doctoris cum Tryphone iudaeo, ubi legimus*: Verum enim vero, Trypho, non perierit illud, Christum hunc esse Dei, si demonstrasse nequeam, eum praeextitisse filium conditoris huius universitatis, esseque Deum, & genitum esse hominem ex virgine, praeterquam ex eo omni, quo probatur, hunc esse Christum illum Dei, quod talem eum fore praeostensum sit. At si non demonstravero, inquam, eum & prius exstitisse, & nasci hominem sustinuisse, iisdem nobiscum perpessionibus obnoxium, carnem habentem, secundum Patris consilium & voluntatem; in eo ipso tantum aequum fuerit, me errore esse lapsum dicere, non autem negare, hunc esse Christum illum, etiamsi tanquam homo ex hominibus genitus videatur, & electione factus esse Christus asseratur. Sunt enim nonnulli, o amici, ex genere nostro, profitentes, *ipsum Christum esse, sed hominem ex hominibus genitum esse affirmant:* quibus non assentior: *neque id sane multi, qui in eadem mecum sunt sententia, dixerint.* Hactenus Curcellaeus Oper. p. 78. & adde p. 837. 839. 843. 846. & Append. Protest. pacif. p. 23. Sed nec illi ipsi, nec patronus eorum

* *Ex Disp. cum Tryphone*] Pag. 267.

eorum, excuſationibus & declarationibus iſtis quidquam efficiunt, ut ex Orthodoxorum ſcriptis abunde conſtat. Interim paulo benigniore erga illos ſe exhibet, mitiusque, quantum veritas patitur, iudicat celebris in academia viadrina theologus,*Strimeſius,ſcribens: *Cum Sociniani negant multa fidei dogmata contra expreſſam ſcripturam ſacram, hoc ipſo, uti ſemet a catholica Eccleſia, fundamento Apoſtolorum & Prophetarum unice ſuperaedificata turpiſſimo ſchiſmate diſiungunt ita eadem nobiscum, ſpiritus unitatem ſervantibus, communione ſacra, quam diu tales manent, frui nequeunt; in communionem noſtram protinus recipiendi, ſimul ac in ſacra ſcriptura pedem figerent. Ita enim de Socinianis theologus quondam magnus, pacis item eccleſiaſticae ſtudioſiſſimus, Ioh. Bergius, Regul. apoſt.* c. 7. p. 81. ait: *Si Sociniani & Ariani* in verbis ſcripturae non detortis & mutilatis, ſine altercatione & concertatione perſiſterent, neque ſuas proprias explicationes & conſequentias rationis ſuae, praeter aut contra articulos fidei, adiungerent, ita ipſos iudicandi non haberemus cauſam, etiamſi omnes noſtras explicationes aut humanos loquendi modos ſuſcipere aut uſurpare nollent. *Id quod cumprimis moderatioribus inter Socinianos & de nonnullis dogmatibus, fundamentum licet ipſum attingentibus vel potius de horum duntaxat dogmatum orthodoxis explicationibus plerumque ambigere tantum ſolitis, applicari meretur, qui, ſi intra ſcripturae ſacrae affirmationes ac negationes ſeſe contineant, neque quod rigidioribus eorum in frequenti uſu poſitum eſt) negatum quicquam eant, in ſcriptura nullibi negatum, utut interea Orthodoxorum affirmationes, κατὰ τὸ ῥητὸν in ſcriptura ſacra non occurrentes, in dubium vocent, & ab iisdem, veneratione quadam in ſacra dogmata, ſibi abſtinendum arbitrentur, ſuſceptione noſtra, ceu in fide infirmiores, haud indigni cenſendi ſunt,* Diſſert. de Pace eccl. p. 32. Similis iudicii trutina

Strimeſius.] Vide pag. 208. huius noſtrae Diſſertat.

tina arianas doctrinas, quibus Gothi & Vandali infecti erant, expendens, & animos eas profitentium considerans atque contemplans Salvianus, pius ille Ecclesiae massiliensis presbyter, lib. 5. de Gubernat. Dei, num 142. ait: *Haeretici ergo sunt*, (barbari videlicet illi, ut vocat Gothos & Vandalos, arianismo corruptos) *sed non scientes. Denique apud nos sunt haeretici, apud se non sunt. Nam in tantum se Catholicos esse iudicant, ut nos ipsos titulo haereticae appellationis infament. Quod ergo illi nobis sunt, & hoc nos illis. Nos eos iniuriam divinae generationi facere certi sumus, quod* minorem Patre Filium *dicant: illi nos iniuriosos Patri existimant, qui aequales esse credamus. Veritas apud nos est; sed illi apud se esse praesumunt. Honor Dei apud nos est; sed illi hoc arbitrantur honorem divinitatis esse, quod credunt. Inofficiosi sunt; sed illis hoc est summum religionis officium. Impii sunt; sed hoc putant veram esse pietatem. Errant ergo, sed bono animo errant, non odio, sed affectu Dei, honorare se Dominum atque amare credentes. Quamvis non habeant rectam fidem, illi tamen hoc perfectam Dei aestimant caritatem. Qualiter pro hoc ipso falsae opinionis errore in die iudicii puniendi sint, nullus potest scire, nisi iudex.* pag. 162. edit. rittershus. Vbi etiam legatur insignis ad prolata verba commentarius Rittershusii, pag. 53. Sed manum de tabula iudiciorum, cui sat diu, si non plus satis, inhaesimus.

Salvianus] Quem Conr. Rittershusius in epistola ad Ludovicum XIII. Regem Galliarum, appellat *christianissimum scriptorem, totius orbis christiani magistrum, & auctorem tam sanas & tam sanctas continentem sententias planeque apostolicas, ut dubium sit nullum, quin, si eae serio in animum demitterentur, consimiles inde, velut ex optimis seminibus, actiones efflorescerent inter homines, ipsaque tum ecclesia, tum quae illi hospitium praebet respublica, aut omnino salva, aut certe minus aegrota esset futura, aut meliuscule haberet*: Gennadius *magistrum episcoporum*

rum; Baronius, *sui seculi Ieremiam*; Brassicanus, *scriptorum decus elegantiorum, dignum quem studiis modisque cunctis mirentur, celebrent, legant frequenter, quot sunt, aut alii erunt in annis, magni iudicio & viri periti*; & denique *summum scriptorem*; Pithoeus *auctorem optimum*.

Scripta Socinianis opposita. Ad libros autem & tractatus Socinianis oppositos pertinent, praeter Locos & Systemata diversa, sequentes: Liber de Trinitate, qui vulgo *Tertulliano* adscribitur: *Athanasii* Disputatio contra Arium, Oratio contra Arianos, Opusculum de natura humana suscepta, Dialogus I. de S. Trinitate, Epistola de Synodo arimin. & seleuc. *Hilarii* pictaviensis libri XII. de Trinitate: *Gregorii* nazianzeni Oratio deTheologia, & Oratio de Spiritu sancto: *Basilii* libri III. contra Eunomium: *Epiphanii* Haeresis 69. & 74. *Ambrosii* libri de Fide, & libri III. de Spiritu sancto: *Idacii* clari liber adversus Varimundum: Caii, aut iuxta alios Fabii Marii *Victorini* libri IV. adversus Arium, & Responsio ad Candidi ariani librum de Generatione verbi divini: *Hieronymi* epistolae 2. ad Damasum adversus Arianorum hypostases, & de Fide sua ad Marcum, contra Arianos: *Augustini* liber contra sermonem Arianorum, & libri III. contra Maximinum, Arianorum episcopum, qui exstant tomo VI. Operum: *Vigilii* tapsensis Dialogi sive altercationes inter Arium, Sabellium, Photinum, & Athanasium: *Cerealis* liber de Fide, in quo explicantur mysteria trinitatis & incarnationis: *Thomae de Aquino* Prima pars Summae: Gregorii *de Valentia* tomus I. Commentar. theologicor. & libri V. de S. Trinit. in quorum postremo pestilens quidam liber (arianus) in Polonia editus confutatur: Rob. *Bellarmini* libri V. de Christo, in I. tomo operum: Guil. *Estii* Comment. in librum I. Sententiarum: Iac. *Wiecki* liber de Divinitate Christi & Spiritus sancti: Mart. *Smiglecii* Nodus gordius, & Nova monstra Aria-

rianiſmi: Frider. **Balduini** Refutatio catechiſmi ariani, qui Racoviae excuſus eſt: Conr. *Schlüſſelburgii* liber 1. Catalogi haereticorum: Wolfg. *Franzii* Diſpp. in Aug. conf. & Vindiciae earum contra Val. Smalcium, item Aſſertio ſolidiſſima ſatisfactionis, a Ieſu Chriſto pro peccatis totius mundi praeſtitae: Iac. *Martini* libri 2 de tribus Elohim contra Eniedinum, Syntagma diſpp. antiphotin. & Synopſis totius theologiae photinianae: Chriſtiani *Matthiae* 2. Collegia antiphotiniana, & aliae particulares Diſputationes: *Graueri* Polemica ſacra, Expoſitio prophetae Micheae, Diſſertationes de errore circa doctrinam de ſatisfactione Chriſti, contra Chriſtoph. Oſtorodum & Fauſtum Socinum, Vindicatio incarnationis aeterni filii Dei, Examen praecipuarum ſophiſticationum, quibus recentiores Photiniani Chriſti deitatem oppugnant: Ioh. *Gerhardi* Synopſis ſocinianae ſiue neophotinianae doctrinae: Nicol. *Hunnii* Examen errorum Photinianorum, quos illi de religionis ac fidei fundamento, de cognitione Dei, & de nominibus Dei hactenus prodiderunt, item Diſputationes antiphotinianae: Pauli *Tarnovii* liber de Trinitate: Ioh. *Botſacci* Anticrellius, & Antiſtegmannus: Ioh. *Maukiſch* Antizvvickerus, & Conſpicilla, quae auctor Irenici irenicorum Comenio ſumenda ſuaſerat: *B. Meiſneri* Conſideratio theologiae photinianae: Ioh. *Sauberti* Antiſmalcius, ſeu vindiciae pro theſibus de SS. Vnitate eſſentiae diuinae & perſonarum trinitate, a Iac. Schoppero, prof. altorffino, adverſus Valent. Smalcium conſcriptis: Theod. *Thummii* Impietas photiniana: Ioſuae *Stegmanni* Photinianiſmus: Andr. *Prolaei* Mataeologia ſociniana: I. Conr. *Dannhaueri* Hodomoria photiniana: Iuſti *Feuerbornii* Antieniedinus, ſive vindicatio locorum ſcripturae pro Trinitate: Andr. *Keſleri* Examen Logicae, Phyſicae & Metaphy-

taphysicae photinianae: Abr. *Calovii* Scripta antisociniana, in unum corpus redacta: Aug. *Varenii* Antisocinianismus orthodoxus: I. Conr. *Dürrii* XIV. Disputationes contra Socinianos: I. Pauli *Felwingeri* Defensio divinitatis Christi, contra Ier. Felbingerum, Smalcium, Anticichovium, Slichtingium, Socinum, Crellium, Eniedinum, Ostorodum, & autorem Irenici irenicorum (id est, Zvvickerum,) necnon Defensio C. argumentorum Cichovii contra Slichtingium: I. Ad. *Scherzeri* Collegium antisocinianum: Phil. Iac. *Speneri* Ternio germanicus de Filii Dei essentiali deitate, & aeterna ex Patris essentia generatione, in Ioh. I, 1.4. Ioh. *Olearii* Synopsis errorum Socinianorum: *Anonymi* Antisocinus, editus Francofurti A. 1612. in 8. Ioh. *Polyandri* Concertatio antisociniana: Hier. *Zanchii* libri XIII. de III. Elohim: Ioh. *Iunii* Refutatio praelectionum theologic. F. Socini: *Iac. Ad Portum* Orthodoxa fidei defensio, contra Ostorodum: I. Henr. *Alstedii* Turris Babel destructa: Iosiae *Simleri* libri IV. de Aeterno Dei filio, Dn. Iesu Christo, & Spiritu S. adversus veteres & novos antrinitarios: Sibrandi *Lubberti* de Iesu Christo servatore contra F. Socinum libri IV. Hug. *Grotii* Defensio fidei catholicae de satisfactione Christi, adversus F. Socinum: *Cloppenburgii* Compendiolum Socinianismi refutatum, & Antismalcius: Ios. *Placaei* Disputationum partes III. in quarum tertia refutatur Ioh. Crellius de Vno Deo patre: Ioh. *Maccovii* πρῶτον ψεῦδος Arianorum: Ludov. *Crocii* Antisocinus contractus: *Andr. Essenii* Templum crucis, contra Crellium: Ioh. *Hoornbeeckii* Socinianismus confutatus, & Dispp. antisocin. Compendium: Ioh. *Coccei* Consideratio principii evangelii Iohannis, & Refutatio apologiae Equitis poloni: Mart. *Schoockii* Sophistica Zvvickerosociniana: I. Amos *Comenii* Admonitio de Irenico Zvvickeri: Sam. *Maresii* Hydra socinia-

cinia-

cinianismi expugnata, seu refutatio Volckelii de Vera religione: *Iasz-Berenyi* Examen doctrinae arianosocinianae anonymi cuiusdam: Nicol. *Arnoldi* Religio sociniana, seu refutatio Catechismi racoviensis.

Sociniani oppositos.] Socinianorum vero scriptorum notitiam haurire licet ex Bibliotheca antitrinitariorum Christoph. *Sandii*, quae prodiit Freistadii (sive Amstelodami) A. 1684.

Liber de Trinitate, qui Tertulliano adscribitur.] Est enim *Novatiani*, ut iam Hieronymus observavit, & post eum Bellarminus, Cocus, Rivetus, quos citat Placcius in Catal. Pseudonymor. p. 263. Du Pin habet eum pro epitome libri tertullianei, non quod Tertullianus peculiarem de S. Trinitate scripserit librum, sed quia Novatianus suum illum collegit ex scriptis Tertulliani. Tomo 1. Biblioth. p. 92. & 181. Vide etiam Cavei H. L. 66. & Gerhardi Patrol. 112.

Idacii clari liber adversus Varimundum] Vel Warimadum, diaconum sectae arianae. Dubitat tamen Ger. Ioh. Vossius, istiusne an alterius Idacii, lemicensis in Gallaecia episcopi, sit: *Immo*, inquit, *cum auctor in praefatione dicat, se ista scripsisse Neapoli, Campaniae urbe, plane metuo, ne diversus sit ab duobus illis episcopis hispanis.* lib. 2. Hist. lat. c. 17. p. 217. Caveus in Hist. liter. p. 162. scribit, Chifletium non iniuria eum vindicare *Vigilio* tapsensi. Eiusdem sententiae est etiam Du Pin tom 2. de la nouv. Biblioth. p. 242. Vide tamen Ioh. Mollerum de Scriptor. homon. 585.

Vigilii tapsensis Dialogi] Quos G. Cassander sub nomine Vigilii tridentini edidit, operum pag. 460. Sed in eo caespitavit bonus vir, ut recte observant critici, Bellarm. de Scriptor. eccles. p. 127. Gerhard. in patrol. 458. Olear. Abac. patrolog. 465. Placc. de Pseudon. 273. Du Pin tom. 3. Biblioth. p. 4. Cave Hist. lit. P. 1. 262. & I. Mollerus in Homonymoscopia p. 636. ubi in hanc sententiam allegat plures alios, & quidem Sirmondum, Raynaudum, Dallaeum, Henric. Valesium, Chifletium, Hedouvillium, Labbeum, Baluzium, Sandium, Quesnellium, Natal. Alexandrum, & Tenzelium.

Gomarus, Lubbertus, Maresius] Hi, & plerique scriptores hodierni, frigide refutarunt Socinianos, exceptis tamen Ioh. *Iunio*, *Pla-*

Placaeo, aliisque his similibus, ut cl. Crenius ex Poelenburgio observat Animadvers. parte XI. 123. Sic & Voetius scribit: *Non omnes aeque solide disputant.* Zarnovecius, Grotius *de Satisfactione*, & *Ioh.* Iunius *in Refutat. praelectionum Socini*, *prae aliis placuerunt*, Biblioth. studiosi theol. p. 719. *Placaeum* etiam mihi laudavit Heidelbergae I. Lud. Fabricius, vir tam prudens & iudiciosus, quam doctus, (erat autem doctissimus) sicut annotavi in Amoenit. theolog. p. 765. *Placaeus*, aiebat, *de divinitate Christi omnium optime scripsit contra Socinianos; eique addi possunt* Cocceius, Cloppenburgius, Heidanus: Maresius *autem*, Comenius, Arnoldus, *aliique*, *in hoc argumento tanti non sunt aestimandi.*

ADDENDA

ad pag. 202. lin. 4.

CL. Strimesii de Socinianis iudicio adiungi possunt sequentia, quibus praefationem suam in Ingenuam Arminianismi inquisitionem claudit & obsignat, inquiens: *Vinam vero Sociniani, Spiritui Dei dicto audientes, rationemque suam sub fidei obedientia captivantes, ad antiquam illam omnibus christiani aevi seculis receptam fidem reverterentur, huiusque fundamentum immotum de triuno Deo, creatore, redemtore ac sanctificatore, tenerent, in quem semet suosque baptizandos curant, Filioque non minus, ac Spiritui sancto, quam Patri, i. e. triuni Deo, corpora sua animasque (si minus, animae eorum facto reclamarent) re ipsa consecrant, profecto Reformatis faciliores Christianos reperirent nullos, qui ambabus fraterni amoris ulnis eos amplecti, ecclesiaeque suae gremio quam avidissime excipere gauderent atque exultarent, erga quoscunque fundamentaliter haud aberrantes, τὸ ἐπιεικὲς, ad dictum modo caritatis christianae gradum, in Dei opt. max. & Salvatoris nostri gloriam, ecclesiaeque christianae tranquillitatem ac pacem, nunquam non exporrecturi.*

CON-



CONTROVERSIAE CVM ANABAPTISTIS.



CVm multae ſint Anabaptiſtarum ſectae, quarum ſingulae ſuos habent errores, eoſque varios, nos tantum potiores eorum recenſere & refutare conſtituimus. *Variae Anabaptiſtarum ſectae.*

Anabaptiſtarum] Sic appellantur ab *ἀνὰ adverſus* vel *iterum*, & *βαπτιστὴς baptizator, tinctor*, quia ſunt *adverſarii* baptiſmi infantium, aut adultiores, qui in infantia baptizati ſunt, iterum baptizant. Non autem rebaptizant ex ſua ipſorum ſententia, quippe qui baptiſmum infantum pro vero & legitimo baptiſmo non agnoſcunt, ſed ex mente eorum, qui infantes recte & ſcripturae S. conformiter baptizari docent ac ſentiunt. I. Bened. Carpzov. in Iſag. 334. Hoornb. in Summa controv. 365. & 331.

Multae Anabaptiſtarum ſectae] I. Wigandus in Catal. haeret. ſchlüſſelburgiano lib. XII. p. 22. recenſet *Apoſtolicos, Tacentes, Orantes, Enthuſiaſtas, Libertinos, Hutitas, Auguſtinianos, Monaſterienſes, Servetianos, Hofmannianos*; Mart. Chemnitius ibid. p. 29. *Adamitas, Mennoniſtas, Abecedarios, Aquarios, Franckiſtas, Flandros, Fratres caritatis, Davidicos.* Rationes harum appellationem vide partim apud Schlüſſelburgium, partim apud Hoornbeeck. in Summa controverſ. lib. V.

Potiores eorum] Anabaptiſtarum dogmata tripliciter diſtingui debent, 1. in *communia*, quae omnes habent, 2. in *ſingularia*, quae ſingulis ſectis ſunt propria, & 3. in *propria doctorum*. Hoornb. p. 366. 368.

Eorum errores potiores. Equidem eorum quinque numerari solent, videlicet de paedobaptismo, de anabaptismo, de carne Christi, de iuramentis, & de officio magistratus politici. Sed revera non nisi IV. sunt, eo quod non praetendunt ullum hominem rebaptizare seu baptismum iterare & repetere, eosque, qui in aetate infantili baptizati sunt, non agnoscunt pro baptizatis; adeoque anabaptismum non statuunt aut approbant ipsimet, sed ille iis tribuitur atque imputatur.

Eorum quinque] Hoornb. S.C. 358.

Ille iis tribuitur atque imputatur] Hinc *Petrus Witses* interrogatus, numquid esset rebaptizatus? respondit, *se anabaptismum ignorare, ut qui semel tantum esset baptizatus, idque, uti rebatur, iuxta doctrinam Dei.* Hoornb. S.C. 365. Similem in modum possis, sed absque fundamento, anabaptismum tribuere & Donatistis & Cypriano eiusque coëpiscopis, cum illi Catholicorum, hi autem haereticorum baptismum pro nullo agnoverint, hominesque inde ad se venientes babtizarint. Voss. disp. 17. de Bapt. n. 15. 20. & disp. 18. 19. 20.

De paedobaptismo. I. De Paedobaptismo docent, *se reiicere baptismum infantum rationis usum non habentium*, tanquam traditionem humanam, in regno natam antichristi. Sic Mennonistae in Conf. sua art. 21. Colloq. Franckenthal. art. 12. p. 544. Itaque obiiciunt:

1. Christus non iussit baptizari infantes ℟. Neque etiam iussit baptizari feminas. Sicut autem harum baptismus recte concluditur ex praecepto baptismi, quod exstat Matth. 28,19. ita & baptismus infantum ex eodem legitime infertur. Non dedit Christus expressum mandatum de baptizandis infantibus, quoniam Apostolis iam ante constabat, infantes fidelium pertinere ad foedus Dei. Sciebant, Iudaeorum infantes fuisse in V. T. circumcisos, atque hinc colligere poterant, etiam infantes in N. T. participes esse reddendos baptismi. Et ex baptismo proselytorum constabat iisdem, admit-

admittendos quoque esse parvulos. De quo videatur Lightfoot in Matth. 3, 6. pag. 219.

2. Paedobaptismus *repugnat baptismo Christi*, quippe qui baptismum trigesimo demum aetatis suae anno suscepit. ℟. Si Christus suo exemplo regulam baptismi nobis voluisset tradere, nemo batizandus esset ante trigesimum aetatis suae annum. Prius autem ille non venit ad baptismum, nec venire potuit, quia Iohannes, a quo baptizandus erat, non aggressus est officium tingendi, quam Christus iam ageret annum 29. Christus etiam potuit differre baptismum absque ullo periculo, ut qui noverat tempus mortis suae, & auctoritatem habebat tam deponendi, quam rursus assumendi vitam suam: sed infantum nostrorum baptismus non differendus est, quia nemo scit, quando illis sit moriendum. Neque etiam ille baptizatus fuit, ut regeneraretur, & renovaretur; quandoquidem non noverat aut habebat vel faciebat peccatum, *sed ut omnem iustitiam adimpleret*, idque, quod aequum & rectum est, & ad aedificationem prodest, faceret. Confer cum Math. 3, 15. dictum ad Phil. 1, 7. Sic enim testari voluit, 1. se in vitae sanctimonia & innocentia constanter perseveraturum. 2. se Iohannem revera pro nuncio Dei agnoscere. 3. se peccatores non aversari, & quamvis ipse expers sit culpae, non erubescere tamen, illorum numero se adiungere. 4. eos, qui sublimi sunt loco positi, & insignibus instructi donis, tamen sanctis Dei viris sine ulla tergiversatione obsecundare, & ne minimam ullius resistentiae speciem praebere debere. Gregor. naz. Orat. 40. 4. 1. p. 658.

3. *Christus praecepit, ut doctrina seu informatio praemitteretur baptismo*, dicens: Docete *omnes gentes*, baptizantes *eos*. Matth. 28, 19. Infantes autem non sunt capaces doctrinae: ergo nec etiam baptismi. ℟. Ex situ verborum non licet semper iudicare de

ordine rerum: alioqui ſequeretur, Iohannem doctrinam ſeu praedicationem ſuam non praemiſiſſe, ſed ſubiunxiſſe baptiſmo, quando Marcus ſcribit c. 1, 5. *Baptizabat* Iohannes in deſerto, & *praedicabat* baptiſmum reſipiſcentiae ad remiſſionem peccatorum. Nempe docendi erant ante baptiſmi adminiſtrationem, qui per aetatem doceri poterant. Quodque infantes baptizandi, a praecepto quidem doctrinae, non vero baptiſmi, excludendi eſſent, noverunt, vel tacente Chriſto, Apoſtoli ex baptiſmo proſelytorum Iudaeis uſitato, ubi adultiores quidem proſelyti ante, quam mergerentur, informabantur in dogmatibus eccleſiae iudaicae, ſed poſtea una cum liberis ſuis, quid rectum & malum eſſet nondum cognoſcentibus, tingebantur ſeu baptizabantur. Videatur iterum Lightfoot ad Matth 3, 6. pag. 218. & ſeqq. & Ioh. Lundii Alte Jüd. Heiligthum. p. 847.

Docendi erant.] I. Müllerus in Anabapt. ſic reſpondet: *In fonte non dicitur*, docete, *ſed* μαθητεύσατε, facite diſcipulos. *Quo modo uſurpatur haec vox Ioh. 4, 1. de Chriſto diſcipulos faciente. Iam vero diſcipuli Chriſti fiunt tam per baptiſmum, quam per doctrinam. Et hoc indicat Chriſtus, quando poſt* μαθητεύσατε *ponit* βαπτίζοντες αὐτοὺς, διδάσκοντες αὐτοὺς, *baptizantes eos, docentes eos.* p. 185. Sed praeterquam quod vox μαθητεύσατε non extat Ioh. 4, 1. ad verba Matth. 28, 19. μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη, hoc annotat Eraſmus Schmidius: *Diſcipulos* (mihi) *facite omnes gentes.* Vide 27, 57. *Quia autem hoc praecipue fit docendo, ideo cum vetere & omnibus aliis reddidi*, docete, *ut & Lutherus:* Lehret alle Völcker.

4. *Ad foedus requiritur notitia & conſenſus utriusque partis.* Infantes autem nihil ſciunt de eo, quod cum ipſis agitur in baptiſmo. Non poſſunt igitur ibi foedus cum Deo inire. ℞. Etiam circumciſio fuit ſignum foederis divini, in quod recipiebantur pueruli

eruli octo dierum, non obstante, quod de hoc foedere nihil quidquam scirent. Nec desunt exempla, ubi parentes in vita communi, liberorum suorum loco, quid promittunt, e.g. in causis matrimonialibus, in haereditatibus, in contractibus, ad quod liberi postea obligati sunt. Et si conferantur loca Matth. 19, 14. & Mar. 10, 14. 16. patebit, etiam illos parvulos, qui in ulnas accipiuntur, Christum ad se admisisse, iisque precando benedixisse. Cur ergo infantes per baptismum ei non debeant adduci, & foederis divini possint fieri participes? cum sponsores seu patrini, illorum loco, promittant observationem eorum, quae baptismus requirit ac postulat.

5. *Apostoli eos baptizarunt, qui baptismum desiderabant & petebant*, Act. 2, 37. c. 8, 37. c. 9, 6. 18. Infantes autem baptismum non possunt petere.

℞. Interim loco eorum illum petunt parentes ac sponsores. Sicut in V. T. circumcisi fuerunt etiam infantes, etiamsi circumcisionem ipsimet petere non valerent.

6. *Infantes, si adoleverint, non recordantur, se fuisse baptizatos.*

℞. Inde autem non sequitur, eos non esse baptizandos. Nescierunt etiam infantes V. T. se circumcidi. Et nihilominus, Deo ipso praecipiente, circumcidebantur. Multa fiunt in infantibus, quae, dum fiunt, ipsi nesciunt, nec postea eorum recordantur, inde tamen non sequitur, non facta, aut non recte facta fuisse, e. g. nesciunt modum suae generationis seu productionis; nesciunt lactationem & multiplicem curam, quam in ipsorum educatione adhibuerunt parentes, & cumprimis matres.

7. *Baptismus infantum venit ex regno antichristi, hoc est, ex papatu.*

℞. Non omne, quod ex papatu ad nos pervenit, improbandum est: alias improbanda foret etiam S. scriptura, & catechismus, h. e. decalogus, symbolum apostolicum, oratio dominica, doctrina de sacramentis, cum ministerio ver-

 bi &

bi & usu clavium, Ecclesiae a Christo traditarum, & multa alia. Lutherus & Wigandus ap. Schlüsselb. in lib. 12. Catal. haeret. p. 527. I. Müller in Anabapt. p. 195. Grabe in Append. ad Vrb. Rhegii Form. caute loq 226. Ochin. l. 2. Dial. p. 361. Et simile quid reperies in Strimesii Vertheidig. des theol. Unterrichts vom Kirchenfriede p. 137. Distinguendum enim est inter ea, quae sunt *ex papatu*, & alia, quae sunt *de papatu*, seu conficta a Papistis, Papae immensam & quasi divinam potestatem adulatorie atque impudenter tribuentibus: quales homines ingenuis romanae ecclesiae filiis, qui de Papa modeste & secundum regulam veterum Conciliorum sentiunt, stomachum movent & magnam indignationem. Immo altius, quam ex papatu, repetenda est origo & usus paedobaptismi: eius enim, tanquam passim & ubique inter Christianos usitati, immo tanquam apostolicae traditionis, non tantum Augustinus meminit multoties,* sed etiam Gregorius naz. orat. 40. (non 3. uti extat apud Gerh. L. de Bapt.) tom. 1. p. 648. 658. & carm. de Testam. & adventu Christi, tom. 2. p 174. Cyprianus (lib. 3. ep. 8.) epist. 59. ad Fidum, n. 2. Origenes in c. 6. ad Rom. Tertullianus lib. de Bapt. c. 18. & lib. de Anima, c. 39. & 40. (de quo tamen vide Voss. disp. XIV. de Bapt. n. 12.) Irenaeus l. 2 c. 39. & Iustinus martyr in Qq.*num* 146. Respons. ad orthodox. (quae quidem interpolatae sunt, fateor, interim probatio etiam inde hactenus recte petitur, cum eiusdem seculi scriptor, Irenaeus, idem testetur) qu. 56.

* *Multoties*] Vt l. 10. de Gen. c. 23. Lib. 4. de Bapt. c. 24. Lib. 1. de Peccat. mer. & remiss. c. 26. Vide Bellarm. l. 1. de Sacram. bapt. c. 8. p. 110. Gerh. L. de Bapt. §. 199. I. Müller in Anabapt. p. 179. 197. I. Fabricium in not. ad Conc. in Aug. conf. p. 150. & Voss. disp. XIV de Bapt.

8. Ne,

8. *Nemo eſt baptizandus, niſi qui prius credat*, ſicut Chriſtus dicit: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſervabitur.* Mar. 16, 16. At infantes non credunt. ℞. Non tam de ordine loquitur Chriſtus, quod ante baptiſmum quis credere debeat, quam de conditione ſalvandi, quod nempe non tantum evangelio fidem in animo ſuo habere, idque aſſenſu ſuo approbare, verum etiam fidem ſuam ritu baptiſmi aquae coram mundo profiteri & demonſtrare debeat. Id quod etiam Paulus docet, ſcribens: *Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem.* Rom. 10, 10. Interim apud adultos fit ſane, ut illi primo inſtruantur & credant, deinde vero ad baptiſmum, quo fidem ſuam teſtentur & confirment, admittantur. Et de adultis proprie ac proxime illud Chriſti dictum intelligendum eſſe, ex eo patet, quod in verbis antecedentibus iubentur apoſtoli, in mundum univerſum profecti, *praedicare evangelium omni creaturae*, ſeu omnibus hominibus cuiuscunque nationis & regionis, ℣. 15. Ad haec ſi vel maxime baptiſmus infantum nullius eſſet momenti, nec recte peractus, non tamen homo talis a ſpe ſalutis excludendus aut rebaptizandus foret, ſi modo is palam & intrepide ſanctam veritatem poſtea ore confiteatur, & chriſtianas frequentet eccleſias. *Nobis*, inquit Lutherus in Catech. mai. *non ſumma vis in hoc ſita eſt, num ille, qui baptizatur, credat, nec ne: per hoc enim baptiſmo nihil detrabitur. Verum ſumma rei in verbo & praecepto Dei conſiſtit. Hoc quidem aliquanto eſt acutius; veruntamen in hoc totum verſatur, quod dixi, baptiſmum nihil aliud eſſe, quam aquam & verbum Dei ſimul iuncta: hoc eſt, accedente aquae verbo, baptiſmus rectus habendus eſt, etiam non accedente fide. Neque enim fides mea facit baptiſmum, ſed baptiſmum percipit, & apprehendit.* Iam baptiſmus non vitiatur aut corrumpitur homini-

minibus eo abutentibus, aut non recte suscipientibus, *qui, ut dictum est, non fidei nostrae, sed verbo Dei alligatus est. Nam quanquam hodierno die iudaeus quispiam fraudulenta quadam simulatione & malitioso proposito veniret, se baptizandum offerens, nosque eundem serio omni studio baptizaremus, nihilominus nobis dicendum esset, baptismum verum & rectum esse: hic enim aqua una cum verbo Dei praesto est, tametsi ille non recto animo, ut debebat, susceperit.* pag. (libri Concordiae) 545. Et nonnullis interiectis sic pergit: *Quocirca nimium utique confidentes & crassi sunt spiritus illi, qui ita concludentes inferunt:* Vbi fides non est, ibi nec baptismus rectus esse potest. *Quasi ita velim concludere:* Si fidem non habuero, sequitur, Christum nihil esse. *Aut sic:* Si maiorum iussis morem non gessero, nec parentes, nec magistratus quicquam sunt. *Recte ne ac bene colligitur, ubi quis non facit, quod illi faciendum fuerat, propterea sequi, rem per se nihil esse aut valere? Quin potius argumentum inverte, atque ita collige:* Sane ob id ipsum baptismus quantivis pretii & rectus habendus est, quod non recte ab hominibus susceptus est; *si enim per se baptismus rectus non esset, eo nullo modo possemus abuti, aut abutendo delinquere.* Abusus non tollit, sed confirmat substantiam, *ut vulgo dici solet. Siquidem aurum nihilominus manet aurum, quantumvis illud meretricula cum scelere & indecore gestet ac circumferat. p.547.* Sicut autem *infantes ante baptismum fidem non habent*, ita *per baptismi actum eam nanciscuntur, & transeunt in numerum fidelium*, sicut ex S. Augustino, ad *universam Ecclesiam* provocante, ostendit parens meus in Syst. theol. p. 490. hoc tamen addens: *de qualitate istius fidei non posse certi quid determinari*, interim hoc constare, quod *non sit fides ex asse conveniens cum fide adulti*, quae ex auditu verbi concipitur, & ab eo, cui inest, tam bene scitur, quam ipsummet vivere & valere. II. De

II. De carne Christi docent, quod ille eam non acceperit ex Maria, sed attulerit e coelis: neque eam esse ens creatum, ut aliorum hominum. Verba Confessionis Mennon. art. 14. de Incarnat. sic sonant: *Christi caro aut corpus non est ex Maria, aut ulla creaturae substantia, sed tantum ex verbo vitae (quod e coelo venerat) facta.* Item: *Ille sibi corpus paravit, non ex corporea substantia, sed unice ex verbo vitae, quod factum est caro.* Et pro hac sententia obiiciunt: *De carne Christi.*

1. Prophetae testantur, Christum detulisse carnem suam e coelo, & non ex Maria assumsisse: nam Mich. 5, 2. Esa. 7, 14. & c. 9, 6. dicitur, quod *eius egressio sit ab aeterno*: idemque vocatur *Immanuel, pater aeternitatis, ac princeps pacis.* ℞. Immo potius uno ore testantur Prophetae, Christi carnem ex humana carne sumendam esse, quando dicunt, eum nasciturum esse ex semine mulieris, Abrahae, Isaaci, Davidis; fore eum germen Davidis, & fructum ventris Davidis. Ecquid aliunt volunt illa Esaiae verba: *Ecce virgo concipiet, & pariet filium?* Quae in sensu mystico & perfectiore adimpleta esse in Maria, Christum concipiente & pariente, indicat S. Matthaeus c. 1, 22. 23. Caeterum Micheas duplicem Christi nativitatem, aeternam & temporalem, coelestem & terrenam, significat. Esaias itidem indicat, Christum fore Deum & hominem: hominem, quia naturam suam humanam sumturus esset ex עלמה seu virgine; Deum, quia appellandus *Immanuel, pater aeternitatis & princeps pacis.*

2. *Christus est filius Dei vivi*, Matth. 16, 16. ℞. Inde non sequitur, eum non natum esse ex substantia matris. Appellatur autem hoc loco *filius Dei vivi*, ad indicandum naturam eius divinam, & miraculosam in utero virginis, absque viri concursu, Spiritus sancti opera, conceptionem; sicuti angelus dicit Mariae, Luc. 1, 35. & Iosepho, Matth. 1, 20.

3. Quicquid venit ex coelo, & fit caro, id carnem suam affert ex coelo. *Λόγος descendit de coelo, & factus est homo. E.* ℞. Maior negatur, quia saepe Deus in facris literis dicitur *descendisse ex coelo*, nec tamen illa locutione indicatur incarnatio. Neque unum & idem est, *venire e coelo, & fieri carnem.* Non aliter autem *verbum caro factum est*, Ioh. 1, 14. quam quod, manendo, quod erat, assumsit carnem in terris, quam antea non habuerat.

4. Ioh. 3, 13. se vocat *filium, qui de coelo descendit.* ℞. *Descendere de coelo*, & *filium hominis esse*, non sunt idem. Prius enim membrum de facto loquitur, posterius de natura. Appellatur autem *filius hominis*, non ad excludendam alteram naturam, secundum quam est filius Dei, sed per & propter unionem hypostaticam, & communicationem idiomatum, secundum quam filius hominis etiam dicitur *in coelo esse*: qui descendit de coelo, secundum divinam naturam.

5. Christus inquit Ioh. 6, 51. *Ego sum panis, qui de coelo descendi.* Item: *Panis, quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita.* ℞. In citatis testimoniis non dicitur, Christi carnem ex coelo venisse. Quando ait, *se esse panem vivum*, non ei sermo est de natura & substantia sua, sed de beneficiis, quae hominibus isto suo adventu affert atque communicat. Est enim locutio ista metaphorica, & hunc habet sensum: *Ego Christus vobis affero vitam, iustitiam coram Deo, & aeternam salutem.*

6. Christus appellatur *Dominus ex coelo* 1. Cor. 15, 26. ℞. At non dicitur, humanitatem Christi e coelo esse. Nimirum ostendere vult apostolus, nos in resurrectione corpora immortalia accepturos, ad exemplum Christi e mortuis exaltati, quem terreno seu mortali Adamo, tanquam in re contraria typo, opponit, adeoque hoc vult apostolus a ℣. 44. usque

usque ad 50. *Seminatur* hic *corpus animale*, cuius vita continuo fluit, ciboque & potu indiget: *resurget* autem *corpus spirituale*, cuius vita immortalis, nec ullius rei extrinsecus advenientis indiga erit. Aliud autem est corpus animale, & aliud spirituale. Porro in hanc sententiam *scriptum* est Gen. 2, 7. *primum illum hominem Adamum factum esse* a Deo *animal vivens*, hoc est, eiusmodi vita donatum, quae perpetuo flueret & alimentis indigeret. Verum *alter ille Adamus*, nempe Christus iam exaltatus, a Deo *factus est spiritus vivificus*, hoc est, immortali atque immutabili vita instructus. Sed *spirituale* istud corpus *non fuit primo loco* conditum, *verum animale*: *deinde suo tempore* datum est Christo corpus *spirituale*. *Primus* ille *homo* factus fuit *e terra terrenus*, *secundus* autem *homo* factus est *dominus coelestis*. Porro *qualis* ille *terrenus* initio *fuit* conditus, *tales sunt* omnes, quotquot ab ipso propagantur, *terreni* scilicet ac mortales. *Et qualis* evasit alter *ille coelestis*, *tales etiam* suo tempore fient, quotquot ad ipsum pertinent, nimirum immortales ac *coelestes*. *Quemadmodum* enim *imaginem illius terreni* in hac vita *gestavimus*, *ita coelestis illius imaginem* in futuro seculo *gestabimus*.

7. Christus, qui ascendit, descendit primum ad inferiores partes terrae. Eph. 4, 9. R. An autem hinc sequitur, Christum carnem suam attulisse e coelo? Minime. Enimvero ad recte intelligendum hunc locum, sciendum est, apostolum in ỳ. 7. & 8. ostendere, varia esse Christi dona in ecclesiam collata: quae tamen omnia ad eundem scopum referenda sint. Atque hic simul exaltationem Christi, de hostibus suis triumphantis, & humano generi dona largientis, ex Ps. 68, 19. confirmat. Qua occasione ỳ. 9. & 10. gloriosam Christi ascensionem in coelos per antithesin antegressae humiliationis amplificat, & expositione finis plenius declarat. Vt adeo hic sit verborum apostolico-

licorum a ℣. 7. usque ad 11. sensus: Caeterum *unicuique nostrum collata est gratia* quaedam pecculiaris, *pro* ratione & *mensura donationis Iesu Christi*: *Quapropter* in hanc sententiam *inquit* David, cum de Christi exaltatione loquitur: *Quum ascendisset in sublime, captivos abduxit* inimicos suos, & *hominibus* in se credentibus *dona distribuit. Porro illud* ascendit, *quid* aliud, quaeso, *significat, quam quod prius descenderat in infimas partes terrae*, id est, ad extremum usque se humiliaverat? *Etenim qui descenderat* in ipsam mortem & infernum, *is est, qui* postea longe *supra omnes coelos ascendit, ut* in coelo beatorum ad dextram Dei collocatus, *omnia* pro suo arbitrio administraret, omniaque Ecclesiae membra donis suis *impleret.* Vid. Erasm. Schmidius in h. l.

8 *Melchisedecus fuit sine patre, sine matre, sine genere.* Is autem fuit typus Christi. Heb. 7, 3. ℞. Neque tamen hinc colligendum est, Christum simpliciter non habuisse matrem. Nimirum Melchisedecus proponitur spectandus, ut principio & fine carens, quum nec pater, nec mater, nec maiores, nec mors eius describantur. Talis est revera filius Dei, sacerdos videlicet aeternus: quatenus Deus, ἀμήτωρ, ineffabiliter genitus; quatenus homo, ἀπάτωρ, ineffabiliter conceptus: conceptus tamen & natus, adeoque carnem suam habens ex Maria virgine. Matth. 1, 20. 21. c. 2, 1. 11. Luc. 2, 7.

9. *Davidi promissum fuit naturale semen*, 2. Sam. 7, 12. idque fuit Salomo. Ergo Christus non est ex semine Davidis. ℞. Neg. consequentiam, quia quod praedictum fuit Davidi de Salomone, id perfecte impletum fuit in Christo: atque ut ille naturalis fuit filius Davidis, ita & hic ex eiusdem fuit posteris; & hac ratione *filius Davidis* nuncupabatur. Rom. 1, 3. Luc. 18, 38.

De iuramentis, III. De iuramentis, etiam coram Magistratu factis, docent, illa *esse Christianis illicita.* Sic enim profitentur in art. 26.

art. 26. Mennonistae : *In V. quidem T. licitum fuit iurare in nomine Domini, elevata in coelum manu, aut imposita alicuius capiti: Iudaei etiam, hac libertate abutentes, iurarunt per coelum, terram, Hierosolymam, templum, altare, aurum templi &c. Christus autem iuramenta plane abrogavit & prohibuit, discipulisque suis nudam affirmationem & negationem commendavit, ita ut quaevis disceptatio, sive coram magistratu, sive coram proximo, finienda sit pura asseveratione vel negatione.* Et pro hac sententia sequentem in in modum argumentantur:

1. Matth. 5, 34. Christus iubet, *ne iuretur omnino*. ℟. Loquitur ibi Christus cum hominibus privatis, eosque informat, quomodo in vita communi se gerere debeant: quo modo autem Magistratus regimini praeesse, & an iuramenta imponere debeat, vel non, id quidem non definit. Sic quod ℣. 22. dicit de *non irascendo & occidendo*, & ℣. 39. de *non obsistendo improbo*, etiam non tangit personas publicas, & ad clavum reip. sedentes. Deinde Christus non prohibet iuramenta, quae fiunt invocato nomine Dei, sed illa, *quae fiunt per coelum, per terram &c.* Et per hasce additiones restringitur illa prohibitio iuramenti. Sic etiam prohibuit Deus Ex. 20, 10. *ne in die sabbati fieret ullum opus*, puta, servile & laboriosum. Quo ipso tamen non erant exclusa opera pietatis & caritatis.. Denique Hebr. 6, 16. dicitur, *hominibus omnis controversiae terminum esse iusiurandum*, videlicet in iudicio depositum: neque id improbatur.

2. Iac. 5, 12. etiam prohibetur, *ne iuretur*. ℟. Sed addantur sequentia : *Neque per coelum, neque per terram*. Propterea autem non excluditur iuramentum in foro, per nomen Dei factum.

IV. De Magistratu politico sentiunt, eum quidem Dei esse ministrum, sed Christianis non licere, eiusmodi fungi offici- *De Magistratu politico.*

officio & regimini praeesse, neque etiam iudicia & bellum gerere, ac facinorosos supplicio afficere. Verba confessionis Mennonistarum art. 27. haec sunt: *Cum Christi regnum sit spirituale, non vero mundanum, ideo omnibus suis ministris & discipulis mundanum interdixit regimen.* Item: *Omnes eius sequaces oportet vitare officium magistratus in omnibus partibus, nec eo fungi.* Et hinc obiiciunt contra officium & regimen Magistratus:

1. Ioh. 18, 36. Christus dicit: *Meum regnum non est de hoc mundo.* R. Spiritualitas regni Christi non potest tollere imperia secularia, ideoque Christus nec Nicodemo, qui erat ex primoribus seu senatoribus Iudaeorum, nec Iosepho, itidem senatori hierosolymitano, nec centurioni capernaitico, nec regio eiusdem loci ministro magistratum prohibuit: sicut nec Apostoli aethiopi eunucho, dynastae Candaces, reginae Aethiopum, vel Cornelio centurioni caesariensi, vel Sergio Paulo propraetori paphensi, vel Dionysio senatori atheniensi, vel Publio, primario insulae Melitae. Deinde distinguendum est inter sequelam Christi. Alii Christum sequuntur in fide & vita, alii in ministerio ecclesiastico, seu praedicatione verbi divini. Hisce, non illis, prohibuit Christus magistratum politicum. Distinguendum est etiam inter internam substantiam ecclesiae christianae, & externam eius defensionem ac temporalem felicitatem. Interna substantia ecclesiae non constituitur regimine civili, sed mediis vel rebus duntaxat spiritualibus, videlicet praedicatione verbi & dispensatione sacramentorum; externa autem defensio & florens status eiusdem promovetur regimine civili, quo scholae & ecclesiae conservantur, & contra tyrannos ac persecutores defenduntur, blasphemi & seductores eiiciuntur, scandala removentur, & ministris ecclesiae necessaria stipendia procurantur & praebentur.

2. Mat.

2. Matth. 20, 25. dicit Ieſus diſcipulis ſuis: *Scitis, Principes gentium in eas dominari, & Magnates poteſtatem exercere in eas. Verum non ita erit inter vos.* ℞. Hoc Chriſtus diſcipulis ſuis dixit, ut futuris verbi praedicatoribus: quibus ſane non competit, officio magiſtratus fungi. Iis autem, qui in eiusmodi officio iam verſabantur, ut Nicodemo, Ioſepho arimathaeo, & centurioni, regioque capernaitico, id non prohibuit.

3. *Chriſtus conſtituit apoſtolos, prophetas, paſtores & doctores,* per quos ſpirituale aedificium exſtruatur, Eph. 4. 11. 12. Sed officii magiſtratus nulla hic fit mentio. ℞. Neque etiam mentio fit parentum, quod debeant liberos ſuos educare ad pietatem. Inde autem non ſequitur, parentes intermittere debere ſolicitam ac piam liberorum educationem. Nempe hic loci ſermo eſt de adminiſtratione miniſterii eccleſiaſtici, in quo varia Chriſtus dona diſtribuit, atque ita etiam varia officia conſtituit, ita ut alii eſſent *apoſtoli*, qui ſumma autoritate praediti, paſſim in mundo praedicarent, & eccleſias fundarent, nec certis locis alligati eſſent: alii *prophetae*, qui ſcripturam propheticam ſingulari quadam ratione explicarent, & nova inſuper vaticinia quaedam adderent: alii *evangeliſtae*, qui velut aſſidui Apoſtolorum comites & quaſi vicarii generales, eccleſias ab illis plantatas amplius aedificarent, & novas etiam paſſim conſtituerent: alii *paſtores* & *doctores*, quorum iſti in ſctiptura recte interpretanda potiſſimum occuparentur, illi vero etiam ſacramenta miniſtrarent, & hortationes ſive doctrinae applicationes cum interpretatione coniungerent. Et ſicut tres priores ordines fuerunt extraordinarii & temporarii, ita duo poſtremi ſunt perpetui. Omnes hi, quamvis donis & functionibus inter ſe differant, in hoc tamen conveniunt, quod corpus Chriſti, quod eſt eccleſia eius, praedicatione, prophetia & interpretione ac ſcriptis

scriptis suis aedificent, atque aedificare debeant. Aliorum autem statuum & personarum in iis constitutarum non meminit apostolus, quoniam illis non est concreditum munus praedicandi & interpretandi verbum Dei, & dispensandi sacramenta.

4. *Qui Christum sequuntur, sunt peregrini & extranei*, 1. Pet. 2, 11. Hebr. 13, 14. Itaque non possunt habere fixum locum, atque in eo potestatem & regimen. ℟. Non dicimur *peregrini & extranei*, quasi semper nos oporteret peregrinari, atque in aliis, quam in patria, locis degere, sed respectu vitae aeternae, quae futura est, quodque debeamus studiis & desideriis nostris relinquere hunc mundum, & quaerere futurum, secundum Hebr. 13, 14. Quod igitur dicitur in oppositione huius & illius vitae, illud non est opponendum statui seu ordini politico. Iosephus arimathæus, & reliqui supra nominati regentes, etiam fuerunt peregrini, neque tamen, sive a Christo, sive ab Apostolis, iussi sunt deserere munus civile, quod ipsis erat commissum.

5. *Christus evitavit officium Magistratus*, Ioh. 6, 15. fuitque *minister aliorum*, Matth. 20, 28. ℟. Neque etiam Christus fuit maritus, paterfamilias, opifex, mercator. Inde autem non sequitur, nullum christianum salva conscientia vivere posse in coniugio, & opificium tractare, aut rem mercantilem. Et quemadmodum Christus propterea abstinuit a munere civili, quod missus erat ad implendum voluntatem Patris, ponendumque animam pro hominibus, & gerendum regnum spirituale, Esa. 11, 4. Zach. 9, 11. ita nusquam prohibuit, officium politicum administrari ab aliis.

6. *Christus & Apostoli non praescripserunt regulas*, ad quas fieri debeat regimen mundanum, *neque auditores suos ad Iudaeorum, multo minus Gentilium leges* ablegarunt, sed bonas duntaxat doctrinas pro-

proposuerunt, secundum quas fideles obedientiam praestare debe-ant. Rom. 13, 1 3. 5. Tit. 3, 1. 1. Pet. 2, 13. ℟. Illi non praescripse-runt regulas gubernandi politias, quoniam ad hoc non e-rant missi. Christus ad leges Iudaeorum non amandavit suos, quia illae in novo testamento debebant cessare, quoad obligationem, Gen. 49. 10. Interim libere possunt christi-ani Magistratus etiam ex illis aliquas sequi & observare. Et quamvis ad Ethnicorum leges, quales in Corpore iuris civi-lis habentur, non amandarit Iesus sequaces suos: nusquam tamen illas prohibuit & damnavit, sed ipse se iis subiecit. Matth. 27, 26. Neque se mutuo haec evertunt, *Bonas do-ctrinas dare, quomodo Magistratui sit obediendum, & Regimen illius approbare & confirmare.*

Contra iudicia forensia: Ea prohibentur in N. T. Rom. 14, 4. 1. Cor. 5, 12. 1. Cor. 6, 7. ℟. In hisce locis apostolus non lo-quitur ad Magistratus politicos: nam illis incumbit, esse praesides, sive (secundum Syri versionem) *iudices*, & pu-nire facinorosos, bonos autem tueri, idque iuxta Dei ordi-nationem, a quo missi sunt. 1. Pet. 2, 14. Rom. 13, 3. 4. sed loquitur ad personas privatas; neque omnia simpliciter iu-dicia interdicit, nam & ipse usus est defensione iudiciali, Act. 16, 37. c. 23. 17. & c. 25, 10. sed tantum temeraria, in iis, quae Deo sunt relinquenda, & ad privatos homines non pertinent, item actiones iudiciales, quas Christiani instituunt apud iudices gentiles de rebus nauci & vilibus, cum potius inter se debeant vivere concordes, nec dare scandalum gen-tilibus, quin immo res illas inter se ipsi componere, & an-te omnia quisque eorum cavere a fraude, iniuria, cavillati-one, & omni malo, unde lites oriuntur. Vide loci 1. Cor. 6. integrum contextum. *De Iudi-ciis foren-sibus.*

Contra bella obiiciunt: 1. *Non est obsistendum improbo*, sive (ut *De Bellis.*

Syrus habet) *non est surgendum*, id est, pugnandum *contra malum*, vel iniuriam. Matth. 5, 39. Confer Iof. 7, 13. Quin potius *diligendi sunt inimici.* Matth. 5, 44. R. Si verba ℣. 39. simpliciter & absolute intelligenda essent, sequeretur, omnem iniuriam ac malitiam tolerandam esse, immo quemvis pati debere, ut bona sibi sua eripiantur, atque ut praeter direptionem illam verberibus excipiatur, &, si hoc fit, ipsum quoque ansam debere dare ad plura verbera, ac denique furi tunicam tuam auferenti, te etiam pallium offerre debere. Sequeretur quoque, Christum ipsum contra hanc doctrinam egisse, dum contra iniuriam ministri, alapam sibi infringentis, protestatus est, inquiens: *Si male locutus sum, testificare de malo; sin bene, cur me caedis?* Ioh. 18, 23. Homo christianus dupliciter considerari potest, 1. ratione fidei, qua opera iustitiae praestat. *Augustin.* lib. de Fide & Operib. c. 14. 2. ratione externae & civilis vitae. Priori respectu non debet malum malo compensare, e. g. convitia convitiis, verbera verberibus, iniurias iniuriis, adeoque non sumere vindictam. Rom. 12, 17. 18. Posteriori autem potest, contra iniuriam, implorare Magistratus civilis tutelam, ut ille, qui sibi malefecit, desinat facere male. Evangelica doctrina praescribit, quomodo comparatum debeat esse cor humanum, ut possit consistere, & manere purum, nec se flectat ad falsam iustitiam; sed qui ius exercent, soliciti sunt de tuendis Reip. membris singulis, & puniendis iis, qui iniuriam alteri vel personalem vel realem intulerunt. Neque Christus hoc loco cum Magistratu civili loquitur, eique regulam gubernandi remp. aut subditos praescribit, sed cum Christianis, eosque docet, quomodo, ut Christiani, debeant conversari cum proximo, inprimis, si iustitiae causa & propter Christum persecutionem patiantur, ℣. 10. 11. adeoque

eos

eos hortatur, ut in talibus afflictionibus patientiam exerceant, & inimices suos diligant, atque pro iis precentur, ℣. 44. immo parati sint potius ad plures iniurias perferendas, quam ut vel semel se ipsi vindicent. Quod autem ad vers. 44. attinet, distinguendum inter hostes publicos, qui laedunt totam civitatem aut provinciam, eique libertatem, religionem, victum & felicitatem ereptum eunt, & privatos, qui hunc vel illum laedunt hominem. Non hisce, sed illis resistendum est armis terrenis: de his autem, nempe de privatis hostibus, locutus est Christus in loco citato, qui etiam in hac concione non nisi privatas personas docuit, quomodo in vita communi se gerere debeant; adeoque Magistratibus minime ademit ius & potestatem, quam a Deo acceperunt. Rom 13, 4. 1. Pet. 2, 14. Interim & publicis hostibus, dum iniuria ipsorum propulsatur, caritas exhiberi potest, si Deum precamur, ut eos convertat & salvet; ne dicam, partem caritatis esse non ultimam, si armis eos impediamus in patrandis malis pluribus ac maioribus, ut ita tandem ad agnitionem & humilitatem deducantur. Neque tamen defendimus nos bella offensiva, & levi de causa suscepta, sed *defensiva*, & contra eos, qui iniuste nos invadunt, & armis lacessunt, atque intolerabili iniuria afficiunt. Vide Erasm. in adag. *Dulce bellum inexpertis*, Chiliad. 4.. Cent. 1. adag. 1. in Epp. p. 101. in Epp. dedic. ad Carol. V. & ad Franciscum R. Gall. paraphrasi Matthaei & Marci praemissis: in Epist. dedic. libro de Conscrib. epp. praefixa: in Colloq. & quidem in Charonte, Militis confessione, & Milite ac Carthusiano: in Annot. in Ioh. 20, 21. Luc. 3, 14. & c. 22, 36. I. Conr. Dürrium in Dispp. antisocin. 358. Grosgebauer. 550. Reiser. in Antibarclaio 549. & quae ex Luthero & aliis adducit autor Hist. haer. & eccles. P. 2, l. 16. c. 2, n. 1. & seq.

 2. Chri-

2. *Christus contra persecutores suos non aperuit os suum*, sed, ut ovis, patienter omnia pertulit, *relinquens nobis hoc modo exemplar*, ut subsequeremur vestigia ipsius, 1. Pet. 2, 21. Phil. 2, 5. ℞. Non omnia, a quibus Christus abstinuit, vitanda etiam sunt omnibus Christianis; alias iis non liceret vivere in matrimonio, aut opificium artemve aliquam exercere. Ad bella autem non applicuit curam, quia munus eius maiora ab ipso requirebat, nempe ut praedicatione verbi christianam ecclesiam fundaret & erigeret. Et ex eius exemplo nihil aliud licet colligere, quam quod pastores & ministri Ecclesiae non debeant bella gerere, quippe quae nusquam simpliciter prohibuit; quodque omnes Christiani, privatam degentes vitam, a vindicta debeant abstinere, & adversa patiente animo sustinere.

3. Apostolus Paulus prohibet, *ne malum cuiquam reddamus pro malo, neque nosmet ipsi ulciscamur, sed demus locum irae*, seu vindictae divinae. Rom. 12, 17. 19. ℞. Distinguendo inter privatam, & publicam vindictam. De illa loquitur apostolus in loco praesente; hanc autem Magistratui videtur relinquere in cap. seq. ℣. 4.

4. Paulus militiam fidelium describens Eph. 6. 11. monet v. 12. *non esse nobis luctam adversus carnem & sanguinem*. ℞. Alia est ratio militiae in seculo, de qua ibi apostolus non loquitur. Quid si etiam sub nomine *fratrum* ℣. 10. intelligamus presbyteros? Tunc sequeretur hoc tantum, Episcopos & pastores non debere esse milites. Quod concedimus.

5. *Arma militiae nostrae non sunt carnalia*. 2. Cor. 10, 4. ℞. Intellige hoc de militia christiana. Huic autem non est opponenda militia secularis, quae exercetur ex necessitate, & defensionis causa.

6. *Lites & bella proveniunt ex concupiscentiis*. Jac. 4, 1. ℞. Loquitur apostolus de litibus inter privatos. Quod autem

ad

ad bella publica attinet, concedimus, illa, quae dicuntur offenſiva, etiam inde provenire. Sed ad defenſiva adigit neceſſitas.

7. *Fideles carnem ſuam crucifigere debent cum affectibus & cupiditatibus.* Gal. 5, 24. ℞. Neque milites chriſtiani ab hoc pietatis officio exemti ſunt: ſicut & Iohannes baptiſta militibus ad ſe venientibus ſimile monitum dedit.

8. Eſaias c. 2, 4. & Micheas c. 4, 3. prophetarunt, *Chriſtum in monte domus Dei judicaturum gentes; easque gladios ſuos in ligones, & haſtas ſuas in falces conflaturas eſſe.* ℞. Haec verba indicant ſtatum eccleſiae chriſtianae, non politiae.

9. Matth. 26, 52. *Chriſtus jubet Petrum convertere gladium in locum ſuum.* ℞. Eo praecepto hoc vult indicare, ſe nullatenus velle, ut paſſio ſua impediatur gladio corporali: & ratione praecepti addita ſignificat, eum, qui ſanguinem humanum extra debitum officii fundit, ex iure talionis teneri ſanguinem refundere ſuum, ſecundum Gen. 3, 6.

10. *Prohibitum eſt, reddere malum pro malo*, Rom. 12, 17. ℞. Intellige hoc de injuriis privatis, manu propria vindicandis.

11. *Chriſtus juſſit diſcipulos crucem ſuam bajulare*, Mar. 8, 34. Matth. 10, 38. ℞. Commendavit his verbis chriſtianam in quibusvis adverſitatibus patientiam. Haec autem non obſtat, quo minus Magiſtratus ſubditos contra vim hoſtium defendat armis.

Contra ſupplicia, quae facinoroſis infliguntur, obiiciunt: *De Suppliciis facinoroſorum.*
1. *Poenae apud Iſraëlitas infligebantur in perniciem hominum*, qui per mortem privati fuerunt poenitentia & mutatione vitae in meliorem; *ſed Chriſtus, qui venit in ſalutem hominum, aliam poenam ſtatuit peccantibus*, videl. excommunicationem ſeu eiectionem ex eccleſia. ℞. Supplicia in V. T. non privarunt homines poenitentia. Sic Achan confeſſus eſt peccatum ſuum, & de eo doluit, Joſ. 7, 20.

7, 20. Nec dubium, quin & Joab, in loco sacro optans occumbere, peccatum suum agnoverit, Deoque deprecatus sit, 1. Reg. 2, 30. Latronis illius in cruce poenitentia, notissima est, Luc. 23, 40. & seq. Itaque *supplicio puniri*, & *poenitentiam agere*, non se muruo tollunt. Quando autem de Christo dicitur, *eum venisse in salutem hominum*, non hic est sensus, animas eorum, qui mortui sunt ante adventum Christi, non fuisse servatas: quicunque enim ullo tempore salvantur, illi salvantur Dei misericordia, & fide in Christum, quam ex evangelio iam in paradiso promulgato, & postea ad Patriarchas & Prophetas saepius repetito, haurire potuerunt, quotquot veram egerunt poenitentiam.

2. *Peccans est corripiendus privatim*, aut, si admonitionem hanc contemnit, *coram uno aut duobus testibus*; quod si vero nec horum rationem habet, *res indicanda est ecclesiae*; ac denique, si nec hanc audire vult, *habendus ille est pro ethnico & publicano*. Matth. 18, 15. 16. 17. ℞. Loquitur hic locus de offensis privatarum personarum, & disciplina ecclesiastica: quae non sunt opponenda regimini politico, in quo Magistratus non frustra gerit gladium, sed in poenam seu supplicium facinorosorum, ut Paulus docet Rom. 13, 4. & Christus Matth. 26, 52. Caeterum unius positio non est alterius exclusio: alias sequeretur, tollendam etiam esse disciplinam domesticam; quae tamen commendatur Eph. 6, 3. Sicut igitur per regimen ecclesiasticum non tollitur disciplina domestica, qua funguntur parentes erga liberos, ita nec regimen civile, cuius pars est irrogatio suppliciorum.

3. Secundum Christi doctrinam & Apostolorum exemplum, manifestis operibus carnis annuncianda est damnatio aeterna, & flagitiosi ex ecclesia eiiciendi sunt & excommunicandi. 1. Cor. 5, 12. 2. Cor. 7, 11. 12. Gal. 5, 21. Eph. 5, 5. 2. Pet. 2, 20. ℞. Sed interim Magistratui politico non eripitur haec pars officii, quae versatur circa poenam capitalem facinorosorum. Ubi enim inter-

interdicitur? Immo contrarium extat Rom. 13, 4. 1. Pet. 2, 14. Matth. 26, 52. Apoc. 13, 10.

4. *Si quis peccaverit contra alterum, iudicabit eum Magistratus: sed si in Deum ullus peccat, quis oret illum?* dicit Eli 1. Sam. 2, 25.

R. Dictum V. T. minus recte obiicitur ab iis, qui praetendunt, supplicia non esse infligenda in N. T. Si autem valeret hoc dictum, contra ipsosmet militaret adversarios, quia asserit & confirmat iudicium Magistratus, quod etiam inflictione supplicii fieri potest, uti constat ex locis scripturae supra allegatis. Neque inde potest ullo modo probari, secularibus iudicibus non competere potestatem puniendi eos, qui directe peccarunt contra Deum, sed sensus est, si Deus nolit alicui peccatori gratiam facere, non esse iudicem, qui tunc gratiam eiusmodi a Deo impetrare, vel causam istam componere possit. Ostendere enim vult Eli filiis suis, ipsos delictis suis graviter offendisse Deum, adeoque apud eum seria illorum agnitione & poenitentia, non vero apud ullum hominem quaerendam esse remissionem & gratiam.

Anabaptistarum declaratio de Magistratus officio, bellis, & iuramentis.

Protestantur autem Anabaptistae, *se hac doctrina sua Magistratui nihil velle quidquam detrahere*, sed eum se habere *pro ministro Dei, preces etiam pro eo fundere*, ut Deus sua gratia eum complectatur, & salvet aeternum. In Confess. Mennonist. art. 27. Quando igitur existimant, Magistratus officium non competere Christianis, id intelligunt *de Christianis perfectis, aut ad perfectionem tendentibus;* sicuti Johannes Barclaius, Quakerorum (ut vocantur) primipilus, in Theol. vere christianae Apol. th. 15. idem cum Anabaptistis tenens de bellis Christianorum dogma, se explicat, & scribit: *Quod attinet ad praesentis christiani orbis Magistratus*, licet propter publicam, quam profitentur, Christi nomi-

nominis professionem, Christianorum titulum omnino iis non negemus, confidenter tamen affirmare possumus, quod a *perfectione religionis christianae* longe absint; & quoniam in statu, quo sunt, puram evangelii dispensationem non attigerunt, ideo, dum in eo statu versantur, *bellum illis, iustis de causis susceptum, omnino illicitum non dicimus.* Sicut enim circumcisio aliaeque ceremoniae, Iudaeis ad tempus permissae fuerunt, non quod vel necessariae, vel illo tempore post resurrectionem Christi per se licitae fuerint, sed quoniam in illis nondum resurrexerat ille spiritus, quo a talibus rudimentis liberarentur; ita christiani nominis confessores, qui adhuc in mixtura sunt, & nondum ad purum, patientem & tolerantem spiritum venerunt, nondum parati sunt ad hanc christianitatis formam, & sic non possunt se non tueri, donec ad perfectionem veniant. Similiter, *quos huc Christus adduxit, iis non licet carnalibus armis se tueri, sed in Deo per omnia confidere.* p. 390. Quae explicatio quamvis per omnia probari nequeat, prout tribus verbis indicat Reiserus in suo Antibarclaio pag. ult. hoc tamen, ut dixi, docet, belligerationem & alias officii Magistratus partes, non nisi perfectionis studiosis Christianis inconvenientes ab illis statui. Et sic videtur sensus esse doctrinae eorum de iuramentorum in foro praestandorum intermissione, communione bonorum, & lotione pedum ad exemplum Christi, quod Iohannes c. 13. 14 commemorat, facienda. Nam Zwickerus in parte 1. Epp. Ruari pag. 305. testatur, *Moravos fratres in societatem suam etiam eos recipere, qui proprietatem bonorum servent, suaque sibi necessaria possideant, dum modo superfluos reditus suos, in communem ecclesiae usum, pauperumque necessitatem, conferant.*

Equi-

Equidem praeterea etiam Anabaptistis tribuitur, eos docere, quod *animae piorum defunctorum dormiant.* Sed id non tam clare in Confess. eorum extat; sic enim aiunt in 31. articulo: *Sicuti homo dormiens nec in anima nec in corpore ullum donum accipere, eoque frui, multo minus ullam angustiam poenamque sustinere potest, nisi e somno suo expergefiat: ita nec fideles perfectam coelestem beatitudinem, nec infideles mortem aeternam & cruciatus infernales in anima vel corpore possunt apprehendere & sustinere, nisi prius per Christi adventum e somno fuerint excitati.* Loquuntur enim de consummata cum beatitudine, tum damnatione: quae sane non cadunt nisi in homines e mortuis excitatos, & in iudicio extremo vel absolutos, vel condemnatos, adeoque corpore & anima constantes.

An doceant somnum animarum piorum defunctorum.

Antequam vero dimittamus controversiam illam de suppliciis facinorosorum, pro eius meliori notitia notandum, nequaquam nos dicere, quod omnes delinquentes, gladio sint puniendi, cum sint certa delictorum & poenarum genera: sed hoc duntaxat, Magistratum, pro ratione circumstantiarum, poenas usque ad capitis supplicium extendere posse, ob usum gladii divinitus concessum. Gerh. L. de Magistratu polit. n. 307. *Statuimus etiam,* inquit n. 310. idem Gerhardus, *in poenarum capitalium irrogatione sequentes canones esse observandos. 1. Ad poenas capitales raro & tarde Magistratui accedendum*: immo, *in dubio satius est, ut nocentem dimittat, quam ut innocentem condemnet. 2. Ex meris praesumtionibus nemo ad poenas capitales damnandus. 3. Sententiae, & executiones earum non sunt praecipitandae. 4. In ipsa poenae irrogatione commiseratio Principis elucescat; adeoque Magistratus non irroget graviores poenas, quam quae a lege definitae sunt; nec supplicia spectet ipse. 5. In cadavera maleficorum*

Sententia nostra de suppliciis.

non est saeviendum. Quibus Rauppius in L. de Magistr. polit. p. 109. addit quoque hanc regulam: Ad *torturam* iudex non facile descendat, cum in sacris nullum eius appareat vestigium, ac sit medium indagandae veritatis plane inhumanum & fallax. Vide Duntei Cas. consc. p. 905. edit. erfurt. Nec desunt inter viros eruditos, quibus nimis durum & rigidum videtur, *fures capitali supplicio afficere*, cum lex divina tantum quadrupli vel quintupli poenam statuat Ex. 22, 1. & nulla sit comparatio inter bona, ut vocantur, fortunae, & vitam hominis. Vide Piscator. Comment. in Exod. vel potius in Appendice, ubi agit de abrogatione legum Mosis iudicialium, d. 2. Ioh. Dougtaei Analecta sacra p. 66. & Episcopii Operum tomum 1. eiusque partem 1. p. 107. Quamvis autem haec sententia praxi receptae repugnet, concedit tamen ex nostratibus Rauppius, *in furtis levioribus, iisdemque nondum repetitis, & extremae necessitatis impulsu patratis, aequitatem a magistratu christiano merito adhiberi, neque fures corpore luere debere vel ipsa vita, adulteris levi argento mulctatis.*

De Modo procedendi cum Anabaptistis. Quomodo autem procedendum cum Anabaptistis? an propter doctrinam suam sunt persecutionibus affligendi, & ferro, rota, igne, aut alio supplicii modo occidendi? Minime: sed melius (*) per colloquium sunt informandi. Quam informationem si admittant, bene est: sin vero non admittant, Deo sunt relinquendi, proque eorum conversione & illuminatione indesinenter orandum, ac videndum nobis est, ne probitatis, integritatis, humilitatis, mansuetudinis, sobrietatis, simplicitatis, caritatis, & aliarum virtutum

* *Per colloquium*] In quo satius est disputare more socratico, per interrogationes, quam aristotelico, per syllogismos: quia illi plerunque sunt homines illiterati. Hoornb. S. C. 374.

tum studio ab illis vincamur & superemur. Hoornb. in Summa controv. p. 360. 374. Quodsi autem facinora perpetrent, & Magistratui politico debitam obedientiam denegent, seditiones excitent, humanum sanguinem temere fundant, aliisve flagitiis se polluant, tunc vero Magistratus, qui non frustra gerit gladium, eos capitali supplicio punire poterit, non ut Anabaptistas, sed ut facinorosos. Vide Epist. Philippi, Landgravii Hassiae ad Melanchth. & Brentium, in Hist. A. C. Chytraei p. 654. Vrb. Regium in Iudicio Luneburgensium de coërcendis Anabaptistis, part. 4. opp. germ. pag. 211. 214. 215. Castal. praefat. in Bibl. lat. & Georg. Kleinberg: qui allegantur in lib. germ. von Ketzern p. 76. 80. Huc etiam pertinet, quod mox allegaturi sumus ex Cassandri Opp. p. 879. Nam si obiiciatur:

1. **Eos probare & urgere communionem bonorum, unde contentiones & seditiones possint oriri.** R. Hac ratione etiam occidendi essent romanae ecclesiae Monachi & moniales, quippe qui & ipsi in monasteria communionem bonorum introduxerunt. Neque vero Anabaptistae vel docent, alios ad communionem bonorum esse cogendos, vel ipsi alios ad eam cogunt, ut supra observavimus ex Ruari Epp. P. 1. p. 305. Immo nec magis metuendum ex incremento & multiplicatione Anabaptistarum, si tolerentur, facile progerminare posse orthodoxorum suppressionem & perniciem, (illos enim agmine facto hisce vim illaturos esse, eosque interemturos) quam ex augmento monachorum. Quomodo fit, inquiunt illi, ut iam sitis tam accurati & subtiles censores doctrinae de communione bonorum, quasi inde vobis pernicies immineat, cum tamen monachi eandem doctrinam tradant atque exerceant?

2. **Eos adversari magistratus civilis officio, eique nolle sub-**

esse, aut iuramentum impositum praestare. ℞. Hac ratione & Clerici monachique ecclesiae rom. trucidandi essent: nam & illi docuerunt docentque, spirituales homines (annon autem omnes Christiani esse debent spirituales?) non debere alios condemnare ad mortis supplicium. Iidem quoque se subtraxerunt Magistratus civilis imperio, immunitatem clericalem praetendentes, & iuramentum isti magistratui praestare constanter detrectant.

3. Honorium & Theodosium Impp. legem tulisse, adversus Anabaptistas, & sanxisse, ut illi poena capitali afficiantur. ℞. Lex illa non loquitur absolute de omnibus Christianis, qui denuo baptizantur, sed *de ministris ecclesiae catholicae*, i. e. Episcopis, sacerdotibus, diaconis, subdiaconis, lectoribus, exorcistis, ianitoribus, & Episcopi sacerdotumve famulis. Estque lex illa lata potius in terrorem, ne quis illorum ministrorum in posterum iterato baptismum suscipiat, quam ut vita eripiatur iis, qui iam sunt rebaptizati. Immo aliud potius spectat illa lex, quam simpliciter Anabaptistas, quamvis causas legis non possimus enarrare aut penetrare, cum non sint literis mandatae. Est autem probabile, in ea sub intelligendum esse scelus aut facinus quoddam, quod mortem mereatur. Aut si simpliciter lex illa est intelligenda de Anabaptistis, videtur nata esse ex suggestione crudelium & sanguinariorum Episcoporum, quibus piissimi Imperatores nimis patulas saepe praebuerunt aures, falso putantes, quicquid videretur Episcopis, verbo Dei plane conforme esse. Haec omnia hactenus desumta sunt ex doctrina I. Brentii, quae proponitur in libello germ. von Kețern p. 23. & seqq.

Iudicia eruditorũ de Anabaptistis. Si etiam lubet, virorum doctorum de Anabaptistis, videlicet simpliciter errantibus, iudicia audire, haud difficile erit

erit, eorum facere copiam, prout observata nobis sunt in quotidiana & varia lectione. *Audio*, inquit Erasmus in Iudicio de concordia, apud Chytraeum in Hist. A. C. p. 579. *hos errore falli magis, quam incitari malitia.* Georgii Cassandri, qui tamen in palaestra disputatoria bis congressus est cum Anabaptistis, sententia haec est: *Eos, qui per impiam de Christo, ecclesiae capite & fundamento, sententiam, a Christo capite separantur, & falsa persuasione ab omni societate & communione aliarum ecclesiarum abstinentes, a Christi corpore se divellunt, vere haereticos & schismaticos dicendos & habendos existimo, neque ad ullam vel externam, vel internam ecclesiae societatem pertinere puto: ut sunt varia & multiplicia Anabaptistarum genera.* Simplices tamen inter hos & specie pietatis in errorem inductos, ut neque in ecclesiae societatem admittere, ita nec damnare prorsus ausim, sed *Deo, incorrupto iudici & mitissimo parenti, iudicandos relinquo.* In lib. de Officio pii viri p. 791. Quibus verbis, sub finem defensionis istius libelli, haec vult addi: *In quibus quidquid est vitii, cum* id omne in errore & infirmitate iudicii positum sit, *& cum nullo flagitio & scelere, sed potius cum exuberante quodam, licet imperito, pietatis zelo coniunctum, certe, qui eiusmodi sunt*, commiseratione potius & ope prosequendi, quam acerbis suppliciis persequendi videntur. *Illud modo curandum, quod in longis & contagiosis morbis fieri convenit*, ut & salutis eorum ratio habeatur, & ab aliis contagio prohibeatur. *Quod haud ita difficile esset, si sanioribus consiliis locus fit.* p. 879. Matthaeus Bochartus negat, eos errore suo circa baptismum infantum evertere fundamentum fidei, & esse haereticos, scribens: Omnibus quidem (Anabaptistarum sectis) *communis est* baptismi infantium impugnatio: *qui procul dubio error est non levis, gratiam Dei minuens, & patribus consolationem adi-*

adimens, quam Deus dat fidelibus suis, dum dicit, se esse Deum eorum, & seminis ipsorum. *Vnde liberos suos in infantia morientes, salutis aeternae participes esse, credere & possunt & debent.* Attamen non quatit fundamentum hic error, sicut nec aliquot alii eorundem, *v. g. interdictio omnis iuramenti*: ita ut schismatici & plerumque fanatici potius sint isti homines, * quam *haeretici.* In Diallact. p. 83. Augustin. Eleutherius in Arbore scientiae boni & mali (prout citatur in libello germanico saepius iam memorato de Haereticis p. 58.) *dubitat, an omnia, quae iis tribuuntur facinora, ita se habeant*, cum multa etiam haereticis olim falso imputata fuerint, aut sola illorum delicta commemorata & publicata. Hugo Grotius abstinentiam a bello & litibus, ac publicis muneribus, & victus per manuum labores comparationem, gratuitamque ecclesiastici officii praestationem, quae docent & exercent Anabaptistae, operibus supererogatoriis annumerat: *Sunt quaedam*, inquiens, *quae specialiter non exiguntur, & laudabilia tamen sunt, Deoque grata*, ut castus coelibatus, sine nuptiis, vel post primas; abstinere se ab omni bello; mori potius, quam se tueri; vitare, quantum leges sinunt, munera publica, item lites; sua elargiri pauperibus, & manibus victum quaerere; ecclesiae servire suo sumtu. *Haec sunt opera specialia, ita tamen, ut generali isti hortamento amandi Deum & proximum optime conveniant, & ei, quatenus praeceptum dicitur, gradum quendam adiiciunt excellentiorem, quem Deus pro sua bonitate repensabit.* In Annotat. ad Consultation. Cassandri p. 331. & ad Luc. 17, 19. Moses Amyraldus in Irenico suo scribit: *Minutos illos & proletarios Anabaptistas, qui vel nullam societatem inter se colunt, vel eam quavis de causa, quamlibet levi, in particulas scindunt, nunc o-*

* *Quam haeretici*] Ita tamen eos vocat Zwinglius, notante Hoornb. in Summa Controv. 361.

mitt-

mittimus, quoniam imbecillitate aliqua potius, quam quod de religione admodum male sentiant, sese absciderunt ab evangel. ecclesiarum corpore: aut si quid gravius in eo genere peccant, & perniciosas aliquas sententias imbiberunt, fere omnes ad Socini sodalitium reducuntur. pag. 14. 15. Et Timann Gesselius, vir pacis ecclesiasticae amantissimus, in P. 2. Hist. sacrae & eccles. p. 815. consulit, ad universalem ecclesiarum conciliationem *invitandas etiam esse quasdam Mennoniticas.* Similia hisce plura vide in Ioh. Hoornbeeckii Summa Controvers. p. 362. & seq. ubi p. 363. ait, *tolerabilius eos errare, si suspenderent iudicium suum circa carnis Christi originem.* At hoc professi sunt illi, qui in Anglia sub Elisabètha captivi tenebantur, uti ipse refert p. 360.

Ad extremum, pro more nostro, indicanda nobis sunt scripta & tractatus, quibus dogmata anabaptistica impugnantur. Nempe huc pertinent *Protocolla* illa celebria, Franckenthalense A. 1571. Emdanum A. 1579. Leovardiense A. 1598. *Lutheri* scripta contra Thomam Münzerum, tom. 3. Opp. germ. Ien. A. 1525. p. 110. & seqq. & Praefatio in Iusti Menii libellum contra Anabaptistas, quae extat tomo V. Ien. germ. 260. *Melanchthonis* Loci theol. & Disputatio de Iudiciis, tom. IV. Opp. p. 620. * Vrb *Regii* quaedam in 4. parte Operum german. p. 16. & seq. Iusti *Menii* liber de doctrina & mysteriis Anabaptistarum: *Wigandi* Anabaptismus: *Zwinglii* (tom. 2. Operum) in Catabaptistarum strophas Elenchus; item Ecclesiastes i. e. de ratione & officio concionandi liber, contra Catabaptistarum seditiosas conciones conscriptus; nec non liber de baptismo & eius prima institutione, anabaptismo & paedobaptismo, & Responsio ad Balthas. Hubmeieri pacimontani libellum de Baptismo: *Oecolampadii* Institutio de Anabaptismo, Magistratu & Iureiuran-

Scripta Anabaptistis opposita.

iurando, contra Caroli N. articulos, germanice, & eiusdem Responsio ad Balthas. Hubmeierum: Henr. *Bullingeri* Confutatio Anabaptistarum, latine reddita a Simlero: Ioh. *A Lasco* liber contra Mennonem, anabaptistarum principem: Guidonis *De Bres* libri 3. contra Anabaptistas: G. *Cassandri* Colloquium cum Ioh. Kremer a Castorp, & alterum cum Matthia, utroque anabaptista, p. 1227. & 1234. *Formula Conc.* in Epit. articulor. p. 622. & Isagoge *Carpzovii*, aliique Commentarii in librum istum symbolicum: Iac. *Andreae* Conciones de praecipuis sectis religionis: I. *Botsacci* Anabaptismus reprobatus: *Schlüsselburgii* liber XII. Catalogi haereticorum: Lucae *Osiandri* Enchiridion controvers. parte 3. I. *Mülleri* Anabaptismus: Frider. *Seyleri* Anabaptistica larva: Petri Iac. *Austro-Sylvii*, & Abrah. *A Dooreslaar* Corpus controversiarum anabaptisticarum: Godefr. *Vdemanni* Pax Sionis: Ioh. *Cloppenburgii* Gangraena theologiae anabaptisticae: Henr. *Hammondi* Paedobaptismus defensus, contra exceptiones Tombii: & *Syntagma* Confess. & scriptorum anabaptisticorum, iisq; oppositorum, nuper editum. Vide etiam G. I. *Vossii* Dispp. de baptismo, *Becani* Manuale p. 632. *Hackspan.* ad Matth. 1, 16. Philippi *A Limborch* Theologiam Christianam, & alios autores, qui locos theologicos scripserunt.

* *Vrbani Regis quaedam*] Vt *Necessaria Dehortatio* contra novam baptismi constitutionem, seu Anabaptistas, ac nominatim Ioh. Denckium & Balthasarem a Fridberg, & libellum anonymi, cui titulus, Divina & fundamentalis Apocalypsis de Anabaptistis, ex veritate divina indicata. p. 125. *Refutatio* duarum mirabilium epistolarum, quarum auctores erant anabaptistae. p. 153. *Refutatio* Valentinianorum monasteriensium, seu Confessionis Anabaptistarum monasteriensium. p. 182.

CONTROVERSIAE
CVM
PONTIFICIIS.



QVando in nos recipimus, nos ventilaturos controversias, quae nobis intercedunt cum *Pontificiis*, neutiquam hoc vocabulum (de quo serio & solenniter protestamur) usurpamus per convicium aut contemtum, quippe quae ab omni disputatore, maxime autem christiano & sacris studiis addicto, procul abesse debent; sed eo sensu, quo romanae Ecclesiae filii vocari possunt & amant *Romano-Catholici*, ut hac ratione a Protestantibus, hoc est, Lutheranis & Reformatis, discernantur. Alias enim vocabulum isthoc, si stricte sumatur, non adhibetur in meliorem partem, sed ad designandum eos, qui Pontifici romano adulari gestiunt, eiusque potestatem in immensum extollunt, sed & propterea genuinis romanae Ecclesiae discipulis, immo etiam, credo, moderatioribus Papis displicent, Cassandro *pseudo-catholici & papistae*, Wicelio *scholastici & neoterici*, Du Pinio *theologi romanae curiae placitis nimium addicti*, & G. Calixto *hildebrandici ac pontificii* vocati. Non ita nos adhibemus hoc loco & deinceps illud vocabulum, sed tantum, ut dixi, discriminis causa, idque omissuri etiam essemus, aut cum alio commutaturi, si eo antagonistas offensum iri, ullo modo suspicari possemus. *Quo sensu adhibeatur vocabulum* Pontificii.

Cassandro] In tract. de Officio pii viri p. 792.
Wicelio] In Via regia p. 50. edit. Conring.
Du Pinio] In Hist. Discipl. eccles. p. 332.
G. Calixto.] In Resp. ad Moguntin. n. 136. & in Actis Ser. Landgravii Hassiae p. 183.

Cum quibus nobis sit disputatio.

Neque etiam cum eiusmodi stricte & peiorem in partam dictis Pontificiis disputatio nobis est, sed cum illis, qui tenent ac profitentur, quod tota credit Ecclesia romana, atque in libris suis symbolicis, aut cum hisce affinitatem habentibus, credendum proponit. Quid enim disputemus cum illis, qui ne sociis quidem suis probantur? Cur tempus teramus in excutiendis & refutandis eiusmodi dogmatibus, quae illi non fuxerunt ex uberibus Ecclesiae romanae, sed impudentiae, mendacii, & adulationis? quid libremus eorum momentum, quae vana sunt, inania, & tenuissima pluma leviora?

In libris suis symbolicis] Vt *Concilio* tridentino, *Professione* fidei catholicae, *&* *Catechismo romano.*

Cum hisce affinitatem habentibus] Vt Petri *Canisii* Catechismo, Fr. *Veroni* Regula fidei catholicae, & Iac. Benigni *Bossueti*, primum condomensis, nunc meldensis Episcopi, Expositione doctrinae catholicae.

Quid scripturo contra Pontificios observandum.

Ioh. Hoornbeeckius in Summa controversiarum, agens de Papismo, scripturo contra Pontificios, ait, *observandum esse, quid scribatur, ut videlicet post tot egregia monumenta vel aliquid novi & antea indictum afferatur, velusus dictorum monstretur ad convincendum adversarium, vel ostendatur, quousque in quovis articulo disputatio producta sit, quaeque postrema fuerint argumenta & exceptiones: Super hisce*, subiungit porro, *licebit scribere, atque superit satis, in quo te exerceas, praecipue in primo illo, ubi nova adferuntur.* p. 313. Nos ei suam relinquimus sententiam, atque id agemus, ut inquiramus in ge-

in genuinam utriusque partis sententiam, ac secernamus doctrinam Ecclesiae a placitis Doctorum particularium, & credenda a quaestionibus problematicis, quo constet, an sit iusta disputandi materia, & quantum hic & illic ab invicem distemus. Id quod si divina adspirante gratia assecuti fuerimus, gratulabimur nobis, non quidem de novitatis laude & gloria, quippe quam minime sectamur, sed de commodo, quod inde in studiosam iuventutem aliosque etiam lectores redundaturum esse speramus, immo certi sumus. Sed, agite, ad rem ipsam Deo opitulante accedamus.

In genuinam utriusque partis sententiam] Ne quid falsi alterutri tribuatur. G. Calixt. in Desid. & Stud. concord. eccles. n. 18.

Doctrinam ecclesiae a placitis Doctorum particularium] Cassander p. 961. Bellarm. l. 1. de Poenit. c. 3. p. 379. Walenburchii tom. 1. p. 242. & tom. 2. p. 7. Marcellius part. I. Sap. pacif. p. 56. Apol. Aug. conf. 141. G. Calixt. l. c. n. 19.

Credenda a quaestionibus problematicis] Autor Comp. Veron. p. 3.

* * *

AD quaestionem: *An necessarium fuerit, scripturas sacras in ecclesia exstare?* respondet Gerhardus in Exeg. L. de Scriptura S. §. 21. *distinguendum esse inter necessitatem absolutam & hypotheticam*, aitque, *scripturas* non fuisse necessarias absolute & simpliciter, sed ex hypothesi, *propter hominum corruptionem, vitae humanae brevitatem, hominum numerositatem, custodiae a traditione expectandae infidelitatem, memoriae humanae imbecillitatem.* Et postea his verbis pergit: *Potuisset nos Deus sine scripturis ad vitam aeternam erudire; sed quia non nisi per scripturas in negotio salutis nobiscum agere voluit, ideo iam* ex hypothesi *scripturae sunt necessariae.* Similiter Bellarminus docet l. 4. de V. D. c. 4. *scripturam non esse simpliciter necessariam.* Quid iam remanet controversi?

De Necessitate scripturae sacrae.

 Quando

De mandato scribendi Apostolis dato.

QVando dicimus, *Apostolos ex mandato Dei scripsisse*, non intelligimus id *de mandato* externo & manifesto, sed *interno & occulto*, quod est impulsus & inspiratio divina. Vide Gerh. Exeg. §. 24. Neque vero Pontificii mandatum hoc internum negant, sed *externum*. Atque ad eorum mentem scribit Bellarm. l. 4. de V. D. c. 3. §. *Falsum: Itaque Deus nec mandavit* expresse, *ut scriberent, nec ut non scriberent. Nec tamen negamus*, quin Deo volente & inspirante *Apostoli scripserint, quae scripserunt: aliud enim est, aliquid facere Deo suggerente & inspirante, aliud, eo aperte praecipiente. Et hoc modo intelligendus est S. Augustinus l. 1. de Consensu Evangelist. c. ult. ubi sic loquitur*: Quicquid ille de suis factis & dictis nos legere voluit, hoc scribendum illis, tanquam suis manibus imperavit. Loquitur enim *de imperio interno, quo Christus invisibiliter, ut caput membra sua, movet ad varias actiones*: quod imperium, *suggestio quaedam & inspiratio potius, quam praeceptum proprie dictum* existimari debet. Eodem modo docet Volusius in Aurora pac. relig. p. 5.

* * *

De norma & iudice controversiarum.

SCriptura S. est norma & iudex controversiarum, in quantum ad eam, ceu lydium lapidem, omnes controversiae exigendae, ut, quaecunque ab ea discordant, reiicienda, quae vero cum ea amice consentiunt, amplectenda & approbanda merito iudicentur. Gerhard. Exeg. §. 436. & 452. Conf. Cathol. edit. in fol. pag. 33. & Form. conc. p. 570. 632. Vnde patet, *scripturam* S. non nisi *improprie iudicem* a nobis vocari, & idem esse, ac si diceremus, eam esse *vocem iudicis principalis* seu Spiritus S. & *normam iudicis ministerialis*, qui vel publicus est, ut Ministerium ecclesiasticum, vel privatus, ut quodlibet membrum ecclesiae. Et §. 463. notat Gerhardus, 1. nos non negare simpliciter, *Ecclesiam*, i. e. ministros ecclesiae & auditores, esse iudices, sed dicere,

eos

eos esse *iudices ministeriales*, astrictos ad audiendam vocem Spiritus S. in scripturis sonantem, & ad normam iudicii, in scripturis propositam, stricte observandam. 2. Nec dicere, unumquemque debere esse iudicem, vel spiritum suum sequendo, vel alteri, quem dono interpretandi praeditum noverit, adhaerendo, sed, *unumquemque debere sequi iudicium Spiritus S. in scripturis S. propositum.* 3. *Sensum scripturae genuinum ac proprium*, nec in Pontificis, nec in ullius hominis pectore quaerendum, sed *in ipsis scripturis*, quae sunt publicae Spiritus sancti tabulae. Nec praetereundum est nobis id, quod profitetur Chemnitius P. 1. Exam. conc. trid. ad IV. Genus Traditionum: *Nullum est dubium, primitivam Ecclesiam accepisse ab Apostolis & a viris apostolicis, non tantum textum (ut loquimur) scripturae, verum etiam legitimam & nativam eius interpretationem.* Et ad VI[tum] earum Genus: *Sextum genus traditionum constituemus illud, quod de catholico Patrum consensu dicitur. Fatemur etiam, nos ab illis dissentire, qui fingunt opiniones, quae nulla habent testimonia ullius temporis in ecclesia. Sentimus etiam, nullum dogma in ecclesia novum & cum antiquitate pugnans, recipiendum esse.* Quid iam ad haec Pontificii? Audiamus, si lubet, ex illustri auctore Compendii Veroniani, cuius alteram editionem nuper curavimus & exhibuimus in *Via ad pacem ecclesiasticam*: *De Iudice controversiarum*, inquit ille pag. 135, *decernit Tridentinum* Concilium *Sess. IV. p. 9* ut nemo suae prudentiae innixus, in rebus fidei & morum, atq; ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium, *S. scripturam ad suos sensus contorqueat* contra eum sensum, quem & tenuit tenet sancta mater Ecclesia, cuius est iudicare de verbo sensu & interpretatione scripturarum sacrarum, aut etiam *contra unanimem consensum Patrum*, ipsam scripturam S. interpretari audeat.

Haec, ait laudatus auctor, sequens ductum Veronii in Reg. fid. §. 16. *nec plura Concilium. Quare ut doctrina his contenta, est de fide, quia proposita est a Concilio universali, ita e contrario in hac materia nihil aliud est de fide.* Et porro ex Walenburchiorum tomo II. p. 3. haec adducit: *Notum est unicuique, aliud esse regulam, aliud operarium vel artificem, aliud esse legem, aliud iudicem. Qui dicunt*, scripturam solam esse iudicem controversiarum, *confundunt legem cum iudice, nisi per iudicem intelligant normam & regulam, & sic bono sensu admittitur apud Catholicos ea propositio: non enim negant, S. scripturam, si pro norma & regula, secundum quam iudicari debeat, sumatur, esse iudicem controversiarum. Quando etiam Protestantes dicunt*, a Spiritu S. sanctarum scripturarum auctore petendum esse verum sensum verbi divini, *hoc ipsum asserunt, quod docet Ecclesia catholica. Dicunt enim Concilia, ad exemplum primi concilii apostolici*: Visum est Spiritui S. & nobis. Act. 15. *Neque enim homines dant sensum scripturae; sed Spiritus Christi, permanens cum Ecclesiae doctoribus & pastoribus usque ad consummationem seculi, & qui utitur verbi divini ministris, tanquam suis organis, docens eos omnem veritatem.* Matth. 10, 20. c. 18, 20. Luc. 10, 16. Ioh. 16, 13. *Non igitur* principaliter *iudicat Ecclesia de sensu scripturae, sed* Spiritus S. *in conciliis praesidens, in ecclesia residens, sensumque verborum suorum universis ab initio declarans. — Licet vero tanta sit auctoritas legitimorum Conciliorum universalium in Ecclesia, longe tamen maior est scripturae. —* Concilia *non faciunt verbum Dei, sed* de eo testantur, *& verum eius sensum fidelibus, Spiritu S. dirigente, infallibiliter exponunt.* Hactenus auctor Compendii Veroniani. Quod autem dicit, *infallibiliter*, id non intelligit de Conciliis in se spectatis, sed in quantum illa sequuntur verbum Dei infallibile, secundum sensum antiquae

quae ecclesiae. Vide p. 137. praedicti Compendii Veroniani, & Walenburch. tom. I. 575. Du Pin in differt. V. de Discipl. ecclesiast. & Revisionem Iudicii Simplicii, institutam a Iusto Pacio, p. 98. Adde etiam Neumanni, theolog. witteberg. clarissimi, disp. de Auctorit. libror. symbolic. p. 42. Atque unum & idem ipsis est, sive dicant, Ecclesiam esse iudicem controversiarum, sive Concilia, sive Papam: nam per *Ecclesiam* intelligunt coetum Doctorum & Episcoporum legitime congregatorum, & conciliariter de controversiis iudicantium, sub praeside Papa, qui coetus appellatur *Concilium*: quod ut Papam non excludit, sic nec Papa Concilium. Vnde etiam colligi potest, quo sensu a nonnullis dicatur, *Pontificem esse infallibilem*, nempe non in se & seorsum spectatum, sed quatenus conciliariter, i. e. in & cum concilio universali, verbum Dei, quod infallibile est, sequens, aliquid decernit. Videatur Fr. Veronius in Reg. fid. cath. §. 16. Auctor Comp. Veron. p. 23. 139. 166. Walenburchii tom. 2. p. 161. Marcellius in Sap. pacif. part. 3. 113. & Erasmus in 1. Cor. 7, 39. p. 98. iisque addantur Aegyd. Hunnius de Ecclesia, tom. 1. p. 1294. Gerhard. Conf. cathol. (edit. in fol.) p. 33. n. 11. & p. 77. nec non Calvör. in Fissur. Sion. 672. Interim non est de fide, 1. *Papam esse infallibilem*; quia in concilio tridentino hoc non fuit decretum aut propositum. 2. *Eundem extra concilium universale esse infallibilem*, vel 3. *esse supra concilium*. Veron. l. c. & autor Comp. Veron. p. 130. 131. 174. Sed hoc est de fide, puta Romano-Catholicorum, *Ecclesiae esse, iudicare de vero sensu scripturarum*, & de qualibet mota controversia, eique assentiendum, & eius sensum admittendum, quae nunquam erret ob assistentiam Spiritus S. ei promissam. Ioh. 14, 16. 26. & c. 16, 13. Veron. l. c. Walenb. tom. 2. 127. & seqq.

Ex di-

Ex dictis igitur iam patet, convenire nos & Pontificios in sequentibus: 1) *Spiritum S. proprie esse iudicem controversiarum* de dogmatibus fidei & morum, & quidem principalem seu supremum. 2) Suo modo & improprie tamen etiam dici posse, *scripturam* esse illarum iudicem. 3) Item, *Ecclesiam* esse iudicem, videlicet ministerialem. 4) *Sensum scripturae* genuinum ex ipsamet petendum. 5) *De genuino* autem *sensu scripturae testari posse primitivam Ecclesiam*, quippe quae illum ab Apostolis & viris apostolicis acceperit. 6) Qui verbum Dei, secundum sensum suum genuinum & testimonium antiquae illius Ecclesiae, recipit, eum suo modo dici posse *infallibilem*, in quantum nempe sequitur Spiritum S. in verbo suo, ducentem in omnem veritatem. Walenb. tom. I. 598. Sic & Confess. helvet. c. 17. p. 32. dicit de Ecclesia: *Non errat illa, quamdiu innititur petrae Christo & fundamento Prophetarum & Apostolorum.* 7) Non cuivis *pro lubitu exponere licere* scripturam, neque ita esse posse iudicem, sed *adstrictum esse ad eum sensum*, quem Spiritus S. in verbo, secundum sanas regulas hermeneuticas, indicat. In thesi igitur convenimus, Ecclesiam suo modo esse iudicem controversiarum, sed in hypothesi negatur adhuc a nostratibus, *Ecclesiam rom. hodiernam*, & quidem *solam*, immo etiam *scripturas interdum detorquentem*, (vide Chemnit. E. C. T. part. I. 58. & Luc. Osiandri Enchirid. controvers. cum Pontif. p. 29. itemque Erasm. in I. Cor. 7. 39.) esse talem iudicem, non denegaturis eidem eiusmodi iudicium, si id formetur secundum conditiones supra expressas, videlicet ad normam scripturae S. & antiquae ecclesiae sensum, aliisque etiam ecclesiis suum in eadem re ius relinquatur. Hinc Gerhardus in Conf. cathol. p. III. thesin hanc, Pontificem rom. non esse summum & authenticum controver-

siarum

siarum de rebus fidei iudicem, sic explicat: Non esse quaestionem de aliquo in rebus fidei iudicio, sed *de summo & authentico iudicio*; neque de iudicio, ad scripturae normam, de rebus fidei instituendo, sed de *absoluto iudicio*, an Pontifici in rebus fidei aliquid decernendi, tanquam summo & authentico iudici, absolute credendum & obtemperandum sit, *sive decisio illa in scripturis fundetur, sive minus*. In hoc autem ne quidem saniores Pontificii a nobis dissentiunt. Vide Veron. & auctor. Comp. Veron. loc. cit. & Volusii Auror. pac. eccles. p. 137.

Secundum praedicta, Volusius nimis subtilis est, quando negat, augustanam Ecclesiam esse infallibilem, *quatenus & quamdiu adhaeret* infallibili verbo Dei p. 109. Ei opponimus Ludov. Ell. Du Pin, qui in Hist. discipl. eccl. p. 340. scribit: *Certum est, eum non errare, qui secundum scripturam & traditionem loquitur.*

* * *

Vulgata latina Bibliorum versio non est authentica, respectu fontium & infallibilitatis, ita ut fontibus hebraeo & graeco sit aequiparanda, aut etiam praeferenda, & pro divina ac infallibili habenda, adeo, ut ea, quae ab interprete illo vitiose reddita, vel a librariis mutata, mutilata & addita sunt, tanquam authentica sint acceptanda, nec liceat inspectis fontibus ea reiicere. Chemnit. E. C. T. part. 1. p. 55. Gerh. Exeg. §. 3o. 503. 512. & L. de Scriptura S. §. 114. & Conf. cathol. 387. Glass. Philol. S. lib. 1. p. 23. Neque enim, ut Gerhardus l. cit. Conf. cath. scribit, est quaestio, an 1. in communi Ecclesiae usu retineri possit, sed an in controversiis ab ea *ad fontes non liceat provocare*. Neque 2. est quaestio, an veteres honorificum ei encomium detulerint, sed an in sublime *autoritatis authenticae* fastigium collocanda sit. Sumit igitur vocem *authentici* pro eo, quod est canonicum, & divinae auctoritatis, ut ex locis Exeg. allegatis cernere licet. *De authentia vulgatae versionis.*

cet. At vero Concilium tridentinum Seſſ. IV. p. 8. authenticam eam pronunciat non niſi *reſpectu aliarum verſionum latinarum*, & in ſenſu iuridico, quo aliquid dicitur *authenticum*, quod vim probandi habet, etiamſi non ſit originale; ita, ut haec verſio in eccleſia & diſputationibus aliisque actibus academicis valere debeat, & non alia. Sic enim ſonant verba Concilii: *Inſuper eadem ſacroſancta Synodus conſiderans, non parum utilitatis accedere poſſe Eccleſiae Dei*, ſi ex multis latinis editionibus, *quae circumferuntur, ſacrorum librorum, quaenam authentica habenda ſit, innoteſcat, ſtatuit & declarat, ut haec ipſa vetus & vulgata editio, quae longo tot ſeculorum uſu in Eccleſia ipſa probata eſt*, in publicis lectionibus, diſputationibus, & praedicationibus aut expoſitionibus, *pro authentica habeatur*, & quod eam nemo reiicere qvovis praetextu audeat vel praeſumat. Neque verba, *quovis praetextu*, eo trahenda ſunt, quaſi illa verſio in ſe ſit canonica, nec unquam liceat ad fontes provocare, ut putat Gerhard. in Exeg. §. 503. 312. & 316. (contrarium qvippe docent praeſtantiſſimi illi Eccleſiae rom. doctores, quos allegavi in Paradoxis Amoenitatum mearum theol. p. 379. & iis addi poſſunt Wicelius in V. R. 16. Azorius in Remiſſ. ad Concil. trid. p. 11. Card. S. Crucis in Sarpii H. C. T. p. 267. Ioſ. A Coſta de Chriſto revel. l. 2. c 16. Sim. De Muis epiſt. de Verit. hebr. p. 17. & de Hebr. edition. p. 41. Eſtius in ep. ad Galat. 3, 10. Ribera in Hoſ. 9. num. 20. Bened. Ar. Montanus praefat. in Bibl. interlin. Lorinus Comment. ad 2. Pet. 1. Rugerius de Script. canon. c 44. Rich. Simon Hiſt. crit. V. T. l. 2. c. 14. Walenburchii tomo 1. Operum p. 677. 604. & tom 2. p. 2. Bellarm. l. 2. de V. D. c. 10. item illi, quos citat Gerhardus in Exeg. §. 315. & in Conf. cath. p. 339. nec non Contzen in Dannhaueri Hermen. S. p. 518. Sarpius Hiſt.

Hist. conc. trid. l. 2. p. 259. Du Pin dans la differt. prelim. sur la Bible c. 7. p. 204. Petitdidier in Differt. hist. crit. chronol. & Volusius in Aur. pac. relig. 52.) sed omnino restringenda ad alias versiones latinas, de quibus antea facta erat mentio. Et hoc sensu etiam de Lutheri versione germ. dici potest, eam nobis esse authenticam, quoniam videlicet praefertur omnibus aliis versionibus, & publicus eius usus est in nostris ecclesiis. Vide rursus Amoenit. nostras p. 378. & Aug. Pfeifferi Thes. hermen. p. 119. ac Walenb. tom. 1. 38. Ex dictis autem constat, controversiam hanc, ex varia vocis acceptione ortam, non esse realem, sed verbalem: prout rectissime iudicat venerabilis A. L. G. W. M. in Methodo expositor. in controvers. Lutheran. cum Pontificiis: quae si perficeretur, ac publici fieret iuris, haberemus sane scriptum, multis aliis, ad quae auctores tantum eruditionis, iudicii, prudentiae ac moderationis non attulerunt, merito praeferendum.

Non nisi respectu aliarum versionum latinarum] Interim non negamus, nonnullos Pontificios longius progressos, & iusto maiorem autoritatem vulgatae tribuisse. Quales sunt quidam inter Patres tridentinos, referente Sarpio in H. C. T. 256. Marcellius P. 2. Sap. pacif. p. 293. & Harduinus in Chronologia vet. testam. Sed horum & similium aliorum, respectu moderatiorum & cordatiorum, non est habenda ratio.

* * *

De scripturae S. lectione sentimus, eam nulli, qui aptus & idoneus est, eamque utiliter & cum fructu tractare potest, prohibendam, sed potius quemvis, etiam ex laicis, ad eam excitandum & hortandum esse. Chemnit. E. C. T. part. 1. p. 60. Gerh. Conf. cath. p. 405. item in Exeg. §. 493. & L. de Scriptura sacra, §. 98 Brochm. Syst. theol. part. 1. 47. Iam quidem verum est, Pium IV. P. R. in Regula IV. Indici *De lectione scripturae S.*

 libro-

librorum prohibitorum praemissa, non omnibus, sed illis tantum, qui facultatem legendi ab Episcopo aut inquisitore acceperunt, scripturae in lingua vernacula lectionem concedere, & Clementem IIX in Observat. Regulae isti subiuncta, modo dictam facultatem adimere: qua de re videatur Gerhard. Exeg. §. 494. G. Calixtus Digr. de Arte nova p. 314. & Append. disp. de Auctoritate Scripturae S. & numero libror. canonic. V. T. & Titius in disp. de Perspic. Scripturae S. eiusque interpret. & lect. §. 11. attamen observandum, 1) Concilium trid. nuspiam prohibere lectionem scripturae in lingua vulgari, sed *suspectorum* tantummodo *ac perniciosorum librorum*, Sess. 18. p. 192. 2) Regulam illam IV. cum reliquis, nec Concilii trid. esse, nec unquam receptam vel in Gallia, vel in Germania, vel in Britannia, vel in Polonia: unde & iteratis vicibus prodierunt Biblia in istis regionibus: neque 3) absolute prohiberi etiam in illa Regula lectionem scripturae in lingua vernacula, prout observant Bellarm. l. 2. de V. D. c. 15. p. 46. Colonienses, Costerus, Eccius, Stapletonus, Molanus apud Gerh. L. de Scriptura S. §. 105. & seqq. Cotonus in Resp. ad Quaest. Molinaei p. 833. Marcellius part. 2. Sap. pacif. p. 293. Pellissonius dans les Reflex. sur les differ. de la relig. p. 4. 86. auctor Compendii Veroniani p. 44. Alex. Natalis Hist. eccl. P. 2. 714. (cuius verba citat celeberrimus D. Veiel in Differt. isagog. in Selecta histor. istius capita p. 308.) autor de l' Avis important aux Refugiez de la France, in Actis Erudit. A. 1692. p. 53. Quibus adde etiam illos scriptores pontificios, qui de lectione scripturae ad mentem nostram & veteris ecclesiae christianae docent, magnoque numero allegantur a Gerh. in Conf. cathol. p. 406. & seqq. item Kunckelii Lilium inter rosas p. 41. 886. Stillingfleet in Exam. concilii trid.

La dis-

La differt. preliminaire, ou Prolegomen. Du Pin fur la Bible l. 1. c. 9. §. 4. & Voluf. Aur. pac. relig. 14. 52. Vnde iam patet, quaestionem hanc, An S. fcriptura in linguas vulgares vertenda fit, eo quod variarum linguarum verfiones biblicae inter ipfos Pontificios proftant, omnino ceffare poffe. Rich. Simon Hift. crit. verfionum N. T. c. 1. auctor libelli gallicani fub tit. *Defenfe des verfions de l' Ecriture fainte*, (is autem eft abbas Le Tourneux) de quo vide Acta Erudit. A. 1689. p. 177. & Du Pin l. c. §. 3. & 4.

* * *

Circa libros canonicos N. T^ti^ hodie (ut agnofcunt Walenburchii in Comp. controverf. tom. 2. p. 2.) nulla eft inter Romano-Catholicos & Lutheranos controverfia, fed tandummodo circa libros quosdam V. T. videl. Tobiae, Iudith, Baruch, Sapientiae, Siracidis, & duos priores Maccabaeorum, (de *additamentis ad Efterem & Danielem* dubitat Grotius in Annot. ad Caffandri Confult. p. 327. & ex Cano refert, putare eum, etiam de *Baruchi libro* fine culpa haerefeos dubitari poffe) quos *pro facris & canonicis* fufcipi iubet fub anathemate Synodus trid. Seff. 4. p. 8. & quidem *ad confirmanda dogmata, & inftaurandos in Ecclefia mores.* In quem fenfum Becanus in Manuali controverf. p. 2. fcribit: *Canon duo fignificat, 1. normam feu regulam, quam fequimur. 2. catalogum feu numerum aliquem rerum. Vtroque fenfu libri fcripturae vocantur* canonici: *priori quidem, quia continent normam five regulam, quam in fide & moribus fequi debemus; pofteriori, quia in catalogum librorum divinorum relati funt. Eft ergo quaeftio, quinam libri fint canonici, hoc pofteriori fenfu?* i. e. *quinam relati fint in canonem feu catalogum librorum fcripturae, tanquam divini five a Deo infpirati.* Sicut autem Proteftantes haud inviti concedunt, libros illos controverfos 1. in ecclefia ad morum aedificationem legi, 2.

De libris apocryphis V. T.

cum canonicis in codice biblico coniungi, & scripturae sacrae nomine, generaliter accepto, comprehendi, 3. moralia dicta in concionibus ex illis adduci, 4. in fidei articulis, quando & quatenus cum canonicis libris consentiunt, quaedam ex illis, uberioris explicationis gratia, afferri posse; ita negant, eos *aequalem* cum canonicis libris autoritatem, divinam scilicet & αὐϑόπνευστον, obtinere, & ad confirmationem articulorum fidei aequali robore cum canonicis libris pollere. Gerh. Conf. cathol. p. 341. Exeg. §. 63, & L. de Scriptura S. §. 5. Requirunt autem ad librum canonicum V. T. ut 1. scriptus sit a propheta ex impulsu & inspiratione divina, & quidem 2. lingua hebraea. 3. ut contineat oracula de Christo exhibendo. 4. ut a Christo vel Apostolis in N. T. ad confirmationem dogmatum allegetur. 5. ut habeat testimonium ecclesiae israëliticae, & 6. etiam primitivae christianae. Gerh. Exeg. §. 69. & seqq. Haec autem requisita non cadunt in libros controversos.

Obiiciunt: 1. Protestantes, adeo presse insistentes canoni Iudaeorum, *iudaizare* videntur, *& synagogam resuscitare*. Walenb. tom. 2. p. 2. ℞. 1. Si vera haec est culpa, communis illa nobis est cum primitiva Ecclesia, quippe quae eundem canonem agnovit, videl. in seculo II. Melito, & Tertullianus, in III. Origenes, in IV. Eusebius, Athanasius, Hilarius, Concilium laodicenum: de quibus & aliis seqq. legantur Gerh. in Exeg. §. 77. & seqq. G. Calixti Differt. de Auctorit. S. Scripturae & numero libror. V. T. & Lucae Frid. Reinharti Synopsis Theol. dogmat. p. 67. 2. An placeret ipsis, si diceremus, eos iudaizare eo, quod toties iterant *sacrificium* proprie dictum, & purgatorium credunt, pro cuius defensione Bellarminus *Iudaeorum testimonium* allegat? 3.
Non

Non in gratiam Iudaeorum aut propter collusionem cum illis, canonem istum recipimus, sed quia, ut S. Paulus scribit Rom. 3, 2. illis *credita fuerunt eloquia Dei*: qui, si canonem, ab Esdra consignatum, temere mutilassent, aut imperfectum habuissent, sine dubio a Servatore aut Apostolis propterea taxati fuissent. Immo primitiva Ecclesia constanter eos, ut fidelissimos scripturae V. T. custodes, laudavit, sicut videre licet in Iustini mart. Cohort. ad Gr. p. 14. & Augustini epist. 59. l. 2. de C. D. c. 8. & l. 18. c. 46. & in Ps. 40. & 56. Eiusdem l. 12. contra Faustum c. 23. haec sunt verba: *Quid est aliud hodieque gens ipsa, (Iudaeorum) nisi quaedam scriniaria Christianorum, baiulans legem & prophetas, ad testimonium assertionis evangelicae?*

2. Libri controversi fuerunt agniti pro canonicis in 3. Concilio carthag. can 17. item a S. Augustino l. 2. de C. D. c. 8. & pluribus Patribus atque Conciliis. ℟. 1. Si appellatio *librorum canonicorum* late sumitur, pro iis nempe, qui ad aedificationem in ecclesia possunt legi, quem sensum verba canonis habere videntur, admittimus: si autem stricte, negamus, & Concilio carthaginensi isti opponimus vetustius, videlicet laodicenum, confirmatum in Synodo VI. CPtana, quae Trullana dicitur. 2. Augustinus *canonicum* vocat, quod non est plane reiectum & fabulosum, sed quod in ecclesia legitur & legi potest ad aedificationem fidelium, non praeiudicans interim scriptis V. T. stricte canonicis, quae a Iudaeis agnoscuntur. Hinc l. 2. de C. D. c. 8. scribit: *Tenebit catechumenus hunc modum in scripturis canonicis legendis, ut eas, quae ab omnibus recipiuntur ecclesiis catholicis, praeponat eis, quas quidam non accipiunt; in eis vero, quae non recipiuntur ab omnibus, praeponat eas, quas plures gravioresque recipiunt.* Et lib. 18. de C. D. c. 36. *Supputatio illa temporum*

porum, non in scripturis sanctis, quae canonicae appellantur, sed in aliis invenitur, in quibus sunt & Maccabaeorum libri, quos non Iudaei, sed Ecclesia pro canonicis habet, propter martyrum quorundem passiones. Et l. 17. c. 20. concedit, *ea minus firma esse, quae non sunt scripta in canone Iudaeorum.* 3. Plures illi Patres & Concilia sunt recentiora, nec praeiudicare possunt antiquioribus. Gerh. Exeg. §. 105. 4. Liber Baruchi neque in Concil. laodiceno aut carthaginensi, neque in Catalogis Pontificum rom. recensetur. Sarp. H. Conc. tr. 252.

3. Patres libros illos non solum allegant, sed etiam vocant *sacros & divinos.* R/ 1. Propterea tamen non statim sunt canonici proprie & stricte tales. Vocaverint eos *sacros & divinos* improprie & late, sicut Gratianus Pontificum decretales eodem cohonestavit elogio; ad quem modum ipse Bellarminus l. 2. de Concil. c. 12. §. *Dico secundo*, cum excusat. 2. Distinguendum est inter nudam allegationem, & inter allegationem ut principii cuiusdam, ex libris canonicis desumti. Gerhard. Exeg. §. 107. Adde Eduardi Stillingfleet E. C. T. controv. 2. Du Pin in Dissert. praelimin. in Biblia l. 1. c. 1. §. 6. libros istos controversos vocat *deuterocanonicos*, & fatetur, eos non esse aequiparandos stricte canonicis: atque ipse Bellarminus *positos* ait *in gradu inferiore*, sicut refert Grotius in Annot. ad Consult. Cassandri, 327. *Conciliaturam*, inquit idem Grotius, *nobis dat Hieronymus in praefat. ad Proverbia, qui ait*, utiles eos esse ad aedificationem plebis, non ad ecclesiasticorum dogmatum auctoritatem confirmandam: *quae eadem ferme verba Caietanus in hac re usurpat, in fine Commentar. ad V. T.*

Tantummodo circa libros quosdam V. T.] Alii enim, quamvis in codice biblico graeco vel latino contineantur, ipsorum etiam Pontificiorum confessione sunt apocryphi, ut tertius & quartus

tus *Esdrae*, tertius & quartus *Maccabaeorum*, oratio *Manassis*, 151. *psalmus*, appendix libri *Iob*.

Si appellatio librorum canonicorum late sumitur] Sicut scriptores veteres nomine *librorum canonicorum* in duplici significatione utuntur, 1. stricte & proprie, pro libris ex divina inspiratione in lingua hebr. scriptis, ut dogmata fidei inde probari & confirmari possint, 2. late & improprie, pro iis libris, qui in codice biblico cum illis stricte canonicis continentur, & ad aedificationem fidelium in ecclesia legi possunt, utut non valeant ad probationem dogmatum fidei: ita etiam appellationem *librorum apocryphorum* duplici modo usurpant, 1. late & improprie, de libris, qui sunt occultae originis, nec canonici & divini, in ecclesia tamen legi possunt ad morum aedificationem. 2. stricte & proprie, de libris, qui continent fabulas, errores ac mendacia, & proinde non sunt legendi in ecclesia. Priores dicuntur *apocryphi*, quod sint *absconditi*, i. e. originis absconditae & occultae; posteriores, quod sint *abscondendi*, Gerh. Exeg. §. 67.

* * *

AD statum controversiae de perspicuitate scripturae S. recte formandum, scire oportet, (1) non esse quaestionem, an quaedam in scripturis sint obscurius dicta & intellectu difficiliora, sed an *dogmata fidei*, & *praecepta morum*, perspicue in iis sint proposita. (2) Nos non dicere, scripturam in omnibus omnino locis, ubi de fidei dogmatibus & praeceptis morum tractat, ita perspicue loqui, ut primo statim intuitu plene intelligatur, sed nullum esse fidei articulum, nullum vitae praeceptum, quod non *alicubi* verbis propriis & perspicuis proponatur. (3) Non excludi a nobis verum & quotidianum *studium* in scripturae lectione & meditatione adhibendum, & alia *adminicula* ad scripturae interpretationem necessaria. (4) Nec negare, alia loca scripturae *aliis esse clariora*. (5) Neque etiam excludi interiorem *Spiritus S. illuminationem*, quae ob connatas menti nostrae tenebras piis

De Perspicuitate scripturae S.

 pre-

precibus petenda est. (6) Nec scripturam quibusvis claram & perspicuam esse, *sed illis, quibus nullum vel ab aetate, vel ab ignorantia linguae*, in qua scripturam legunt, *vel a praeconcepta opinione*, obiicitur impedimentum. (7) Res Dei esse obscuras; *res scripturae* autem perspicuas, i. e. res, quae in dogmatibus fidei continentur, superare captum mentis nostrae, adeo ut sine speciali revelatione nobis non innotescerent, & post factam revelationem illam, fide amplectendae sint, interim eiusmodi verbis in scripturis tradi ac proponi, ut ex iis ea cognoscere & intelligere valeamus. (8) Et hinc ad ea cognoscenda & intelligenda *nullo alio adiumento & supplemento* nos indigere. Gerh. Exeg. §. 413. L. de Scriptura S. §. 68. & Conf. cathol. 413. Itaque non de perspicuitae rerum, certe non omnium, sed verborum sermo nobis est, & quando fatemur, *dari loca quaedam scripturae obscuriora*, id non sic intelligimus, quasi ipsa in se sint obsura, sed respectu hominum, in quibus vel unum vel plura perspicuitatis, in verbo Dei fulgentis, obstacula deprehenduntur. Haec omnia etiam concedunt Pontificii, adducti a Gerhardo in Exeg. §. 422. & Conf. cath. 414. & Walenburchii tomo 1. Operum p. 651. & tomo 2. p. 640. 690. *Vndique constat* (sunt verba Walenburchiorum p. 653. tomi 1.) *articulos omnibus & singulis necessarios, perspicue in scripturis sacris comprehendi, easque doctrinas in scriptum esse redactas, quae omnium ac singulorum sufficiunt saluti. Tota quaestio est:* Quae sit via & ratio *omnibus & singulis communis, qua doctrina ista necessaria* sine periculo teneatur, secure *credatur &* absque errore *conservetur? Et illam viam ac rationem aiunt esse* Ministerium ecclesiae, seu Ecclesiam instruentem. p. 657. Id quod de unanimi Patrum consensu intelligendum, secundum Remissionem ad Decret. de Canon. scripturis, Sess.

Seff. IV. Conc. trid. p. 11. lit. *b.* Iam vero cum ipfimet Proteftantes confenfum illum admittant & requirant, confiderandum reftat, an reapfe a Pontificiis in hac quaeftione tantopere diftent. Certe Eccius, Prateolus, & Sixtus fenenfis, apud Gerhardum in Exeg. §. 423. ea nobis tribuunt, quae a mente noftra plane funt aliena, qnafi videlicet permitteremus laicos & deliras anus *imperiofe* tractare fcripturas, & doceamus, fcripturas *non egere interpretatione*, item, *omnia omnino* in iis effe perfpicua. Sed & Gerhardi verba, quae in cit. §. fubiiciuntur, circumfpecta interpretatione opus habent. Sic autem illa fonant: *Quia vero noftram de perfpicuitate fcripturae fententiam* (Pontificii) *taxant & repudiant, ex eo colligimus, quod fcripturae S. perfpicuitatem negent.* Non enim abfolute eam negant, fed refpectu hominum, & fi nulla accedat Ecclefiae inftructio. Walenb. tom. 1. 652. Voluf. in Aurora pacis relig. 10. Notandum denique, quod nec Concilium trid. nec Profeffio fidei, quae extat in Seff. XXIV. p. 450. de obfcuritate fcripturae quidquam tradat.

* * *

Scripturam dicimus effe perfectam, i. e. de omnibus abfolute neceffariis plene ac perfecte nos inftruentem. Vbi tamen ad ftatum quaeftionis recte formandum notabis, (1) nos nequaquam eo fenfu fcripturam vocare perfectam, quod omnia, quae ad fidem, & mores fcitu neceffaria, αὐτολεξεὶ five κατὰ τὸ ῥητόν, fecundum literam & totidem verbis in fcripturis extent, fed quaedam *fecundum rem*, quaedam *fecundum literam:* vel, quod idem eft, quaedam *implicite*, qaedam vero *explicite* in illis contineri dicimus, ita ut illa, quae implicite contineri dicuntur, per legitimam & immotam confequentiam ex reliquis facile deduci poffint. (2) Non effe quaeftionem de ceremoniis & ritibus libere ab Ecclefia introductis

De Perfectione fcripturae.

& obſervatis, ſed de *fidei articulis*, an illi plene & perfecte in ſcriptura tradantur, ſeu an ſint quidam articuli fidei neceſſario acceptandi & credendi, qui non poſſint ex ſcripturis probari? Ritus eccleſiaſticos quod attinet: quamvis illi in ſpecie non extent in ſcripturis, tamen genus in illis traditur, quod ſcil. omnia fieri debeant εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν, 1. Cor. 14, 40. πρὸς οἰκοδομήν, ℣. 26. & ſine eccleſiae ſcandalo, 1. Cor. 10, 32. (3) Perfectionem ſcripturae non eſſe aeſtimandam ex numero librorum, ſed *ex ſufficientia dogmatum ad ſalutem ſcitu neceſſariorum*: adeoque id, quod ſcriptum fuit, quovis eccleſiae tempore perfectum canonem exhibuiſſe. (4) Nos cum S. Auguſtino ex eius Tract. 49. in Ioh. dicere, *Chriſtum dominum multa dixiſſe & feciſſe, quae ſcripta non ſunt: electa vero eſſe, quae ſcriberentur, quae ſaluti credentium ſufficere viſa ſunt.* Gerh. Exeg. §. 366. & Conf. cathol. p. 14. Iam dicunt Proteſtantes, apud Catholicos accuſari S. ſcripturam imperfectionis & inſufficientiae, quia admittunt traditiones. Sed prius illud negant cum alii, tum Walenb. tom. 2. p. 3. & addunt: *Vtrinque agnoſcitur, quod S. ſcriptura*, ſive explicite, ſive implicite, *illud omne continet, quod ad ſalutem neceſſarium eſt.* Idem etiam docent tom. 1. p. 781. 782. 785. 786. 787. & Kunckel p. 521. 525. 544. 294. In quem ſenſum Bellarminus ſcribit l. 4. de V. D. c. 3. p. 66. *Nos* (Pontificii) *aſſerimus, non contineri in ſcripturis* expreſſe (vide Gerh. l. c.) *totam doctrinam neceſſariam, ſive de fide, ſive de moribus.* De hoc autem controverſia eſt, *quo medio* ex implicitis illud eruatur, quod explicite credendum eſt, conſequentiisne cuiusvis privati, an traditione, ut Pontificii vocant, apoſtolica, eccleſiae commendata, per eccleſiam propoſita. Qua de re iterum videndi ſunt Walenb. tom 2. p. 3. Vbi tamen

etiam

etiam praeter mentem noſtram nobis aliquid tribuunt, cum aiunt, *nos velle, unumquemque hominem, invocato Spiritu S. (quantumvis fateatur homo talis, ſe errare poſſe) ex S. textu* determinare *credenda*, neque *in hoc fidere* ulli auctoritati Eccleſiae, *ſed* tantum ſuae ratiocinationi & interpretationi, *quam ſibi perſvadeat lumine Spiritus ſancti certo dirigi, eidemque* determinationi committere *ſalutem ſuam aeternam, vel damnationem aeternam.* Nam *iudicium* quidem *diſcretionis* in examinandis ex ſcriptura dogmatibus & articulis fidei tribuimus, non autem iudicium poteſtatis & pro lubitu factae determinationis: neque excludimus inde auctoritatem eccleſiaſticam, conſenſui verae antiquitatis inſiſtentem, hominemve eiusmodi ſuam tantum ratiocinationem & interpretationem ſequi iubemus. Intra ſuos igitur terminos ſi verſetur diſputatio, facile poterit finiri & componi.

Cum alii] Vt Voluſius in Aurora pac. relig. p. 9.

* * *

AD ſtatum controverſiae de Traditionibus ſeu verbo non ſcripto, notandum 1) vocabulum *traditionis* ſumi quandoq; *generaliter*, pro doctrina quovis modo tradita: qua ratione etiam uſurpatur pro illis, quae in ſcriptura expreſſe continentur: & ſic non negari a nobis traditiones. 2) Nos non negare, Chriſtum & Apoſtolos *plura feciſſe & dixiſſe*, quam in ſcriptis Evangeliſtarum & Apoſtolorum ſunt expreſſa: Neque 3) ſimpliciter negare diſtinctionem *inter verbum ſcriptum & non ſcriptum*; fuit enim tempus, quo verbum Dei non habebatur ſcriptum: Neque 4) negare VII. *illa genera traditionum*, quae recenſet Chemnitius in Exam. Concil. trid. Part. I. de Tradition. p. 61. & ſeqq. Neque 5) ſermonem eſſe de *poteſtate Eccleſiae*, quaedam ad diſciplinam eccleſiaſticam & cultum externum ſpectantia or- *De Traditionibus.*

dinandi: Neque 6) de *ratione tradendorum dogmatum* sermonem esse, an scilicet fidei christianae capita, sint viva voce tradenda & praedicanda, sed de *dogmatibus traditis*, videlicet an Christus & Apostoli quaedam dogmata fidei & morum tradiderint, *quae non extent in scripturis.* Gerh. Exeg. §. 393. & Conf. cathol. p. 126. seu quae suscipienda & credenda sint *sine scriptura, extra & praeter scripturam*, ex traditionibus non scriptis, *quae nullo scripturae testimonio probari possint*, Chemnit. l. c. p. 61. ex *sola* traditione, p. 64, 65.. seu *seorsum* ex traditione. Fabricius Syst. theol. 34. Et tales, utpote hominum traditiones, dicimus, non esse cum verbo Dei scripto, *pari pietatis affectu ac reverentia suscipiendas & venerandas.* Haec omnia concedunt etiam Pontificii: neque enim loquuntur de humanis, sed *divinis & apostolicis traditionibus.* Concil. trid. Sess. 4. p. 7. Bellarm. l. 4. de l. D. c. 2. p. 66. Walenb. tom. 1. p. 779. tom. 2. p. 2. Kunckel 527. 529. autor Compendii Veron. p. 163. *Divinas* autem traditiones vocant illas doctrinas, quae a Christo Apostolis traditae, & nusquam in SS. literis expresse scriptae sunt: *Apostolicas*, quae non sine assistentia Spiritus S. ab Apostolis propositae sunt, nec tamen scriptae in eorum libris. Quanquam etiam *divinae* nonnunquam vocantur *apostolicae*, & vice versa. Has, & non alias, aeque ac verbum Dei scriptum, venerandas esse aiunt, quoniam verbum Dei (ut Bellarminus scribit l. c.) non est tale, nec habet ullam auctoritatem, quia scriptum est in membranis, *sed quia a Deo profectum est*, vel immediate, ut sunt sermones Domini, vel mediantibus Apostolis, ut est decretum Apostolorum Act. 15. Bossuet Expos. doctr. cath. c. 18. p. 96. autor Comp. Veron. p. 164. Atq; hae traditiones ipsis revera nihil aliud sunt, quam *ostensio seu explicatio sensus scri-*

scripturae. Walenb. tom. I. p. 782. Caſſander de Offic. pii viri 782. Voluſ. 51. Kunckel 520. 523. Caeterum ipſimet reiiciunt *traditiones a ſcriptura S. alienas, eive contrarias.* Caſſander l. c. Bellarm. l. c. p. 67. Walenb. tom. I. 780. 782. 785. Kunckel 523. adeoque etiam *doctrinas, quae ex ſola traditione*, excluſis plane ſcripturis, probari praetenduntur. Walenb. tom. I. 783. Et apoſtolicas traditiones dicunt *neceſſarias*, non quoad ſcripturam, ſed quoad homines, quoniam eos deducant in rectam cognitionem ſcripturae, & abducant a perverſis interpretationibus. Kunckel 544. Hoc igitur remanet in quaeſtione, An, & quaenam ſint traditiones divinae & apoſtolicae? Bellarminus l. 4. de V. D. c. 2. p. 66. ad divinas refert ea, quae ad materiam & formam ſacramentorum pertinent; ad apoſtolicas ieiunium quadrageſimae, & 4. temporum, & huc etiam ait pertinere multa alia. Talia ſunt, *paedobaptiſmus*, ſive parvulos eſſe baptizandos: illos, *qui ab haereticis baptizati ſunt*, non eſſe rebaptizandos: *numerus canon. librorum* ſcripturae: *abrogatio legis de ſuffocato & ſanguine*: ſanctificatio *diei dominicae*: (Walenb. tom. I. 575. & tom. 2. p. 2. autor Comp. Veron. 160.) *myſterium Trinitatis*: *ſymbolum Apoſtolorum*: *euchariſtiam* non niſi poſt baptiſmum dandam eſſe: *Filium* Patri eſſe ὁμοούσιον, ſive conſubſtantialem: *Spiritum S.* eſſe Deum: *Mariam* eſſe θεοτόκον: *duas in Chriſto naturas* eſſe impermixtas: *miſſa* & ratio ſacrificandi: *virginitas*, & ratio vitae monaſticae: *invocatio ſanctorum*: *purgatorium*. Verum alia horum non ſunt articuli fidei, aut praecepta morum; alia iam extant in ſcriptura, atque exinde a Pontificiorum quibusdam probantur; alia ad ritus pertinent, aut Eccleſiae antiquae teſtificationem; alia ex antiquitate eccleſiaſtica probari nequeunt. Gerh. Conf. cath. 132. & Zeidler in Luth. defenſo p. 419. 433.

Obii-

Obiiciunt autem pro traditionibus suis 1. dicta quaedam scripturae, ut 2. Thess. 2, 15. *Tenete traditiones, quas didicistis* sive per sermonem, *sive per epistolam nostram*. 1. Cor. 11, 2. *Laudo vos, quod*, sicut tradidi vobis, *praecepta mea tenetis*. v. 14. *Caetera cum venero*, dispo-nam. 1. Tim. 6, 20. & 2. Tim. 1, 34. Depositum *custodi*. 2. Tim. 2, 2. Quae a me audisti *per multos testes, haec commenda fidelibus hominibus*. ℞. Primus locus potest intelligi de traditionibus generaliter sumtis, seu pro doctrina, quae alteri, sive scripta, sive non scripta, communicatur. Vt adeo particula, *sive*, non diversas doctrinas, sed diversos illas communicandi modos importet. In secundo loquitur apostolus de particularibus ad ecclesiasticam politiam spectantibus legibus; prout etiam syrus interpres vertit: *Sicut tradidi vobis mandata, retinetis*. Per *caetera* intelliguntur illa, quae ad ordinem & decorum in eucharistiae celebratione observandum spectant. De talibus enim loqui apostolum, ex contextu patet. Gregorius M. l. 18. Moral. in Iobi c. 20. & Vincentius lerin. in Commonit. c. 26. *depositum* illud de doctrina scripta, seu de systemate orthodoxae fidei, quod profanis de inanibus rebus clamoribus opponitur, explicant. Ultimus non negat, scripta etiam esse, quae dixit apostolus Timotheo. Gerh. Conf. cath. 137.

2. Dicta Patrum, videlicet Basilii lib. de Spiritu S. c. 27. tom. 1. p. 205. *Dogmata quae in ecclesia praedicantur, quaedam habemus e doctrina scripto tradita*, quaedam rursus ex Apostolorum traditione. Augustini l. 2. de Bapt. c. 7. tom. 7. p. 84. b. *Multa non inveniuntur in literis Apostolorum, neque in Concilio posteriorum, & tamen, quia custodiuntur per universam Ecclesiam*, non nisi ab ipsis tradita *& commendata creduntur*. Et Epiphanii haer. 61. p. 511. *Non omnia a divina scriptura possunt accipi: aliqua in scripturis*, aliqua in traditione *S. Apostoli tradiderunt*. ℞. Basilius loquitur de quibusdam ritibus & observationibus, ut ex allatis ab eo exemplis fit manifestũ, nempe de signo crucis, de precibus versus orientem, de

trina

trina baptizatorum immersione &c. Ne dicam, Erasmum putasse, phrasin huius capitis alium parentem referre. Augustinus loquitur de consuetudine non rebaptizandi eos, qui baptizati sunt ab haeretico. Epiphanius de traditionibus ecclesiasticis. Observa etiam, quod in Concil. trid. duo Episcopi sententiae novae contradixerint. Vide Stillingfl. in Exam. conc. trid. & in Actis erud. A. 1689. p. 6.

3. Exemplum haereticorum, ut Arianorum, Macedonianorum, & Pelagianorum, qui nihil volebant admittere, quam scripturam. Autor Comp. Veron. p. 162. ℞ Immo haereticis in more positum est, ad traditiones confugere: *Cum enim ex scripturis arguuntur, in accusationem convertuntur ipsarum scripturarum, quasi non recte habeant, neque sint ex autoritate, & quia varie sint dictae, & quia non possit ex his inveniri veritas ab his, qui nesciant traditionem*, ut Irenaeus scribit l. 3. adverſ. haeres. c. 2. p. 230. Gerh. C. C. 138. Chemnit. E. C. trid. part. I. de Tradit. p. 77.

Ostensio seu explicatio scripturae] Traditiones sunt consequentiae ex S. literis formatae, quas admisit vetus Ecclesia antiquo & universali consensu. Grot. in Annot. in Cassandri Consult. p. 328.

* * *

De Concupiscentia post baptismum in renatis reliqua.

Docent nostrates, pravam concupiscentiam post baptismum in renatis reliquam, esse vere & proprie peccatum, etiam ante, quam ad eam accedat consensus. Vbi 1. non est quaestio, an concupiscentia illa prava sit peccatum, ad quam accedit consensus, delectatio, & prosecutio eius rei, ad quam pravi motus inclinant: neque 2. an pravi illi concupiscentiae motus actu secundo fuerint in homine ante lapsum. 3. neque an rebellio illa carnis contra spiritum, sit poena originalis peccati. 4. neque an illae peccati originalis reliquiae & poenae, videlicet ignorantia, difficultas, propensio ad malum, prava concupiscentia, possint dici

vulnera naturae & materiale peccati, languor naturae, & fomes peccati. 5. neque an primi illi concupiscentiae motus, quibus nondum accedit consensus, ipso actu reddant homines renatos, coram Deo irae & mortis aeternae reos: *6.* neque de concupiscentia, prout est naturalis appetitus, ab ipso creatore homini inditus, qui etiam fuit in primo homine ante lapsum: neque 7. de concupiscentia spirituali, qua spiritus concupiscit adversus carnem, Gal. 5, 17. neque 8. de eo, an peccatum orig. eodem plane modo & eadem omnino ratione sit & maneat post baptismum in renatis, sicut ante baptismum in non renatis est: (Chemnit. E. C. T. P. I. 94.) sed de *concupiscentia carnis* seu carnali, quae adversus spiritum & legem Dei concupiscit, an illa, quae in renatis post baptismum reliqua est, h. e. tum concupiscentia habitualiter inhaerens, tum primi eius motus, sint *ex se & sua natura,* remoto gratiae umbraculo, peccatum, seu malum culpae, pugnans cum lege divina, etiamsi ex accidenti, videlicet propter Christum, renatis non imputetur, eosque non constituat actu reos coram Deo, & morti aeternae obnoxios. Hoc nos affirmamus, ait Gerh. Conf. cath. p. 1400. Confer. Aug. conf. & Apol. Aug. art. 2. M. Chemn. E. C. T. part. I. de Reliq. pecc. orig. p. 94. & seqq. Concilii autem tridentini in Decreto de P. O. Sess. V. p. 14. haec sunt verba: *Manere in baptizatis concupiscentiam vel fomitem, haec sancta Synodus fatetur, & sentit: quae cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, sed* utiliter (legendum *viriliter*, secundum editionem Coriolani p. 264. Summae Concilior.) *per Christi Iesu gratiam repugnantibus non valet: quin immo qui legitime certaverit,* coro-

Viriliter] Sic etiam legitur in editione lipsiensi anni 1699. quae subiuncta est Sarpii Hist. conc. trid. p. 24.

coronabitur. Hanc concupiscentiam, quam aliquando apostolus peccatum *appellat, sancta Synodus declarat, Ecclesiam catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quod vere & proprie in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium senserit, anathema sit.* Ad defendendam hanc sententiam dicunt Pontificii 1. In baptismo tolli omne id, quod veram & propriam rationem peccati habet. 2. *Nihil esse damnabile* in iis, qui in Christo Iesu sunt, qui non secundum carnem ambulant, sed secundum spiritum, ut dicitur Rom. 8, 1. 3. Ipsum S. Augustinum constanter negare, concupiscentiam istam esse peccatum. 4. Protestantium quosdam fateri, *formale peccati originalis*, in baptismo tolli. Bellarm. l. 5. de Amiss. gratiae c. 5. Coton. Inst. cathol. 487. Walenb. tom. 2. 40. Kunckel 655. Sed R. ad 1. Tollitur reatus seu obligatio ad poenam, non vero proclivitas, seu inclinatio & propensio prava ad actus vitiosos: adeo ut peccatum originale post baptismum, tam quoad formale (constitutivum, quod est ἀνομία) quam materiale (seu positivum, cui illa ἀνομία seu privatio rectitudinis inhaeret) maneat. Concupiscentia, in qua peccatum originale maxime est conspicuum, labefactatur quidem per baptismum sive regenerationem, non tamen prorsus submovetur, sed regeneratis adhuc adhaeret, licet iam post regenerationem minus sit inordinata, quam ante erat. G. Calixt. disp. de Purgator. §. 32. disp. de P. O. §. 30. 33. & Considerat. Doctr. pontif. p. 9. Titius de Phras. & locut. ver. eccl. Doct. p. 79. Ad 2. Non dicitur a Paulo, nihil esse *damnabile*, seu dignum damnatione in renatis, praesertim, si Deus rigorose eos tractare vellet, sed nullam *condemnationem*, i. e. nihil, quod condemnationem actu inducat, οὐδὲν κατάκριμα, videlicet ob reconciliationem personae factam. G. Calixt.

disp. de P. O. §. 38. Ad 3. Augustinus negat, quando considerat concupiscentiam, prout baptizatos non amplius *reos facit* coram Deo; at eandem *peccatum* appellat alibi, & quidem ideo, *quod ei insit inobedientia contra dominatum mentis*. Gerh. L. de Bapt. §. 131. Bellarm. de Amiss. grat. c. 13. p. 134. tom. 4. Quod ipsum est illud, in quo nos constituimus essentiam veri & proprii peccati. Loca Augustini collegit Calixt. in disp. de P. O. §. 34. & seqq. atque ex eo Titius l. c. p. 80. & ante illos Chemnit. l. c. E. C. T. Ad 4. Qui sic locuti sunt, intellexerunt peccati originalis *formale consecutivum*, quod est reatus seu obligatio ad poenam subeundam. Magnum autem est discrimen inter eius formale constituens & consequens. Calixt. disp. de P. O. §. 32. Carpzov. Isag. in libb. symbol. 164. Interim quamvis haec controversia non videatur esse ex minimis, tamen, si paulo propius inspiciatur, deprehenditur, non tam in re ipsa, quam in verbis inter nos & adversarios esse differentiam: sicuti agnoscunt Cassander in Consult. ad 2. art. tit. de Concupisc. p. 910. (subiiciens etiam postea Formulam concordiae, Wormatiae A. 1541. Eccium & Mensingum inter ac Bucerum & Melanchthonem hac de re initae, in qua professi sunt, *manere post baptismum materiale peccati originis, sublato formali*. Materiale autem peccati illius appellant, quod fit a peccato, & quod ad peccatum inclinat, quod repugnat legi Dei, quemadmodum & Paulus appellet) Walenb. tom. 2. 40. & Guil. Forbes. in Consid. mod. & pacif. controvers. p. 70. In ipso etiam Conc. trid. Antonius Marinarus, carmelita, quanquam cum indignatione reliquorum doctorum, professus est, *quaestionem hanc ad fidem non pertinere*, in utramq; partem de ea probabiliter posse disputari, & controversiam prope verbalem esse: addidit & hoc, concupiscen-

piscentiam illam *ex se* esse peccatum, cum & in renatis, attestante Paulo, *pugnet cum lege Dei*, cui quicquid repugnat, peccatum sit; adeoque nefas esse, damnare propositionem, quae possit in bonum sensum accipi, ceu refert Paul. Sarpius in H. C. T. p. 294. Et Calixtus scribit in disp. de P. O. § 38. item in Considerat. doctr. pontif. p. 10. *parum, immo nihil facere ad praxin hominis christiani, contendere de vocabulo, num proprie accipiatur. Hoc certum est*, ait porro *qui concupiscentiae frenos laxaverint, & quod concupiscit caro, perfecerint, sive opera carnis peregerint, eos regni Dei non fore heredes: germanis vero Christi fidelibus, qui carnem crucifixerint cum affectibus & concupiscentiis, & abstinuerint a carnalibus desideriis, quae militant adversus animam, non magis obesse peccatum inhabitans, vel damnationem afferre*, quam si esset peccatum improprie dictum, *aut etiam plane peccatum non esset.* Confer cum hisce Coronum l. c. Carpzovius in Isag. in libr. symbol. 167. concedit, concupiscentiam *non esse tantum peccatum*, quanta alia, idque comparat *langori & infirmitati.* Exorbitarunt autem Patres tridentini, quando in quaestione annata & ad scholasticam subtilitatem vergente, phrasin nostratium, veterum Doctorum sententiae (de qua vide Gerh. Conf. cath. 140.) consentientem, anathematis fulmine percutere ausi sunt. Calixt. Considerat. doctr. pontif. p. 10. & Titius de Phras. vet. eccl. Doctor. p. 80.

Non tam in re ipsa, quam in verbis] Nam Pontificii negant, concupiscentiam vere & proprie esse peccatum, quia (1) reatus eius in baptizatis absolvitur. Catech. rom. 225. (2) quia non est culpa vel scelus, quo gratia Dei (actualiter) spoliamur. Coton. 488. (3) quia Augustinus sic sentit, iuxta marginale Concilii trid. p. 14. ubi quidem is *peccatum* vocat, cuius reatus non est dimis-

ſus, & quod a ſciente ac volente fit. Nos peccatum eſſe affirmamus, quoniam aberrat a lege, ac dicimus, Deum id odiſſe. Vtrumque autem etiam fatentur Pontificii: prius duumviri illi in formula concordiae wormatienſis apud Caſſandrum, poſterius Bellarminus apud Gerh. in C. C. 1120. 1403. & Romanenſes in genere apud Guil. Forbeſium 70. Vnde iam patet, quid ſentiendum ſit de eo, quod Chemnitius in Ex. Conc. trid. ait. in hac controverſia non eſſe λογομαχίαν, ſed de rebus ipſis, & quidem graviſſimis controverſiam eſſe: nam ſentire Pontificios, Deum concupiſcentiam, quae in renatis reliqua eſt, *non odiſſe.* p. 95. p. art. 1.

Hac occaſione etiam aliquid dicendum de phraſi in cit. loco Concilii trid. poſita: *In renatis nihil odit Deus.* Non enim de odio vitii, ſed de *odio perſonae* eam intelligendam eſſe, indicat Bellarminus l. 5. de Amiſſ. gratiae c. 13. ſub finem ſcribens: *Loquitur Concilium de odio, quod redundat in perſonam. Sic enim nihil odit Deus, niſi peccatum. Vnde dicitur Sap.* 14. 9. Odio eſt impius Deo, & impietas eius. *Odium autem concupiſcentiae, quod ponit Auguſtinus in Deo, non redundat in perſonam. Non enim Deus propter concupiſcentiam, quae eſt in renatis, vult renatos damnare, ſed potius vult concupiſcentiam paulatim conſumere, ut renati perfecte ſanentur ac liberentur.* Hactenus Bellarminus. Et hoc odium perſonae ſignificat etiam ratio, quae in citato Concilii trid. loco hunc in modum ſubiungitur: *Quia nihil eſt damnationis iis, qui vere conſepulti ſunt cum Chriſto per baptiſma in mortem &c.* Vnde Guil. Forbeſius p. 70. diffiteri noluit, *phraſin iſtam in meliorem ſenſum accipi poſſe.* Quam moderationem qui ſequuntur, facile agnoſcunt, controverſiae huic non eſſe tantopere inhaerendum.

* * *

De Baptiſmi effectu, quoad peccatū.

DE baptiſmi effectu haec eſt noſtratium ſententia, baptiſmum non ita tollere peccatum, ut in baptizatis nul-

lae

lae eius maneant reliquiae. Ubi observandum 1. baptismum quidem esse *lavacrum regenerationis & renovationis*, Tit. 3, 5. & ad regenerationem pertinere remissionem peccatorum, ad renovationem, mortificationem carnis & vivificationem spiritus; & regeneratioem quidem peccatorumque remissionem, plenam ac perfectam fieri in baptismo, *sed renovationem in baptismo incipere* duntaxat, durare per totam vitam in illis, qui spiritu actiones caris mortificant, & tandem consummatam fore in vita aeterna. 2. *Peccatum dupliciter considerari posse*, videlicet *absolute*, in praedicamento qualitatis, ut est vitiositas, inordinatio, & ἀνομιά, *deinde relate*, ut est damnabile quid, reos nos faciens coram Deo. *Posteriore respectu plane tollitur*, aufertur ac deletur peccatum, h. e. reatus peccati in credentibus; priore autem non plane tollitur: manet enim vitiositas illa naturae, licet refracta, imminuta ac castigata, cui renati quotidie per Spiritum S. debent ac possunt resistere, eamque mortificare, & in renovatione crescere. 3. Nos non statuere, peccata tantum radi in baptismo, *sed vere tolli*, videlicet per remissionem: cum enim peccatum remittitur, perinde est, ac si nunquam sit commissum. 4. Peccatum consideratur vel ratione materialis, quatenus est corruptio naturae, pugnans cum lege Dei, vel ratione formalis, seu reatus, quatenus nos actu reos facit irae Dei & aeternae damnationis. *Ratione formalis ac reatus, peccatum penitus deletur & aufertur*, ita ut ut non amplius ad damnationem imputetur, Rom. 8, 1. Ratione materialis autem, seu quatenus est vitiositas & corruptio naturae, pugnans cum lege Dei, non tantum scriptura, Rom. 7, 14. sed & experientia testatur, quod in carne post baptismum adhuc maneat, debilitatum tamen & infractum, adeo ut possit homo rena-

tus

tus per Spiritum S. illi resistere, ac dominium auferre. Gerh. Conf. cath. 1118. L. de Bapt. §. 128. Chemnit. E. C. T. part. 1. p. 94. Quamvis autem Concilium trid. sententiae huic videatur contradicere, atque sic pronunciet Seff. V. Decreto de Pecc. orig. p. 14. *Si quis per I. Christi domini nostri gratiam asserit non tolli totum id, quod veram & propriam peccati rationem habet: sed illud dicit* tantum radi, aut non imputari, *anathema sit*; nihilominus conciliationi locum relictum esse, non adeo est dubitandum. Sicut enim nobis nihil commune est cum iis, qui *nudam peccati rationem* statuunt, quia *vere tolli* peccatum vi baptismi, *ac si nunquam commissum fuisset*, statuimus; ita Catechismus romanus Andr. Fabricii leodiensis p. 228. *pravas animi affectiones* baptizatis tribuit, quae quid aliud sunt, quam reliquiae peccati originalis? Hinc Guil Forbesius in Consid. controv. p. 69. scribit: *Licet habitualis concupiscentiae seu fomitis reatus, baptismi vi, plane solutus & sublatus sit, atque ipsa etiam viribus fracta & debilitata*, manent tamen adhuc, etiam in iustificatis, eius quaedam relinquiae, *quae in illis interdum sese exerunt, & per se etiam moraliter malae, vitiosae, Deoque odiosae sunt, quemadmodum confitentur ipsi Romanenses; non consentientibus tamen, sed viriliter per Christi grati resistentibus* nocere non valent, nec coram gratioso Dei tribunali in peccatum imputantur, *vel pro peccato amplius habentur*. Et pag. 70. *Vide Cassandri Consult. art. 2. tit. de Concupisc. manente in renatis.* Manent etiam iustificati adhuc obnoxii peccatis levioribus & brevioribus, *sine quibus haec vita non ducitur; quorum tamen venia iustis, humiliter ea agnoscentibus & remitti sibi postulantibus, facile ex immensa Dei misericordia in Christo parata est, nec per ea gratia iustificans perditur seu amittitur*: omnis autem peccati mortalis, sive gravioris

vioris & exitiosi, *ut loquuntur Patres*, non tantum reatus, sed & macula per iustificationem tollitur.

* * *

ETiam beatam Mariam virginem cum peccato originali conceptam esse, credit Ecclesia nostra. Notandum autem 1. conceptionem hanc, de qua loquimur, non esse confundendam cum eo conceptionis actu, quo beata virgo Salvatorem mundi in utero virginali concepit: ille enim omnino fuit sine peccato. 2. Per sententiam nostram nihil detrahi sanctitati & dignitati, quam sacrae literae tribuunt matri Domini. 3. Si *Maria*, ut loquitur Bernh. in ep. 174. ad Lugdunenses, *in utero prius sanctificata, quam nata fuit*, non tamen sequitur, eam plane caruisse contagio peccati originalis. 4. Concedimus, Mariam *nullis illicitarum ustionum flammis* unquam obnoxiam fuisse, sed potius anima & corpore virginitatis decus perpetuum obtinuisse, & sic perfecto modo virginem fuisse. 5. Item, eam *maiore gradu dona sanctificationis accepisse* prae aliis sanctis: qui tamen maior gradus, propter conditionem huius vitae, defectum moralem non excludit. Gerh. C. C. 1393. L. de Pecc. §. 110. & Chemnit. P. 1. E. C. T. 105. Quod contrariam sententiam concernit, notum quidem est, ei Franciscanos addictos esse inde ab anno 70. seculi XIV^ti^, & quosdam alios ex Romano Catholicis, iisque praelusisse Canonicos lugdunenses, festum immaculatae conceptionis B. virginis introducentes: esto etiam, 1. huic sententiae iuramento adstringi professores Acad. vindobonensis, nec non doctores & baccalaureos Facultatis theol. parisiensis, ceu refert F. V. Calixtus b. m. in Hist. de Immacul. B. V. concept. p. 231. 233. & autor Remiss. in Conc. trid. p. 20. Gerh. C. C. 1410. ac certum est ex Richerii Hist. conc. l. 3. c. 5. p. 503, 504. 509. 2. plurimis opinionem istam

De Immaculata conceptione B. Mariae virg.

videri ***receptiorem***, ***probabiliorem***, ***& pietati ac devotioni fidelium congruentiorem***, ***& veritatis scopum attingere***, ut in eadem modo citata Remiss. legitur; immo etiam aliquibus videri hoc dogma fide catholica tenendum, ut Facultati theol. parisiensi apud Richerium p. 566. non tamen illud ita est de fide, ut ad salutem creditu sit necessarium, sicut testantur Theologi colonienses & herbipolenses apud Calixtum p. 148. & 155. nec non autor Comp. Veron. p. 11. 174. 192. & Walenb. tom. 2. 654. Immo Richerius, ex sententia Facultatis parisiensis, asserit, ***quaedam a nonnullis fide catholica teneri posse*** propter maiora motiva & lumina, quae de illis adepti sunt, ***ad quae alii nequaquam adstringuntur***, vel quia in illis investigandis non tantum operae posuerunt, vel quia illa scire aut indagare non tenentur: ***neque etiam illos, qui docent, B. virginem conceptā esse in peccato originali, haereticis aut schismaticis annumerandos esse. p. 566.*** Neque pro alterutra sententia quidquam definivit vel Concilium tridentinum Sess. V. decreto de P. O. p. 14. (quippe quod duntaxat ***possibilitatem huius privilegii***, docente Scip. Henrici in Hist. Conc. trid. 194. insinuavit) vel Sixtus IV. pontifex, aut post eum Alexander VII. sed libertatem opinandi permiserunt. Videantur Constituiones Sixtinae p. 15. & seqq. Concilii trid. & Alexandrina apud Calixtum p. 134. in qua *§. Vetamus*, Pontifex ***prohibet condemnationem eorum***, qui statuunt, Mariae conceptionem non fuisse immaculatam, negatque expresse, a romana Ecclesia id ***esse decisum, vel decidere se velle aut intendere.*** Si autem hoc dogma de immaculata B. V. conceptione, non est de fide, & ipsis Pontificiis licet contrariam sententiam tenere, ut faciunt Dominicani, & cum iis multi alii, quid opus est, ei refellendo multum operae impendere? Neque etiam difficile est, ad obiectiones affirmantium

tium

tium respondere, dummodo consulatur Gerhardus loc. cit. Denique notandum est, quod Erasmus habet in Annot. ad 1. Cor. 7, 39. scribens: *Idem* (quoad seram Ecclesiae definitionem) *videtur accidisse in conceptione B. virginis; si tamen hoc Ecclesia sic definiit, ut haereticus sit habendus, qui dubitet: nam mihi nondum satis liquet, etiamsi sunt, qui praedicent, hoc esse definitum in Concilio basileensi* &c. p. 97.

* * *

Sine gratia & fide, nulla vere bona opera fieri possunt, ac proinde omnis vita infidelium est peccatum. Haec thesis est Gerhardi in Conf. cathol. p. 1430. Ad quam rectius intelligendam, notetur, 1. homines non renatos externam disciplinam & civilem iustitiam aliquo modo praestare, & externam locomotivam regere posse: neque externa illa opera, v. g. cooperire nudum, subvenire periclitanti &c. *ex se & genere actus* esse peccata, sed *per accidens* fieri, ut peccata sint & Deo non placeant, videlicet quoniam persona nondum est Deo reconciliata per fidem in Christum. 2. Quamvis igitur quaedam hominum non-renatorum actiones, per se & quoad substantiam actus, non sint vitiosae, per accidens tamen reddi vitiosas eo, quod destituuntur requisitis spiritualium, seu eorum operum, quae ex fide proficiscuntur, & coram Deo, tanquam autore gratiae, valent; quae demum sunt vere bona opera: ac proinde opera illa non-renatorum *dici peccata*, *non quoad substantiam actus*, respectu causae efficientis, formalis & finalis. Chemn. E. C. T. part. 1. p. 111. 3. Quasdam actiones infidelium, *civiliter* bonas esse, atque, ut societas humana conservetur, temporali benedictione interdum a Deo remunerari, sed ex eo non sequi, quod sint vere & spiritualiter bonae. 4. Virtutes ethnicorum legaliter consideratas,

De Operibus non renator.

ratione quidditatis suae internae, qua cum lege conveniunt, formaliter & per se non esse peccata, easdem vero *evangelice consideratas*, recte dici peccata, tum *ratione fidei* deficientis, Hebr. 11, 6. tum *ratione finis*, quia non ad Dei, sed propriam gloriam diriguntur; tum *ratione imperfectionis*, quae ipsis semper adhaeret, tum *ratione subiecti*, quod est persona non-renata & infidelis, quae cum Deo displiceat, ipsum etiam opus eidem displicere. 5. *Bona* dici non-renatorum opera quaedam, non ad Deum, qualia sunt, quae congruunt regulae legis divinae, sed ad homines, eo quod accommodata sunt iustitiae. 6. Si *substantia actus* non solum notat convenientiam in quantitate quadam materiae, e. g. quando fidelis & infidelis erogant eiusdem pretii eleemosynam, sed etiam convenientiam formae inesse debitae, seu, ut Suarez loquitur, *propriam & essentialem rationem specificam actus*, vel, ex sententia Bellarmini, *bonum morale cum omnibus circumstantiis, quae necessariae sunt*, tunc negandū, praecepta Dei quoad substantiam actus posse impleri ab homine nondum renato. Conf. Walenb. tom. 2. 43. Gerh. C. C. 1434. 7. Differre inter se *opera infidelium*, & *opera ex speciali Dei gratia facta, ante consummatam iustificationem*, qualia sunt, quod Spiritus S. movet hominem ad peccati odium, misericordiae divinae implorationem, ac fiduciam &c. Haec enim, quatenus fluunt ex hoc principio, nequaquam esse peccata, sed tantum ideo, quod carent congruentia illa cum lege Dei, quae inesse debebat. Gerh. Conf. cathol. l. c. L. de Lib. arb. §. 103. & Chemnit. Ex. Conc. tr. P. 1. 108. Iam vero Concil. trid. Sess. 6. can. 7. anathematizat eum, qui dixerit, *opera omnia, quae ante iustificationem fiunt, quacunque ratione facta sint, vere esse peccata.* Quorum verborum sensum, quem postea perstrinxit Chemnitius in Ex. Conc. triden-

tridentini, hunc dat Andradius: *Licet infidelium virtutes non sint perfectae, & aeternis praemiis dignae, tamen posse aliquando humanas vires vel peculiaribus divini auxilii subsidiis* (per quae intelligit *heroicos in non-renatis motus, quibus ad res arduas impelluntur*) *vel generalibus tantum auxiliis fultas & sustentatas, omnem peccati turpitudinem vitare.* Verum Gerh. C. C. 1433. negat, Andradii explicationem posse pro ipsa Concilii decisione accipi, & rationem hanc reddit, quoniam ipse scribat sub fin. praefat. in Defens. Concilii trid. ***non fuisse sibi iniunctum aliquod scribendi munus a Synodo***, sed hominum gravissimorum hortatu suos de orthodoxis explicationibus libros, dum concilium ageretur, se composuisse. Licebit igitur in mentem Concilii alia via inquirere. Et ecce Gerhardus pag. iam citata, partem eius aliquam commonstrat, scribens: *In his verbis Concilium non videtur loqui de operibus infidelium ante omnem fidem, sed de operibus prima Dei gratia praeventorum, nondum tamen iustificatorum. Ex Pontificiorum enim opinione, fides, quae secundum ipsos in notitia & assensu articulorum fidei consistit, tempore prior est iustificatione. — Videtur ergo consensisse Concilium cum Catharini opinione*: (quae, ut refert Petrus Suavis, seu Paulus Sarpius, in Hist. Conc. trid. p. 326. haec erat, ***Hominem absque singulari Dei ope nullam actionem posse peragere, quae vere bona dici possit***, ne moraliter quidem, sed peccatum solummodo, ideo omnia opera infidelium, qui a Deo non excitantur ad credendum, & omnes actiones fidelium, sed peccatorum, antequam a Deo excitentur ad conversionem, utcunque honestae, immo heroicae videantur, *vera esse peccata.*) *Quem Concilii sensum expressit Bellarm. l. 5. de Grat. & lib. arbitr.* c. 4. p. 244. *Non definit Concilium, opera infidelium non esse peccata, sed* non esse peccata opera omnia, quae iustificationem praecedunt.

cedunt. *Praecedunt enim iustificationem etiam illa opera, quae fiunt a fidelibus, posteaquam in peccatum ceciderunt. — Neque definit idem Concilium, opera fidelium peccatorum absolute non esse peccata, sed addit:* quocunque modo facta *: ut intelligamus, definiri solum a Concilio*, quaedam opera fidelium peccatorum non esse peccata, *illa videlicet, quae fiunt cum auxilio speciali Dei. De his enim solis proprie Concilium definire voluit, quoniam propositum illi erat, agere de iustificatione, & iis operibus, quae ad iustificationem disponunt, ut in eod. Concilio habetur, quae initium sumunt a gratia Dei excitante.* Ad eund. modum Concilium explicant Walenb. in tom. 2. Opp. p. 43. Vlterius in via sensus eruendi nos deducit Mich. Medina, quando in Apologia pro Ioh. Fero contra Sotum (referente Gerhardo in C. C. 1432.) inquit, autorem illum, cum diceret, ***opera, quae sine gratia fiunt, esse mala & peccata***, respexisse ad phrasin & loquendi morem vetustis Patribus usitatum, qui universa opera, quae seclusa divinae gratiae ope fiunt, non bona, sed frequentissime ***mala***, & ***vitia***, & ***peccata***, & ***tenebras*** appellabant, non quod ea ***vere ac simpliciter*** mala ac peccata esse crederent, sed quia scirent, ipsa nec ad acquirendam christianam iustitiam prodesse, nec ad comparandum aeternae felicitatis bonum proficere. Porro etiam notetur ex Walenburch. tom. 2. p. 43. nec Concilium trid. definivisse, opera iustificationem praecedentia, licet bona, esse ***meritoria iustificationis, etiam de congruo.*** Confer Chemn. E. C. T. part. 1. 113. Iam si Concilium trid. in verbis allegatis non loquitur nisi ***de operibus gratia Dei praeveniente excitatorum***, quanquam nec dum iustificatorum, sique ***non vere esse peccatum***, idem est, ac non simpliciter esse peccatum, seu esse bonum ex se & genere actus, vel, ut alii cum Fabricio in

Syst.

Syst. theol. p. 274. loquuntur, termino hoc latius sumto, *ex substantia actus seu operis*, quid, quaeso, remanet tandem in re ipsa controversi? Vnde parens meus, explicata secundum doctrinam superius traditam materia de libero arbitrio, in faciendis aliquibus operibus quoad substantiam actus bonis, adeoque vanis, & ad salutem aeternam inutilibus, non tamen ex se malis, ex vero scribere potuit: *Sententiae nostrae ita explicatae, nec adversarii reclamant moderni, velut apud Bellarminum & Becanum videre est.* Syst. theol. p. 278. Et concludimus verbis Chemnitii: *Quomodocunque illa actio Dei in non-renatis appelletur*, non pugno; modo id, quod certum & necessarium est, retineatur, *ut scilicet distinguatur a gratia iustificationis, regenerationis, renovationis, sanctificationis in credentibus per Spiritum S.* E. C. T. part. I. III. Adde Titium in Thes. theol. disp. V. §. ult. & Volus. p. 16. Huc etiam pertinere videtur, quod C. Bergius scribit in Themat. theol. ad quaestionem, An sanctificatio praecedat iustificationem seu absolutionem in iudicio divino? respondens: D. *Quod ad mortificationem seu timorem, praecedit: quod ad pacem ac gaudium & sanctitatem adeo proprie dictam, non item.* p. 139.

* * *

DE libero arbitrio, nostratium haec est doctrina: Hominem post lapsum, in spiritualibus non habere liberum arbitrium. Vbi notandum, non esse sermonem 1. de homine in statu vel innocentiae, vel reparationis, vel gloriae, sed de homine in statu lapsus considerato; neque 2. de ipsa *voluntatis essentia*, an illa post lapsum superstes manserit: neque 3. de *libertate a coactione*; neque 4. de *obiecto civiliter bono*; neque 5. de *motibus mentis & voluntatis*, qui in conversione fiunt; neque 6. de *naturalibus* **De Libero arbitrio.**

bus animae actionibus, quales sunt, audire, legere, meditari; neque 7. de *mediis ad spirituale obiectum* deducentibus, ut sunt, verbum Dei audire & legere: sed de libertate ratione obiecti, circa quod voluntas occupata est, hoc est, de libertate rectitudinis, an facultate illa, ad bonum & malum aequaliter se habente, homo post lapsum adhuc sit instructus; de obiecto spiritualiter bono, de operibus, quae iusta sunt iustitia spirituali, quaeque ad superius hemisphaerium pertinent; de principio motuum mentis & voluntatis in conversione, an illud sit divina gratia, aut humana voluntas; de motibus proprie dictis spiritualibus, quales sunt, Deum recte agnoscere, verbum Dei cum fructu audire & legere; denique de spirituali mediorum istorum usu, de spirituali legis & evangelii intellectu, de interiori conversione, ubi dicimus, nullam ne modiculam quidem arbitrii libertatem aut virium ἱκανότητα ad tales spirituales motus in homine post lapsum superstitem esse, adeoque mentem & voluntatem *ex se & suis viribus*, seu *ex puris naturalibus*, actiones spirituales nec inchoare, nec praestare posse, sed ad eas necessariam esse gratiam divinam, & sensum theseos hunc esse: Hominem post lapsum in actionibus ad conversionem, fidem & obedientiam seu pietatem pertinentibus, ex se non habere vires ad illas praestandas. Gerh. L. de Lib. arb. §. 32. Id. in Conf. cath. 14. 34. & Chemnit. E. C. T. Part. 1. 116. Huic doctrinae dicitur contrarius esse canon 5. Sess. VI. Conc. trid. qui hisce conceptus est verbis: *Si quis liberum hominis arbitrium, post Adae peccatum, amissum & extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, immo titulum sine re, figmentum denique a satana invectum in Ecclesiam, anathema* sit. Verum in hoc canone ipsis non est sermo de viribus volun-

voluntatis humanae naturalibus ad faciendas actiones spirituales, quippe quas negant canone 2. 3. & 4. sed de voluntate, eiusque potentia ad exercendas actiones civiles & oeconomicas. Supposuerunt enim, Lutherum hoc modo acceptum liberum arbitrium negare. Hinc Doctores trid. dicunt apud Sarpium H. C. T. p. 347. Lutheri discipulos, doctoris sui opinionem quadantenus *moderasse*, fatendo, *relictam in homine libertatem ad actiones externas obeundas*, tam politicas, quam oeconomicas, & omnino ad omnem iustitiam civilem; quas qui non intelligit a consilio & electione proficisci, fatuum esse & insulsum. Et clarius hoc patescit ex articulis, qui ex Lutheri doctrina (recte ne, an iniuria, iam non disputabo) a pontificiis doctoribus, teste l. c. Sarpio, fuere formati, ut iis decretum Synodi posset opponi. Sic autem inter illos habet IIdus: *Nemini esse relictam facultatem cogitandi bonum aut malum, sed omnia ex absoluta necessitate provenire: neque esse in nobis liberum arbitrium, sed illud asserere, merum esse figmentum* Et IIItius: *Liberum arbitrium post Adami praevaricationem plane esse amissum: atque hominem, dum, quod suae spontis est, agit, peccare mortaliter: ideo chimaeram esse, nudum nomen, & titulum sine subiecto.* Vnde Cotonus in Instit. cathol. p. 485. ostendere satagit, Lutherum in libro, quem vocat *Visitationem Saxonicam*, meliorem mentem induisse, & arbitrii libertatem in faciendis vel omittendis *operibus externis*, fassum esse. Caeterum, quod *in re ipsa* circa doctrinam de viribus voluntatis humanae in edendis actionibus spiritualibus, Ecclesia rom. a nobis non dissentiat, haud difficile est probatu, si quis Chemnitii Examen & Gerh. Conf. cathol. in locis supra allegatis, diligenter legerit, & recentiores doctores ecclesiae rom. pariter inspexerit. Nempe nec Andradi-

dradius, nec Scholastici quidam, contra quos disputat Chemnitius, possunt stare loco Ecclesiae romanae, ita ut illorum, si contrarium tenent, sententia, huic imputanda sit. Andradius scripsit quidem tempore Concilii tridentini, non autem Concilii illius iussu, auspiciis & nomine, sicut p. 277. ostendimus ex Gerhardo. Contra scholasticos autem loquuntur Cassander in Consult. ad art. 18. p. 960. Wicelius in Comp. de sem. antiq. & Bell. l. 5. de Grat. & lib. arb. c. 13. §. *Tertius*, apud Gerh. C.C. 1440. 1442. 1443. Articulum A. C^nis^ 18^vum^, qui agit de libero arbitrio, Caesar & Principes romano-catholici acceptarunt & probarunt, eorumque verba adducit Gerh. C. C. p. 1442. Bellarm. l. 5. de Grat. & lib. arb. c. 10. Resp. ad 3. *Libenter fatemur*, ait, *omnes homines esse in statu peccati, & inutiles ad opera facienda, quae Deo placeant, nisi prius per Dei gratiam reconcilientur.* Lib. 6. c. 11. §. *Tomo tertio*, idem scribit: *Quis nostrum exponit*, consentire *esse propriae voluntatis, id est, ex propriis viribus? Non hoc dicimus, sed* consentire *ad voluntatem pertinere docemus*, posteaquam praeventa est a Domino, *& sic accepit consentiendi potestatem.* Et. c. 13. §. 3. negat, *Catholicos in ea esse sententia, ut liberum arbitrium per gratiam excitatum* exerat vires, quas habebat, etiam antequam excitaretur, & per illas suas vires *vocationi divinae consentiat, ita ut gratia praeveniens, non tribuat vires libero arbitrio, sed quasi sopitas excitet. Non hoc sentiunt* (subiungit porro) *Catholici, sed agnoscunt quidem liberum arbitrium in homine*, etiam antequam eum gratia divina praeveniat, *quia liberum arbitrium est res naturalis*, quae per peccatum non amittitur: sed tamen non dicunt nec sentiunt, *liberum arbitrium habere* ex se *potentiam ullam, saltem proximam, ad actus pietatis*, sed eam accipere a Deo *per grati-*

gratiam praevenientem. Adde Becani M.C.l.1. c. 15.n.5.&Volus.p.21. Iam vero, ut illud, quod Bellarm. dicit de *potentia proxima*, rectius intelligi queat, iuvat audire Walenburchios, quorum haec sunt verba in Comp. controv. partic.c.59. T.2. p. 44. Posse habere fidem, *sicut posse habere charitatẽ, naturae est hominum*; habere *autem fidem, quemadmodum habere charitatem, gratiae est fidelium. Bona opera sunt in hominis potestate, & idem homo non habet potestatem ad bona opera*: *sed* alia est potestas proxima, alia remota. *Bona opera sunt in potestate hominis remota, cum qua sola nihil potest facere, ita ut operetur bonum ex sola ista potestate remota: nam* ut operetur bonum, requiritur potentia proxima, quae potestas nulla est, nisi a Deo detur. *Vnde homo nullam habet potestatem proximam ad bonum supernaturale, quam a Deo non accipiat per gratiam; nullam etiam remotam, quam a Deo non accepit per naturam. Hanc remotam potentiam si homo non haberet, deberet potentia illa animi, quae dicitur voluntas, non tantum praeparari a Domino, sed nova creari; & sic duae essent in homine voluntates.* Tom. II. p. 44. Secundum quam declarationem etiam iudicandum fuerit de Andradii interpretatione, quam similitudine hominis ligati, seu ferreis soleis devincti, item aegroti, & aviculae inclusae, illustrare studet, p. 119. apud Chemnitium: cum quo conferendus est Gerhardus p. 1435. Conf. cath. Andradii mentem itidem proponens. Id quod Chemnitius noster in explicatione sententiae Augustini sic effert: *Quae Deus in verbo suo nobis praescribit, ut agnitionem sui, contritionem, fidem, spem, charitatem, patientiam, invocationem, obedientiam &c. talia sunt, quae sine motu & actione mentis & voluntatis nec inchoari, nec effici possunt.* p. 122. Sed quid opus est pluribus verbis, cum in re ipsa, ut monstravimus, nulla remaneat controversia, sed ea, quae ta-

lis videbatur esse, in fumum abeat? Vt non immerito dicere potuerint illustrissimi fratres Walenburchii: *In explicata hac materia, nulla superest, quod sciamus, cum Protestantibus difficultas, uti hoc tempore docent.* tom. 2. p. 44. Et paulo post: *In hac causa* (scilicet hominem libere consentire gratiae Dei, & quae * alia huc spectant) *Protestantes hoc tempore non dissentiunt a doctoribus catholicis.* p. 45. Vega in Concil. trid. apud Sarpium p. 348. *Inter Theologorum & Protestantium doctrinam vix quidquam est discriminis.* Joh. a Daventria in Gerhardi C. C. 1442. *Dispeream, si plus a nostris libero arbitrio attributum sit, quam isti* (Confessores lutherani in art. XIIX. A. C.) *tribuunt.* Georg. Wicelius in Comp. de Semit. antiq. (apud Gerh. 1442.) *Si idem sentit liber propositus* (videlicet A. Conf.nis) *ut videtur, cum orthodoxis sentit, & nos libro adstipulamur, dextramque iungimus.* Cotonus in Inst. cathol. *Nihil est facilius, quam dissidentes in hac controversia & discrepantes conciliare opiniones.* p. 485. Cui plane consentit Bossuetus in Histor. de Variat. Eccl. protest. P. 1. l. 8. putans, *explicatione mutua,* quod attinet ad controversias de libero arbitrio & conversione hominis, *fieri posse, ut ne umbra quidem difficultatis superfutura sit.* Et iudiciosissimus G. Calixtus in Considerat. doctr. pontif. p. 11. de Iustificatione, ubi & praesens doctrina de Lib. arb. proponitur: *Si utamur vocabulis vulgari usu receptis, vix ullus poterit deprehendi dissensus.* Vbi etiam sic explicat doctrinam nostram de liberi arbitrii post Adami peccatum amissione & extinctione, nihil ut in ea desiderent eruditiores Pontificii. p. 13. Nec omittenda nobis est ipsius Chemnitii confessio; nam de tertio canone Sessionis VI. ait: *Verba sane sunt speciosa, & satis magnifica, quae videntur totum tribuere gratiae Dei. Quod si ita esset,* iam

G. Calixtus] Sic & Melanchth. T. 4. 827.

iam nulla inter nos de hoc loco esset controversia. p 118. Et inferius in examine sententiae Augustini: *Si intelligeret Andradius, actiones voluntatis renatae, quas habet & accepit, non naturaliter in prima nativitate, sed in regeneratione, ex dono & operatione Spiritus sancti, sicut Augustinus disputat, nulla esset inter nos controversia.* An autem illud ita sit, & hoc statuatur ab Andradio, (quamvis si hic vel maxime dissentiret, totius Ecclesiae dogmati praeiudicare non posset) ex praedictis, & ulteriore auctorum lectione, candidis & prudentia ac doctrina munitis pectoribus iudicandum relinquitur. Quibus addimus, quod profitetur doctissimus Bossuetus in Doctr. cathol. expositione: *Equidem scripta in evangelio praecepta, adhortationes, promissa, minae, exprobrationes, satis ostendunt, oportere nos* voluntatis propriae motu, Dei adiuvante gratia, *salutem operari: at illud etiam est axioma longe certissimum,* nihil posse liberum arbitrium, *quod quidem ad aeternam ducat felicitatem, nisi quantum a Spirito sancto movetur & erigitur.* p. 28. Eademque doctrina etiam traditur a Iac. Le Févre in Additionibus aux Motifs invincibl. §. 2. p. 280. & Cassandro in Consultat. p. 960.

Et quae alia huc spectant] Nempe 1. Hominem in sui conversione non esse instar trunci aut lapidis. 2. Hominem in sui conversione, volenter & spontanee se habere. 3. Gratiam, ratione causalitatis praevenire cooperationem nostrae voluntatis, atque adeo liberum arbitrium certo modo esse potentiam passivam. 4. Hominem in sui conversione cooperari gratiae Dei. 5. Eundem posse non cooperari. Walenb. tom. 2. 44.

* * *

IAm ad doctrinam iustificationis accedimus, & acturi de fide iustificante, statim in limine notamus, tres fidei, qua creditur, species numerari: eaeque sunt, Historica, Miraculorum, & Iustificans. *Historica* dicitur illa, quae *De Fidei speciebus.*

rem quamlibet, prout in historia sacra describitur, veram esse credit, idque non nisi propter auctoritatem Dei revelantis. Atque hanc fidem historicam Romanenses, Patres ecclesiasticos secuti, comprehendunt sub appellatione *fidei catholicae:* nam haec tria, videl. *dogmata, historiam, & promissiones, fides catholica complectitur*, uti scribunt Walenb. tom. 2. 46. Neque hic opus est, iis movere controversiam, judice Guil. Forbesio in Consid. controvers. p. 1. cum de re ipsa non sit dissensus. Caeterum, an *fides miraculorum*, de qua 1. Cor. 12, 9. & c. 13, 2. sermo est, differat a fide catholica, non tantum contra Pontificios, sed etiam inter ipsos Pontificios disputari solet, testibus Gul. Forbes. l.c.p.2. & Gerh. C. C. 1462. Sed haec etiam disputatio non est adeo magni momenti, si iterum audire lubet magni iudicium Forbesii p. 2. De *iustificante* autem *fide*, quaeritur 1. quodnam eius sit obiectum. 2. subiectum. 3. sitne notitia, an assensus. 4. an fides sola iustificet.

* * *

De fidei iustif. obiecto. DE I^mo sciendum, convenire inter Protestantes & Pontificios, 1. obiectum fidei, quae iustificat, *tam late patere, quam verbum Dei.* 2. obiectum illud *comprehendere promissionem misericordiae*, & quidem *specialis*, quae nempe per ipsam fidem specialis evadit, hoc est, quam hic & ille fidelis per fidem sibi applicat. Itaque si fides iustificans consideratur, quatenus per eam pervenimus ad iustitiam inhaerentem, recte dici, eam habere pro obiecto, *quicquid Deus revelavit*; inter quae sane eminet promissio misericordiae: sin autem consideratur, quatenus per eam pervenimus ad iustitiam nobis donatam, seu imputatam, recte dici, eius obiectum esse *solam promissionem misericordiae*, quum vi istius promissionis ea iustitia nobis done-

donetur. Concil. trid. Seff. 6. c. 4. & 6. Wicel. V. R. 32. 34. Walenb. tom. 2. p. 45. Voluf. in Aur. pac. rel. 160. Melanchth. in Loc. comm. (Corp. doctr. chrift.) p. 412. & in Exam. 698. Chemnit. Loc. com. part. 2. p. 250. Gerh. C. C. 1460. Carpzov. in Ifag. 222. G. Calixt. Confid. doctr. pontif. p. 15.

* * *

DE IIdo etiam convenit inter utrosque: 1. Ad fidem requiri *motionem, & piam quandam affectionem voluntatis,* intellectum inclinantis ad affentiendum huic teftimonio, propter veritatem Dei teftantis: & fic fidem, quatenus fignificat affenfum, formaliter quidem effe in intellectu, fed tamen requirere concurrentem motionem voluntatis. 2. *Ex fide oriri fiduciam*, & hanc effe effectum fidei. Effe autem fiduciam duplicem, nempe aliam obtinendae veniae, aliam, qua quis confidit, fibi remiffa effe peccata; illam praecedere, hanc fequi iuftificationem. Gerh. C. C. 1455. Walenb. tom. 2. 46. Vbi etiam non improbant, fi quis fidem iuftificantem defcribere velit vel per certitudinem de remiffione peccatorum obtenta, deque mifericordia Dei in Chrifto fpecialiter applicata; vel ita, ut partim eam ponat in intellectu, partim in voluntate. Vid. etiam Chemnit. P. 1. E. C. T. 162. Gerh. C. C. 1458. Gul. Forbef. p. 7. *De eius fubiecto.*

* * *

DE IIItio profitentur Walenburchii l. c. *Fidem, quatenus eft in intellectu, proprie effe affenfum, & fupponere feu praerequirere aliquam notitiam, & improprie effe notitiam,* (dici tamen poffe notitiam a notitia, quam fupponit, & quam parit) & *parere aliquam notitiam*, quoniam eft via & gradus ad intelligentiam: neq; putant, hoc loco inventuros Proteftantes, in quo ab ipfis diffentiant. Equidem Bellarminus *Sitne notitia, an affenfus.*

minus l. 1. de Iustif. c. 2. in alia omnia videtur abire, quando scribit, *fidem melius per ignorantiam, quam per notitiam definiri*: sed meliorem tamen interpretationem dictum illud admittit, ut pote limitate & comparate prolatum. De quo videatur contextus Bellarmini, Gul. Forbesius p. 4. & Amoenitates nostrae theol. 478.

Fidem, quatenus in intellectu est, proprie esse assensum] Fides iustificans est fiducia, quae nec sine assensu est, nec sine obedientia. C. Vorst. in Rom. 4. p. 31. Wicel. V. R. 36. Fabricius Syst. th. 578.

* * *

An fides sola iustificet. DE IV^to iidem fatentur Walenburchii p. 47. convenire inter utriusque religionis focios, 1. *nulla opera, nullam dilectionem, nullum meritum, ex naturae viribus procedere*, quo homo aut obtineat iustificationem, aut se praeparet ad eam recipiendam. Concil. trid. Sess. VI. c. 1. 5. 6. & can. 1. Bellarm. l. 1. de Iustif. c. 3. 2. Peccatorem, cum iustificatur, *nullo modo mereri remissionem peccatorum*, vel reconciliationem cum Deo, *neque de condigno, neque de congruo*, (Volus. 137.) sed fieri iustificationem omnino gratis propter meritum Christi. Concil. trid. Sess. 6. c. 8. 9. Gerh. C. C. p. 1474. & recte dici *de fide viva*, quod *sola iustificet*. Chemn. E. C. T. part. 1. 164. Gerh. C. C. 1463. Hoc autem cum dicitur, non opponitur fides vel gratiae Dei, vel merito Christi, vel sacramento initiationis, vel verbo Dei, vel actibus dispositoriis & praeparatoriis iustificationis, sed operibus, maxime illis, quae aliunde, quam ex fide prodeunt, ac propositionis hic est sensus: Fides viva iustificat, & quod non est fides viva, id a parte hominis iustificationem proxime & immediate non efficit. Gerh. C. C. 1463. G. Calixt. Consid. doctrinae pontif. p. 13. P. Dionys. Werl. V. P. 353. Non itaque nos ferit Concilii trid. Sess. VI. caput 9. itemque can. 9. 12. & 14. (ubi, teste Volusio p. 164. *sola inanis & chi-*

& chimaerica fiducia repudiatur) quoniam nobis nihil rei eſt cum vana perſuaſione, & negatione eorum, quae comitantur aut antecedunt fidem. Vide Gerh. l. c. & p. 1457. Neque etiam inde colligendum, quaſi *fidem ſolitariam* ſtatuamus in homine iuſtificando, hoc eſt, ſeparatam a ſpe & charitate. Chemnit. p 164. & Gerh. 1463.1480. Walenb. tom. 2. p. 47. P. Dionyſ. Werl. V. P. 353. Voluſ. 162.

De fide viva] Caſſander eam deſcribit ex conciliatione Ratisbonae facta, dicens: *In conventu ratisbonenſi hic articulus iuſtificationis, ad eam, quam diximus, formam conciliatus eſt, eamque Bucerus quoque accurate tractavit, & ſubinde ad eam provocat. In eo autem Conventu ita articulus iſte explicatus legitur*: Id quod tamen nulli contingit, (*videlicet, ut remiſſionem peccatorum accipiat*) niſi etiam ſimul infundatur charitas ſanans voluntatem, & voluntas ſanata (quemadmodum ait Auguſtinus) incipiat implere legem. *Fides* ergo *viva* eſt, quae & apprehendit miſericordiam Dei in Chriſto, & credit, iuſtitiam, quae eſt in Chriſto, ſibi gratis imputari, & quaeſimul pollicitationem Spiritus ſancti, & charitatem accipit: & ſic, qui iuſtificatur, iuſtitiam accipit & habet per Chriſtum, etiam inhaerentem, ſicut dicit apoſtolus: *Abluti eſtis, ſanctificati eſtis, iuſtificati eſtis.* Tamen anima fidelis huic non innititur, ſed ſoli iuſtitiae nobis donatae. *In qua explicatione nil video*, (ut iudicat Caſſander) *quod etiam gratiae Dei ſtudioſiſſimus deſiderare poſſit.* In Conſ. It. ad art. 4. p. 919.

* * *

Maxima controverſia eſt de cauſa formali iuſtificationis, quam nos dicimus in imputatione iuſtitiae Chriſti & peccatorum remiſſione conſiſtere, ſed Concilium trid. Seſſ. VI. c. 7. *in iuſtitia Dei, non qua ipſe iuſtus eſt, ſed qua nos iuſtos facit: qua videlicet ab eo donati, renovamur ſpiritu mentis noſtrae; & non modo reputamur, ſed vere iuſti nominamur, & ſumus, iuſtitiam in nobis recipientes, unusquisque ſuam ſecundum menſuram, quam Spiritus S. partitur ſingulis, prout vult, & ſe-* *De Cauſa formali iuſtificationis.*

& secundum propriam cuiusque dispositionem & cooperationem. Ad rectam vero status huius controversiae formationem notandum, 1. quando *fides* sumitur *pro actu credendi*, dici, eam imputari ad iustitiam, tanquam instrumentum apprehensivum, & ratione ordinis, quem Deus in iustificatione vult observari, ita ut ipse sit dans, fides accipiens: quando autem accipitur *pro re credita*, seu obiecto fidei, dici, eam imputari ad iustitiam, tanquam materiam iustificationis, quia tale obiectum est pretiosissimum Christi meritum. 2. Quamvis gratuita *peccatorum remissio, & iustitiae per Christum partae imputatio*, docendi gratia, duae quasi partes iustificationis a quibusdam vocentur, illas tamen vel realiter a se invicem non differre, vel certe a se invicem separari non posse. 3. Duo esse in quovis peccato, a quo in iudicio Dei iustificandi sive absolvendi sumus, *vitium & supplicium*; illud tolli imputatione iustitiae Christi, hoc remissione peccati: proprie namque poenam remitti, quando culpa non imputatur. 4. *Causam formalem* vel notare *rem totam*, vel *causam, per quam res id est, quod est.* Priori modo iustificationis forma est remissio peccati, seu absolutio a poena peccati, & acceptatio in gratiam ad vitam aeternam, propter Christi meritum fide apprehensum: Posteriori, meritum Christi per fidem imputatum, vel meriti Christi fide apprehensi imputatio. 5. *Imputatam iustitiam non esse putativam & imaginariam*, sed veram, licet non inhaereat. 6. Nos non negare, *quod cum remissione peccatorum & imputatione iustitiae Christi, interior renovatio semper sit coniuncta*, ita ut, quando remissionem peccatorum fide accipimus, simul etiam detur Spiritus renovationis: sicut enim Christus passione sua remissionem peccatorum, ita obedientia sua, Spiritus sancti donationem nobis

nobis promeruit. 7. *Renovationem*, & quae ex ea fluunt bona opera, *recte dici iustitiam*, 1. Ioh. 3, 7. 8. sed iustitia illa vel habituali, in interiore renovatione, vel actuali, in bonis operibus consistente, nos coram Deo consistere, eaque *niti*, & eandem *iudicio Dei* opponere posse, id vero nos negare eo, quod utraque sit imperfecta, & multis peccatorum sordibus contaminata. Chemnit. LL. theol. P. 2. 227. & E. C. T. part. 1. p. 130. 131. 134. 145. 147. Gerh. C. C. 1483. & Hutterus in LL. theol. p. 473. ubi hanc etiam confessionem edit: *Quod si de causa formali iustificationis utrinque conveniret, omnis profecto reliqua controversia* (de iustificatione) *ultro expiraret.* Quae verba adducit & approbat F. V. Calixtus Demonstr. liquid. 178. Inquirendum itaque nobis est, an Ecclesia rom. doceat, non satisfactionem, obedientiam & meritum filii Dei mediatoris, sed inchoatam in nobis novitatem esse illud, *propter quod* Deus hominem peccatorem in gratiam recipiat, & novitatem illam iudicio *Dei opponi debere ac posse*, ne secundum rigidam legis sententiam damnemur, *eaque niti nos debere*, quando volumus cum Deo agere, ut accipiamus remissionem peccatorum. Sed negant Pontificii, hanc suam esse sententiam, & conqueritur Bellarm. contra Chemnitium, (nec non Walenb. contra Gerhardum tom. 2. 429. Vide Gul. Forbesium p. 59.) quod status controversiae de causa formali iustificationis non recte ab eo, prout iam allegavimus, formatus sit, quasi quaereretur, quid sit illud, *propter quod* Deus hominem in gratiam recipiat; hanc enim phrasin denotare causam meritoriam, de qua confessio extet clarissima in Concil. trid. Sess. VI. c. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 9. sed sic eum esse formandum: Quid sit illud, *per quod* homo iustificatur, an iustitia ipsi a Deo per Christi meritum donata & inhaerens, an ipsum

Christi meritum extrinsecus imputatum. Conqueritur etiam, quod Chemnitius merito Filii Dei opponat e regione inchoatam renovationem, *quasi Pontificii pluris facerent renovationem, quamvis imperfectam & inchoatam*, quam ipsum perfectissimum atque absolutissimum meritum filii Dei. *Remota igitur ambiguitate verborum*, ait porro, *ad quaestionem*, (ut a Chemnitio proponitur) an videl. iustificemur propter meritum filii Dei, an propter inchoatam renovationem nostram, *respondemus, si illud* propter *significet* causam formalem, *nos iustificari propter novitatem nobis inhaerentem, non propter meritum Christi, quod inhaerere non potest: si vero significet* causam meritoriam, *nos iustificari propter meritum filii Dei, non propter novitatem nobis inhaerentem: si denique significet* causam in communi, *iustificari hominem propter utrumque, sed propter meritum Filii Dei meritorie, propter novitatem in nobis inhaerentem formaliter*. l. 2. de Iustif. c. 2 Volus. Aur. pac. rel. p. 4. 26. 164. Et hoc quidem intelligit *de causa formali intrinseca*, supponens, sic proprie appellari, quod rei est intrinsecum, & inhaeret, prout se explicat l. 1. c. 2. Cum quo etiam conferri potest l. 2. c. 2. p. 329. &c. 7 p. 337. ubi iterum videbis, *formale* eiesse intrinsecum. Vide etiam Gul. Forbes. 47. Sicut & Walenburchii pro synonymis usurpant, *formaliter & absolute*. T. 2. 413 439. item *vere & absolute*. p. 373. 465. 494. Et hinc etiam *denominationem absolutam* appellant, quae intrinseca dicitur, & id, quod rei intrinsecum est, denominat. p. 459. Quo sensu etiam Bellarminus l. 2. c. 10. p. 341. institiam inhaerentem vocat *absolutam*, nempe non quasi omnibus modis perfecta & pura sit, (ut interpretatur Gerh. C. C. p. 1490.) sed quia revera inest homini, eique tribui potest per denominationem absolutam seu intrinsecam. Neque aliter ei *valo-*

valorem tribuit *coram iusto Dei iudicio*, quam ut Dei donum est, & opus Spiritus sancti. Audiamus integrum Cardinalis contextum: *Dicitur Christus* iustitia nostra, *quoniam satisfecit Patri pro nobis, & eam satisfactionem ita nobis donat & communicat, cum nos iustificat, ut nostra satisfactio & iustitia dici possit. Nam etiamsi per iustitiam nobis inhaerentem vere iusti nominemur & simus, tamen* non per eam satisfacimus Deo pro culpis nostris & poena aeterna, *sed est illa iustitia inhaerens, cum remissione culpae & sempiternae poenae*, effectus satisfactionis Christi, quae, *ut dicit Concilium trid. Sess. VI. c. 7.* nobis in iustificatione confertur & applicatur. *Et hoc modo non esset absurdum, si quis diceret,* nobis imputari Christi iustitiam & merita, *cum nobis donentur & applicentur, ac si nos ipsi Deo satis fecissemus, modo non negetur, esse in nobis praeterea iustitiam inhaerentem, eamque* veram & absolutam *esse iustitiam*, cui iusto Dei iudicio non debeatur poena, sed gloria. *Sic enim loquitur S. Berbardus in ep. 190. ad Innocentium*: Nam si unus, *inquit*, pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, ut videlicet satisfactio unius, omnibus imputetur, sicut omnium peccata unus ille portavit. Hactenus Bellarm. l. 2. de Iustif. c. 10. Cui adde Walenb. tom. 2. 411. Hanc autem nostram esse de imputatione satisfactionis Christi sententiam, non tantum profitetur Gerhardus noster in loco allegato, sed etiam agnoscunt testanturque Walenburchii, duo similia loca proferentes ex eodem Bellarmino, tom. 2. p. 48. & 373. Caeterum *imperfectam esse iustitiam inhaerentem* respectu iustitiae Christi, quippe quae indubie iustitiam nostram infinite excedat, & cuius vi iustitia inhaerens nobis a Deo tribuatur, & si quae operibus iustorum adhaeret contaminatio, eam non a iustitia inhaerente,

ſed a radice concupiſcentiae proficiſci, ipſi docent Pontificii. Videantur Walenb. tom. 2. 48. 50. 385. 411. 420. 494. itemque Cardinales, Hoſius & Contarenus, quos in p. 494. 495. allegant, cumque iis diſerte profitentur, non inhaerenti, ſed *imputatae iuſtitiae*, quae Chriſti eſt, *eſſe innitendum.* Quibus adde non tantum Pighium, ſed etiam Fricium, collocutores in conventu ratisbonenſi, & Ferum, citatos a Gerhardo in C. C. p. 1487. & ſeq. nec non Boſſueti Expoſit. doctr. cathol. p. 27. Le Févre dans les Motifs invincibl. p. 87. Caſſandrum in Conſult. p. 919. Veronii Regulam fidei cathol. c. 2. §. 2. p. 10. & auctorem Compendii Veron. p. 27. Porro notandum, conſentire nobiſcum Pontificios in ſequentibus: 1) Verbum *iuſtificare* ſaepe in ſcriptura ſumi *modo forenſi*, ut idem ſignificet, ac iuſtum declarare & pronunciare. Walenb. tom. 2. p. 45. 47. Auguſtin. Gibbon de Burgo in Luth. Calv. reconciliabili, diſp. 4. q. 2. §. 1. n. 6. P. Dionyſ. Werl. in Via pacis p. 367. Gerh. C. C. 1492. Guil. Forbeſ. 62. 2) In omnibus ſcripturae locis, in quibus agitur *de ſola remiſſione peccatorum*, quae conſiſtit in conceſſione veniae & liberatione a reatu ac poena, vocem *iuſtificatio* infuſionem iuſtitiae inhaerentis, *tanquam medium liberationis, non includere.* Walenb. T. 2. 49. 3) Iuſtificationem in ſenſu forenſi, pro ſola remiſſione peccatorum acceptam, non ſolum in ſe eſſe *veram iuſtificationem*, ſed remiſſionem illam peccatorum, cum ſcriptura, *iuſtificationem* recte appellari. Walenb. l. c. Catech. hildeſ. 13. Gerh. C. C. 1492. 4) *Peccata nobis remitti*, non propter infuſionem gratiae inhaerentis, ſed propter *meritum Chriſti*, h. e. propter imputatam Chriſti iuſtitiam, vera fide apprehenſam. Concil. trid. Seſſ. VI. c. 6. 7. 9 & Bellarm. l. 2. de Iuſtif. c. 10. Caſſander 917. Kunckel. 654. 5) Verbum

Verbum *iustificare* in scriptura & SS. Patribus non semper sumi abstractive seu stricte, & in sensu forensi pro sola remissione peccatorum, sed & interdum *pro collatione iustitiae inhaerentis*, h. e. pro renovatione & sanctificatione, atque tunc significare *iustum facere*, ut Es. 53, 11. Dan. 12, 3. Apoc. 22, 2. Walenb. l. c. Chemnit. E. C. T. part. I. 130. Gul. Forbesius 68. 72. 6) Recte dici, quod *fidelibus donetur seu imputetur Christi iustitia & obedientia.* Walenb. 429 413. Gerh. C. C. 1485. 7) Hominem iustificatum, h. e. a peccatis absolutum, ab imputata Christi iustitia non quidem intrinsece, *extrinsece* tamen *iustum*, ab infusa autem iustitia inhaerente *intrinsece iustum* appellari; atque adeo *iustificationis stricte & in sensu forensi acceptae rationem formalem*, non consistere in infusione gratiae iustificantis, (h. e. uti nos loquimur, sanctificantis) sed in sola Christi iustitia, quae poenitenti peccatori imputatur, & propter quam peccata non amplius illi imputantur, sed remittuntur. Walenb. tom. 2. 49. 409. 413. 460. P. Dionys. Werl. 360. Aug. Gibbon de Burgo disp. 40. q. 2. n. 15. 8) *Si vox* iustificatio *capitur stricte & in sensu forensi*, pro nuda remissione peccatorum, tunc non sensum esse, quod per eam accipiatur, donetur aut infundatur iustitia inhaerens. Walenb. 429. A. Gibbon. de Burgo l. c. 9) *Sanctificationem differre quidem a iustificatione* in sensu forensi sic dicta, sed *non ab omni iustificatione*: praesertim illa, quae tam late capitur, ut ambitu suo & remissionem peccatorum & renovationem includat. Walenb. tom. 2. 429. 408. Bellarm. de Iustif. l. 2. c. 2. Cassander in Consult. ad 4. artic. Gul. Forbes. 62. 72. 10) *Iustitiam inhaerentem non esse propitiationem & pretium* pro peccatis & damnatione aeterna. Dionys. Werl. 375. 11) *Iustitiam inhaerentem* non esse putativam, sed *veram*

veram iustitiam. Fricius apud Gerh. in C. C. 1488. Dionys. Werl. l. c. *& hominem per illam sanctificatum, vere sanctum, iustum & mundum fieri.* Dionys. W. l. c. 12) Iustitiam inhaerentem, omnibus numeris & absolute perfectam haut esse, quamvis *vere & substantialiter perfecta sit*, in quantum videlicet non est iniustitia, sed opus Dei; sicut infans substantialiter perfectus est homo. Dionys. W. l. c. Vazquez apud Gerh. in C. C. 1491. Walenb. tom. 2. 385. 387. 411. Cassander 918.

Omnibus hisce consideratis ac probe perpensis, magni ab omni parte viri iudicarunt, controversiam de formali causa iustificationis non tam rem ipsam, quam terminorum variam acceptionem concernere, & nominatim quidem Tapperus apud Gul. Forbesium p. 51. Walenb T. 2. 49. Veronius in Reg. fid. cath. p. 11 Volus. in Aur. pac. relig. 155. Le Févre (qui & plures huius sententiae allegat) pag. 97. Melanchthon operum P. 4. 827. G. Calixt. C. D. P. 11. & in Dedic. Dial. Cassandr. c. F. V. Calixt. Demonstr. liquid. 179. G. A. L. in Meth. expositor. adhuc MS.ta I. Conr. Dürr. in ep. ἀνεκδότῳ, quam sub finem harum controversiarum communicabo, Guil. Forbes. 38. 61. 68. Ludov. le Blanc in Thesib. theol. sicut inde etiam allegatur in Actis Erudit. A. 1683. p. 441. Interim displicet moderatis ingeniis Concilii tridentini rigor, quo ea etiam, quae ad scholasticas disputationes pertinent, sub anathematis fulmine exiguntur & quasi obtruduntur. Quotus enim quisque est, qui satis recte intelligit, in quonam consistat praecise *ratio formalis iustificationis?* Si homines quidam fimbria vestimenti Christi sanati fuere, an, quaeso, necesse erat, ut scirent, in quo genere causae fimbria sanasset? nonne satis erat, scire & credere, sanitatem a contactu fimbriae provenisse? Satius igitur esset

eſſet, habere iuſtitiam coram Deo & hominibus, quam de ea contentioſe, & ſub ambiguis terminis diſputare. Wicel. V. R. 35. Guil. Forbeſ. 40. G. Calixtus Confid. doctrinae pontif. 14. Et probe notandum eſt, quod idem Calixtus in tract. de Tolerantia Reform. ſcriptum reliquit: *Tandem*, inquiens, *id quoque monemus, ſi de dogmate aliquo, prout communibus & vulgo notis atque uſurpatis verbis proponitur, & explicatur, conveniat; etiamſi circa idem, ſub ſcholaſticorum terminorum involucro propoſitum, aliqua diſcrepantia fuerit, non tamen tunc fore, quare de ipſo fundamento diſſidium eſſe exiſtimetur.* §. 9.

De cauſa formali iuſtificationis] Cornel. Muſſus, Epiſcopus bertinonenſis, poſtea bitontinus, a Paulo III. Pontifice in concilium tridentinum miſſus, doctrinam de iuſtificatione in ordinem redegit, defendit, & determinavit, ceu Ioſephus Muſſus in deſcriptione vitae illius, cuius compendium praemiſſum eſt Cornelii concionibus, per Mich. Ab Iſſelet latine redditis, memoriae prodidit.

Iuſtitiae inhaerentis] *Ex iuſtitia inhaerente*, quam Scholaſtici *habitualem* appellant, quaque cum imputata hominem iuſtificari ſtatuunt Pontificii, naſcitur altera illa, quae exercitio bonorum operum conſtat, quamque *actualem* vocant. Caſſander 918.

Sanctificationem non differre ab omni iuſtificatione] Sanctificationem quodammodo praecedere iuſtificationem, fatetur Conr. Bergius in Themat. theol. p. 139.

In quo genere cauſae, fimbria ſanaſſet.] Exemplum hoc proponit ipſe Bellarminus l. 2. de Sacram. c. 1. indeque illud adducit Guil. Forbeſ. p. 39.

* * *

IUſtitiae incrementum & conſervationem per bona opera, aſſerunt Patres tridentini Seſſ. VI. c. 10. & can. 24. Sed neque nos negamus iuſtitiae inhaerentis augmentum; ut adeo Bellarminus operoſa probatione eius, quod a nobis non negatur, in l. 3. de Iuſtif. c. 16. potuiſſet ſuperſedere. Chemnit. *De iuſtitiae incremento & conſervatione.*

mnit. E. C. T. 152. G. Calixt. Confiderat. doctr. pontif. p. 18. Guil. Forbef. 123. 169. Quod autem attinet ad confervationem iuftitiae cum imputatae, tum inhaerentis, dicimus eam fieri per bona opera negative, dum removetur id, quod fidem & iuftitiam in nobis excutit; non autem pofitive, & per modum caufae. Vid. Amoenit. noftrae p. 497. Colloq. altenb. 398. Huc etiam pertinet diftinctio *iuftificationis*, quam faciunt Pontificii, in primam & fecundam. *Primam* vocant, qua ex homine iniufto fit iuftus, fcilicet, fecundum ipforum declarationem, per imputationem meriti Chrifti, remiffionem peccatorum, & inhaerentis iuftitiae collationem: *fecundam*, qua ex iufto fit iuftior, per quotidianum & diligentius fanctitatis & iuftitiae exercitium. Quae diftinctio, in quantum non detrahit merito Chrifti, nec operibus quibuscunque vim iuftificandi tribuit, tolerari poteft. Chemnit. E. C. T. part. I. 152. G. Forbef. 168. Et hanc diftinctionem ufurpant nonnulli Pontificiorum ad conciliandum S. Iacobum cum S. Paulo, quorum ille c. 2, 24. *operibus, & non fola fide*, hic in ep. ad Rom. 3. 28. *fide, & non operibus hominem* ait *iuftificari*, & dicunt, Paulum de prima, Iacobum de fecunda iuftificatione loqui. Communis autem noftratium fententia eft, *iuftificari*, Paulo effe iuftum *reputari* a Deo; Iacobo, iuftum *declarari* coram hominibus. Chemn. l. c. Gerh. C. C. 1477. Sed non confentiunt omnes Pontificii, prout oftendit Gerh. in loco modo allegato, & Guil. Forbef. p. 175. Ipfe autem Forbefius ftatuit p. 171. Iacobi dictum de vera iuftificatione coram Deo, ad mentem veterum Doctorum, & quorundam Proteftantium, intelligi poffe, atque fic omnium optime fieri conciliationem, fi dicatur, *Paulum a negotio iuftificationis excludere bona opera, quae fidem Chrifti praecedunt, & ex fola legis cognitione profluunt,*

 illi

illi enim contra Iudaeos, qui legem sibi ad iustitiam & salutem sufficere existimabant, institutam esse disputationem: *Iacobum* vero *de operibus loqui fidem consequentibus, & ex illa natis, ab eaque directis*, sine quibus utique fides inutilis sit. Et sic cum Paulo Iacobum conciliari a S. Augustino in lib. de Fide & operibus c. 14. de Praedest. sanctorum c. 7. & in praefat. Enarrat. in Ps. 31. nec non ab Anshelmo ad Rom. 4. Hoc tamen certissimum esse, quod, sicut fides in toto iustificationis negotio sine operibus inutilis est, (Chemn. E. C. T. part. 1. 159.) & opera sine fide, ita semper *potiores sint partes fidei*, utpote dirigentis & operantis, & opera, etiam ex fide profecta, nullo modo proprie, stricte, & *ex condigno*, (quod etiam Romanenses eruditi concedunt) iustitiae sive gratiae iustificantis incrementum, nedum aeternam gloriam mereantur.

* * *

DE praeparationibus seu dispositionibus ad iustificationem, agitur in Conc. trid. Sess. I. c. 5. & 6. Et haec doctrina reiicitur a Chemnitio part. 1. E. C. T. 155. & Gerh. C. C. 1485. & L. de Iustificat. §. 166. non in totum, sed in tantum: in quantum videlicet illis tribuitur *meritum*, saltem de congruo, & praeparationes illae *ex viribus naturalibus* fieri creduntur. Sed quicquid sit de veteribus Scholasticis, contrarium tamen docent recentiores, ut Soto, Stapletonus, Alvarez, Vega, Benius, Hosius apud Guil. Forbes. p. 11. nec non Walenb. tom. 2. 47. 472. Le Févre dans les Motifs invinc. p. 276. Augustin. Gibbon de Burgo 272. P. Dionys. Werl. in Via pacis 360. Kunckel 287. atque ipsum Concilium trid. cap. 5. & 8. item can. 1. & 3. Quibus adde Amoenit. nostr. p. 500. & Cassandri Consultat. p. 926.

De Dispositionibus ad iustificationem.

* * *

De Certitudine gratiae & remissionis peccatorum.

AD quaestionem: An homo poenitens ac vere in Christum credens, possit ac debeat esse certus, sibi propter Christum remissa esse peccata, seque esse apud Deum in gratia? respondent doctores nostri affirmando. Vbi tamen sciendum, non agi de fide haereticorum, nec de fide mortua, nec de fide historica & assensu generali, nec de inani persuasione ac falsa fidei iactatione, nec de certitudine electionis, nec de certitudine perseverantiae & salutis futurae, nec de carnali securitate, nec de robore vel infirmitate fidei, nec de nostris qualitatibus & virtutibus, quasi in illis sit fundamentum huius fiduciae, nec de certitudine obiecti, sed de *certitudine subiecti.* Gerh. C. C. 3499. Chemn. E. C. T. part. 1. 166. G. Calixt. Confid. doctr. pont. 16. seu de certitudine, *quae nostrae cognitioni inhaeret*, & quidem, ut nonnulli loquuntur, *absoluta*, (absoluta autem certitudo dicitur, qua quis vel ex evidentia sensuum aut terminorum, vel ex invicta demonstratione, vel ex testimonio omni exceptione maiori persuasus est, rem sic, & non aliter se habere) *de certitudine fidei.* Iam huic sententiae contradicere videntur Tridentini Sess. VI. c. 9. dum profitentur, *nullum scire valere certitudine fidei, se gratiam esse consecutum.* Sed videntur: aliter enim hi accipiunt seu intelligunt certitudinem fidei, aliter illi. *Protestantibus certitudo fidei* est certitudo fiduciae, prout declarat Gerh. C. C. 1500. *Haec certitudo fiduciae* (verba sunt Walenb. tom. 2. 497. ac Bellarmini l. 3. de Iustif. c. 2. p. 349.) *partim nititur divina promissione, partim propria dispositione.* Quatenus certitudo fiduciae nititur divina promissione, omnem simpliciter formidinem excludit, & est absolute atque simpliciter certitudo. Quatenus autem respicit propriam

priam diſpoſitionem, non excludit omnem formidinem, nec eſt omnimoda certitudo, quamvis ſufficiat ad gignendam piam ſecuritatem. Idemque docet Concil. trid. c. 9. citato. Et hanc certitudinem fiduciae Proteſtantes vocant *certitudinem fidei*, quia fiduciam referunt in definitionem fidei: *ſecundum pleroſque* autem *Pontificios certitudo fidei* nititur ſola Dei auctoritate, & excludit non ſolum omnem dubitationem, ſed etiam formidinem & timorem de oppoſito. Quoniam igitur in verbo Dei non eſt praeciſe revelatum, huic, iſti, & illi homini remiſſionem peccatorum eſſe factam, ideo negant, certitudinem fidei hunc, iſtum, & illum hominem de remiſſione peccatorum ſuorum, ſeu de iuſtitia ſua, deque gratia Dei habere, atque id ei *credendum*, eumve non eſſe iuſtificatum & fidelem, *ſi id non credat*, aut *hac ſola fide, etſi cum ea coniuncta ſit vana iactantia & impietas*, abſolutionem & iuſtificationem perfici. Concil. trid. c. 9. Bellarm. l. 1. de Poenit. c. 2. p. 378. non negantes interim, unumquemque fidelem teneri tam illud credere certitudine fidei, *quod Deus fidelibus promiſit*, (ut ipſis promiſit remiſſionem peccatorum) quam *fidelibus & poenitentibus remitti peccata.* Concedunt etiam, *triplicem dari fiduciam*, ita ut fiducia quaedam praecedat iuſtificationem, quaedam illam attingat, & quaedam eandem ſequatur. Et tertiam hanc ſic deſcribunt, quod iuſtificatus, eius vi acquieſcat miſericordiae divinae, cuius gratiam expertus eſt & experitur, & ob quam ſpirituali gaudio exultat in Deo ſuo, laudans, magnificans, & gratias agens iuſtificatori ſuo. Vide Wicel. V. R. 34. Ioh. Philippi, Epiſcopi bambergenſis, Chriſtl. Betbüchlein p. 227. b. Catholiſch Gebeth-Buch / edit. Hildeſiae, A. 1698. p. 90. 141. Caeterum & ipſi docent, *fidem illam ſpecialis promiſſionis*, qua quis certa fiducia ſtatuit, ſe veniam peccatorum ac iuſtifi-

cationis gratiam vel obtenturum, vel obtinere, vel obtinuiſſe, eſſe *donum Dei* per Chriſtum; dari veram fidem, qua quis *credit, ſe iuſtificatum eſſe* apud Deum; veram iſtam *fidem*, qua quis impellente Spiritu ſancto credit, ſe iuſtificatum eſſe, *reperiri etiam ſine ſpeciali revelatione*; Iuſtum *non eſſe dubium de ſua iuſtitia*, nec *debere* de ea dubitare; ſed *poſſe certum eſſe de ſua gratia*, certitudine ſumta pro determinato & vero aſſenſu, qui non tantum excludat dubitationem, ſed etiam importet conformitatem aſſenſus cum obiecto; ut quis aliqua operetur, ad quae requiritur gratia, qualia ſunt adminiſtratio & acceptio ſacramentorum, debere aliquem *abſolute credere*, *ſe eſſe in gratia*; *certitudinem*, *quae tantum ex operibus naſcitur*, non eſſe fidei, eſſe tamen aliquam certitudinem, ſecundum dicta 2. Pet. 1, 10. 1. Ioh. 3, 21. Thren. 3, 25. fideles *nonnunquam* certo ſperare & confidere, quod ſint conſecuti remiſſionem peccatorum, & quod gratiam obtinuerint; *neque ad hoc requiri divinam revelationem*; chriſtianum fidelem, certitudine fidei infallibili, cui non poteſt ſubeſſe falſum, certo cognoſcere, *ſe habere fidem ſupernaturalem*, & *aſſenſum fidei divinae*, nec credere quenquam *prohiberi*, ſe remiſſionem peccatorum obtinuiſſe, modo abſit nimia ſecuritas; itaque hominem de ſua gratia formidare & *timere poſſe*, ita tamen, ut ſpe certa divinae innitatur miſericordiae, cum nihil impediat, hominem ſimul & *certae ſpei* ſolatio erigi, & *propriae indiſpoſitionis* conſideratione terreri. Concil. trid. Seſſ. VI. c. 9. & can. 16. Caſſander in Conſult. ad 4. artic. Walenb. tom. 2, 50. 497. Coton. Inſt. cath. 519. Boſſuet E. D. C. c. 7. p. 31. Le Févre p. 106. Kunckel. 400. Voluſ. 49. Gerh. C. C. 1501. G. A. L. in Meth. expoſitor. ubi quaeſtionem de abſoluta certitudine converſionis, poenitentiae, abſolutio-

lutionis, fidei, iustificationis, sanctificationis & salutis aeternae, scitissime evolvit, docens, certitudinem non tam rebus ipsis, quam cognitioni nostrae inhaerere; & Guil. Forbes. p. 95. Immo etiam sunt inter Pontificios, qui certitudinem gratiae, quam habent fideles, *certitudinem fidei* certa ratione appellari posse concedunt, ut Vega, Baconus, Tapperus, & Pererius apud Gul. Forbesium p. 97. Denique salutare erit, optimis praedicti Forbesii monitis aures praebere & morem gerere, videlicet, infirmis & pavidis conscientiis, quae cum gravi & anxia dubitatione saepe luctantur, occurendum esse, easque monendas, ut talibus *dubitationibus dulcissimas evangelii promissiones* fortiter opponant, & fidem atque fiduciam sibi augeri instanter *orent*; sed neque etiam illam *summi gradus certitudinem*, seu fidei divinae πληροφορίαν, nimis importune urgendam, nec a fidelibus, *quasi praecise necessariam*, exigendam, ne pavidae conscientiae inde magis paveant, timorque Dei, etiam filialis, piorum animis excutiatur, aut saltem minuatur, e contrario autem carnis securitas alatur, beneque operandi studium remittatur: studendum potius, ut praesentem iustitiam & Dei gratiam per bona opera magis magisque *certam & firmam faciamus*; denique a nimis curiosa & scrupulosa de huius *certitudinis gradu & mensura* disputatione, maxime autem ab omni temeraria & audaci *definitione*, aliorumque dissentientium *condemnatione* abstinendum. p. 111. Similia etiam habet Chemnit. part. 1. E. C. T. p. 174. ubi controversiam hanc sic concludit: *Ita contra omnes sophisticas cavillationes plana, vera, utilis & necessaria est doctrina de certitudine reconciliationis, iuxta promissionem evangelii: in qua vera fiducia credentes* acquiescunt, *aut saltem acquiescere* conantur.

Quod

* * *

De bonorum operum necessitate. QUod etiam Lutherani doceant, facienda esse bona opera, non opus est nobis cum Chemnit. in E. C. T. part. 1. 175. & Gerh. C. C. 1513. vel probare vel defendere, cum hodierni Pontificii eruditi, quicquid sit de eo, quod legitur in Conc. trid. Sess. VI. c. 11. & can. 20. ambabus id largiantur manibus: Inter quos videri possunt Walenb. tom. 2. p. 50. & 541. Aug. Gibb. de Burgo p. 291. P. Dionys. Werl. in Via pac. 321. Le Fèvre p. 120. & plures alii, citati a Gerh. C. C. p. 1514. Patet id etiam ex Aug. conf. art. 6. & 20. item ex Instruct. de quibusdam doctrinae articulis, quae praemittitur Corpori doctr. Iulio p. 17. Quid autem ansam dederit maioribus eorum, sinistram illam de nostratibus concipiendi opinionem, quasi negarent omnem operum bonorum necessitatem, facile constabit, si quis legerit Gerhardum l. c. & Cotoni Instit. cathol. l. 3. c. 12. p. 505. videlicet doctrina omnium nostratium, hominem iustificari *sole fide*, nec dari *meritum operum*, eorumve *efficientiam*; & quorundam inter nostrates, bona opera non esse necessaria *ad salutem*: inde enim, quamvis male, collegit pars adversa, Protestantes negare omnem bonorum operum necessitatem.

* * *

De legum human. obligatione. QVando dicitur, *leges quoque humanas*, e. g. forenses & ecclesiasticas, & quae domini servis & ancillis, parentes liberis suis praecipiunt, *obligare in conscientia*, & ad peccatum mortale, tunc vocabulum *legum* non sumitur stricte, sed late, pro mandato seu praecepto; neque obligatio intelligitur specialis, absoluta & directa, sed generalis, hypothetica, & indirecta: *generalis*, quoniam obligant mediante praecepto generali de obedientia Praepositis praestanda, Heb. 13, 17. Rom. 13, 1. Eph. 1, 1. 5. *hypothetica*, si earum transgressi-

greſſione ordo, decorum, diſciplina ac profectus in ſtudio pietatis laeditur, & ſcandalum aliis praebetur; & denique *indirecta*, quatenus earum contemtus, a Praepoſitis in Deum ipſum redundat, ſecundum Luc. 10, 16. utpote Dei vicariis. Chemn. P. I. E. C. T. 197. Gerh. C. C. 626. Sarcerius de Diſcipl. 166. Fabricius Syſt. theol. 340. & Amoen. noſtr. theol. 516. Et Chemnitio quidem ac Gerhardo videntur Pontificii hisce contraria docere in Concil. trid. Seſſ. VI. cap. 10. & can. 20. Seſſ. VII. can. 8. Seſſ. 25. c. 20. p. 624. & tit. de Delectu ciborum, ieiuniis & diebus feſtis p. 627. item in Profeſſ. fidei p. 451. Sed Veronius in Reg. fid. cath. §. 6. p. 19. & auctor Compendii Veron. p. 40. itemque Walenb. tom. 2. p. 187. clare oſtendunt, ipſorum doctrinam a noſtra, hac in re, non eſſe diverſam. *Vbi obſervandum*, Pontificios non docere 1.) per obſervationem mandatorum eccleſiae, hominem *iuſtificari*, i. e. Chriſti iuſtitiam ipſi imputari, eumque a peccatis abſolvi, ſed, per obſervationem mandatorum Dei & eccleſiae, in ipſa iuſtitia per Chriſti gratiam accepta, cooperante bonis operibus fide, creſcere, atque *magis iuſtificari*. Concil. trid. Seſſ. 6. c. 10. Chemn. 177. 2) Mandata eiusmodi humana *mandatis Dei aequanda*, immo *praeferenda eſſe*. Sicubi autem hoc fit re ipſa & opere, abuſibus id tribuendum eſt, non doctrinae Ponficiorum. Chemn. l. c. & Ioh. Ferus apud Gerh. C. C. 47. 3) *Omnes leges eccleſiae obligare in conſcientia*: cum notum ſit, aliquas eſſe mere poenales. Walenb. tom 2. 187. Veron. R. F. C. p. 21. 4) Vllum praeceptum pure humanum *obligare ad peccatum mortale*. Veron. l. c. & autor Comp. Veron. 41. 5) Licere *quodlibet* praecipere. Veron. ib. Chemn. p. 179. 6) Obligatum eſſe, qui ſit catholicus, ad recipiendas *leges confraternitatum*. Veron. p. 22. 7) item ad facien-

Rr dum

dum *opera supererogationis*: (Chemnit p. 178.) cum haec non sint de fide. Autor Comp. Veron. 33. Praeterea notandum, eosdem *tyrannidem* a se amoliri, quandoquidem non aliam legibus ecclesiasticis obligationem vindicent, quam Protestantes suismet constitutionibus & legibus ecclesiasticis; immo etiam earum *multitudinem*, cum vix inveniantur nisi quatuor omnibus fidelibus impositae, videl. 1. de confessione annua, 2. de communione paschali, 3. de ieiuniis & abstinentiis, 4. de festis. Walenb. tom. 2. 187.

Opera supererogationis] Grotius in Annot. ad Consult. Cassandri p. 331. ostendit, quo sensu admitti queant opera supererogatoria. *Sunt quaedam*, ait ille, *quae specialiter non exiguntur, & laudabilia tamen sunt, Deoque grata, ut* castus coelibatus *sine nuptiis, vel post primas; abstinere se ab omni* bello; *mori potius, quam* se tueri; *vitare, quantum leges sinunt*, munera publica; *item* lites; *sua* elargiri pauperibus, *&* manibus *victum quaerere*; Ecclesiae servire *suo sumptu. Haec sunt opera specialia, ita tamen, ut generali isti hortamento, amandi Deum & proximum, optime conveniant, & ei, quatenus* praeceptum *dicitur, gradum quendam adiiciant excellentiorem, quem Deus pro sua bonitate repensabit.* Vide etiam eius Annot. ad Luc. 17, 10.

* * *

De bonorum operum efficientia.

BOna opera esse necessaria ad salutem, seu (ut alii malunt loqui) salvandis, non *ratione* efficientiae, sed *praesentiae*, communis est nostratium sententia. De qua vide Gerh. C. C. 1516. & b. parentis mei diss. de B O ad sal. necess. p. 8. Huic contrarium, ut aiunt, docet Bellarminus l. 4. de Iustif. c. 9. nempe illa ad salutem esse necessaria, non tantum ratione praesentiae, sed etiam alicuius efficientiae, & non minus opera, quam fidem, ad salutem suo modo referri. p. 383. Cum autem nihil hac de re habeat Concilium tridentinum, manifestum est, id non referendum inter articulos fidei. Interim Guil. Forbes. p. 126. & seqq. ostendit, mul-

multos ex Protestantibus necessitatem non tantum praesentiae, sed & efficientiae admisisse, si nomine *efficientiae* non aliquod proprie dictum meritum, aut propria vis ac dignitas ipsorum operum in salute comparanda intelligatur, sed tantum causalitas sive efficientia quaedam *secundaria*, adeoq; minoris ac inferioris ordinis & gradus, & divinae gratiae ac fidei semper *subordinata*; atque sic hanc etiam controversiam in logomachiam abire. Et talem efficientiam intellexerit quoque Bellarminus vocibus *alicuius*, & *suo modo*, utpote rem substratam restringentibus. Vnde Walenb. tom. 2. p. 50. scribunt, tenere cum ipsis Pontificiis Protestantes, iustos *efficienter* operari suam salutem; adduntque, opera bona esse conditiones ad vitam, viam ad vitam, omnemque viam habere rationem *causae*, saltem *sine qua non*: qualis autem eorum sit causalitas, videri posse apud Vazquezium 1. 2. disp. 220. c. 7. n. 64. Nec minus P. Dionys. Werl. in Via pac. 332. negat hoc in loco causam proprie dictam. Vlterius autem progreditur Aug. Gibbon de Burgo, iisque *efficientiam moralem meritoriam* tribuit p. 293.

* * *

DE Christo legislatore sic habet Concil. trid. Sess. VI. can. 21. *Si quis dixerit, Christum Iesum a Deo hominibus datum fuisse, ut redemtorem, cui fidant*, non etiam ut legislatorem, cui obediant, *anathema sit*. Iam quidem Gerhardus in C. C. 1519. l. Guil. Baierus in peculiari hac de re disp. & multi nostratium negant, Christum fuisse legislatorem, idque probare solent (1) ex oppositione, quae memoratur Ioh. 1, 17. (2) ex legis perfectione, (3) ex legislatoris descriptione, Rom. 7, 7. 8. 11. (4) ex adventus Christi fine. Gal. 3, 13. (5) ex proprio mediatoris officio. *De Christo legislatore.*

Matth. 5, 17. Rom. 10, 4. Sed & sunt inter nostrates, qui aliter sentiunt, & pro sententia sua adducunt scripturae, Patrumque testimonia. Vide Amoenit. nostras theol. p. 471. iisque adde G. Calxti Confid. doctr. pontif. p. 18. Ad probationes allatas ℞. & quidem ad 1) Manet nihilominus oppositio inter Mosen & Christum; nam sensus verborum hic est: *Lex*, quae docet ac praecipit bene vivere, *per Mosen data est*, tanquam donum gratuitum & magnum, erudiendo, coërcendo, seu in officio continendo, & ad Christi fidem & gratiam praeparando populo iudaico: *sed gratia* illa proprie dicta, qua lex impleri potest, *& veritas*, quae per ceremonias & sacrificia, terrenaque promissa, velut per umbras ac typos figurata prophetabatur, *per Iesum Christum facta est*, id est, revelata, praestita & praesens exhibita, veterum umbrarum usu & observatione sublatis. Ad 2.) Lex Mosis in suo genere fuit perfecta: adeoque eius perfectioni nihil decessit per leges Christi. Ad 3.) Accidit legislatori, non autem de eius essentia est, esse peccati ministrum. Ad 4.) Vnus finis adventus Christi, alterum non excludit. Ad 5.) Neque etiam una pars officii Christi, excludit alteram.

* * *

De possibilitate observandi mandata Dei, & implendi legem.

DEum non praecepisse impossibilia, sed teneri hominem iustificatum ad observationem mandatorum Dei, ac posse eam praestare, docent Tridentini in Sess. VI. cap. 11. & can. 18. 20. Vnde concludunt, eundem auxilio gratiae divinae *legem implere*, & *perfectum esse posse*. cap. 16. Quibus omnibus tantum abest, ut contradicant, etiamsi videantur, Chemnitius part. I. E. C. T. p. 181. & Gerh. C. C. p. 1523. ut in re ipsa mirifice consentiant. Distinguendum enim est inter *absolute*, & *secundum quid*, seu respectu

viri-

virium mere humanarum, impossibilia; inter *observationem mandatorum Dei exquisitissimam*, ita ut ne in minimo cespites, immo ne cogitando quidem, & eam, *quae sit sincero animo*, secundum vires a Deo acceptas, & quantum fert humana imbecillitas; inter *impletionem legis ex rigore*, & aliam *secundum ἐπιείκειαν* sive *aequitatem & moderationem evangelicam*; denique inter *perfectionem partium*, *& graduum*. Nam duumviri illi, aliique nostratium, non negant, Deum praecepisse eiusmodi possibilia, *quae a renatis per gratiam Dei* praestari queunt, & unde nascitur *obedientia inchoata*; *legem impleri posse secundum ἐπιείκειαν evangelicam*, & dari apud iustificatos & pios in hac vita *perfectionem partium*. Vide, praeter Chemnitium & Gerhardum, G. Calixti Consid. doctr. pont. p. 17 Fabricii System. theol. 361. Amoenit. nostr. theol. 512. 508. 509. Gul. Forbes. 139. Neque apud Dionys. Werl. in Via pacis p. 377. Walenb. tom. 2. 544. & Stapletonum in Guil. Forbesii Considerat. contr. p. 152. quidquam auditur de *pharisaica praesumtione & iactantia stultaque confidentia*, quam Chemnitius impugnat, quin potius *humilitas* commendatur aeque, ut in cap. 16. Sess. VI. Conc. trid. p. 54. Vnde etiam dici potest, *non omnia iustorum opera esse peccata*. Concil. trid. cap. 11. & can. 25. Walenb. tom. 2. 547. Calixt. Considerat. doctr. pont. p. 18. Gul. Forbes. 156. nisi forte in sensu collectivo quis dixerit, *omnia* iustorum opera bona, esse maculata peccato, eo quod plurima sint talia. Qua ratione hanc phrasin concedere haud detrectant Walenburchii p. 548.

Obiicitur, 1. ex Esa. 64, 6. vel 10. *Sumus, ut immundus, omnes nos, & sicut panniculus abiectissimus, omnes iustitiae nostrae.* ℟. Hoc dictum non est totius generis humani, sed populi iudaici, neque singulorum, sed universi corporis. Quod cum in-

fra omnes homines abiectum atque extrema clade affectum esset, panno sordido comparatur.

2. Opera nostra bona, nunquam hic fiunt illa mensura charitatis, quam lex ipsa exigit. ℞ Possunt tamen fieri ea fidei & charitatis mensura, quae foedere gratiae praescribitur.

3. Optimae, etiam iustorum actiones, non vacant motu aliquo malae concupiscentiae. ℞. At non omnes. Nam caro concupiscit quidem contra spiritum, Gal. 5, 17. i. e. quando concupiscit, adversus spiritum concupiscit: at non dicit apostolus, eam *actu semper* adversus spiritum concupiscere. Guil. Forbes. 160. & seqq.

* * *

De Merito bonorum operum. Quod ad doctrinam de meritis bonorum operum attinet, tenendum est, nostrates non abhorrere a vocabulo *meriti*, hoc sensu, si dicas, in reconciliatis bona opera, cum placeant Deo fide propter meditatorem, habere praemia spiritualia & corporalia in hac vita & post hanc vitam, idque ex gratuita promissione Dei. Apol. Aug. conf. 90. 117. 135. 137. Hoc autem est, quod negant, 1. renatos suis operibus *vere promereri* non alia tantum spiritualia & corporalia praemia, sed *ipsam etiam vitam aeternam*. 2. dari praemia bonis operibus, non ex gratia, misericordia & paterna liberalitate Patris coelestis, sed *ex debito, seu ex condigno*, h. e. quod vita aeterna ex debito iustitiae divinae retribuenda sit bonis operibus, ita ut aequalitas sit geometrica meritum inter & mercedem. Chemnit. P. 1. E. C. T. 185. Gerh. C. C. 1533. & L. de Bonis oper. §. 88. Itaque si late & improprie sumatur vocabulum *mereri* pro consequi, (prout etiam exponit Cassander p. 179. & 263.) minime illud negant. Calixt. Consid. doctrinae pontif. p. 19. Amoen. nostrae theol. p. 506. & plures Protestantium apud Gul. Forbes.

180.

180. Iam de ſententia Pontificiorum, non eſt iudicandum ex doctrina quorundam Scholaſticorum aut Doctorum particularium, (vide Walenb. tom. 1. 615. & tom. 2. 582. 605.) ſed totius Eccleſiae romanae, quae extat in Conc. trid. Seſſ. VI. c. 16. & can. 32. nec non Seſſ. 14. cap. 8. Inde autem conſtabit, ***verum*** quidem ***meritum*** tribui bonis renatorum operibus, ſed non negari, ***ex gratia Dei*** provenire mercedem, quin potius hoc diſerte aſſeri, neque inde cauſam habere renatum ***in ſe ipſo gloriandi.*** Vt autem opus aliquod ſit ***meritorium***, & quidem, ut nonnulli loquuntur, ***ex condigno***, has duntaxat conditiones requirunt: 1) ut ſi liberum, ſaltem libertate contradictionis. 2) ut praeſtetur in ſtatu gratiae ſeu ſanctitatis. 3) a viatore. 4) ut extet pactum ſeu promiſſio Dei de dando bene operantibus praemio. Auguſt. Gibbon de Burgo 279. 284. Quanquam, ut ſcribunt Walenb. tom. 2. 559. ***Concilium trid. non definivit, quatuor dictas conditiones ad rationem meriti ſufficere, vel plures requiri***: ſed definiens rationem veri meriti, quaeſtiones ſcholaſticas de conditionibus ad verum meritum reliquit indeciſas, permittens unicuique eam amplecti ſententiam, quam indicaret veriorem. Vide etiam tom. 2. p. 582. & Le Févre pag. 127. Interim Proteſtantes plura requirunt ad verum & proprie dictum meritum, quando aiunt, opus meritorium debere eſſe ***undequaque perfectum, indebitum, plane vel inprimis noſtrum, & proportionem ac aequalitatem habens inter ſe & mercedem.*** Walenb. tom. 2. 560. 582. Mirum itaque non eſt, illos negare verum meritum, quod Pontificii affirmant. Sicut autem in re ipſa idem circa hanc controverſiam ſtatuunt Proteſtantes, quod Scotiſtae, adeo ut neutra iſtorum pars ab Eccleſia rom. condemnari poſſit, aut condemnetur: Walenb. 565. 577. Aug. Gibb,

Gibb. de Burgo. 286. anonymus in praefat. Exposit. doctr. cath. Bossueti edit. gallic. p. 23. Volus. p. 22 I. Lud. Fabricius in Oper. posth. 429. ita ad quaestiones scholasticas, in quibus libertas sentiendi cuivis permittitur, pertinent sequentes: 1) ***An vita aeterna, seu primus eius gradus*** cadat sub meritum? Walenb. p. 555. 577. & P. Dionys. Werl. in V. P. 332. Multos etiam adducit Gerhardus in C. C. p. 1535. & seqq. scriptores Ecclesiae romanae, qui id negarunt. Quibus nos addimus Cornel. Mussum, Episcopum bitontinum, Concion. latine redditarum tom. 1. p. 312. 2) An opera iustorum sint vere meritoria ***ex propria & intrinseca dignitate***? Walenb. 577. Dionys Werl. in V. P. 336. & in Cathol. Ehren-Retter p. 354. 3) An mereantur vitam aeternam ***de congruo vel de condigno***? Walenb. tomo 1. 616. & tom. 2. 578 582. 608. autor Compendii Veroniani p. 25. P. Dionys. Werl. in Via pacis, p. 336. Vnde patet, ***vere mereri***, Tridentinis non statim esse idem, atque ex condigno mereri, etiamsi ita videatur Vegae, Bellarmino, Aug. Gibboni de Burgo p. 278. & Stillingfleeto in E. C. T. & in Actis erudit. A. 1689. p. 9. 4) ***Quaenam in specie opera*** gloriam mereantur? Comp. Veron. p. 26. 5) An ***opera supererogationis, aliis*** possint applicari & prodesse? Cassander p. 1006. & 1007. M. Ant. de Dominis l. 7. de Rep. eccles. cap. 11. p. 278. Cotonus Inst. cathol. 121. Veronius R. F. C. c. 2. §. 1. & autor Compendii Veroniani p. 26. Non autem credendum proponitur a Pontificiis, huiusmodi merita esse ***ex iustitia potius***, quam ex fidelitate promissionis divinae, iisve ***ex iustitiae rigore*** deberi mercedem; ***omnimodam esse aequalitatem*** inter opera & mercedem. Guil. Forbes. 207. iustum posse mereri ***pro aliis.*** Comp. Veron. l. c. P. Dionys. Werl. in Via pacis p. 336. ac necessaria esse merita renato-

natorum, ***ob meritorum Christi insufficientiam* 559.** Quid miramur autem, quod secundum praedicta, longe aliter sonet doctrina de merito bonorum operum, quam vulgo putatur? Etenim iam diu melius se explicuerunt adversarii. Vnde Philippus Melanchthon, quinto ab exhibita augustana confessione anno non dubitavit scribere: ***Articulus de dignitate bonorum operum in reconciliatis etiam nunc*** tempore factus est mollior, quia omnes iam concedunt, quod homines procul absint a perfectione legis. *Ideo concedunt etiam saniores apud adversarios, principaliter homines iustos, id est, acceptos esse fide, hoc est fiducia misericordiae promissae propter Christum, & quod illa inchoatio legis in nobis placeat, non quia legi satisfaciat, sed quia persona est reconciliata in Christo.* Omnes prudentes iam agnoscunt oportere addi de fide, *quod reconciliati praecipue placeant, non propter dignitatem operum, sed fide propter Christum.* Hoc concedatur, postea facile est iudicium, quale sit meritum operum: & quidem prodest, postea valde augere atque ornare dignitatem bonorum operum, *sicut & scriptura valde ornatur: modo ut ille scopus prius teneatur, quod remissio peccatorum per Christum, contingat per fidem; item, quod haec opera placeant, non quia legi satisfaciant, sed quia personae credant Christo.* In Consil. de moder. controv. T. 4. p. 827. & Guil. Forbesius noster p. 206. ***Non imus inficias,*** inquit, ***ut nec Protestantes doctiores & saniores***, *si opinio* meriti de condigno (videlicet secundum illas conditiones, quas posuit p. 197.) ***tollatur, hanc controversiam inter viros moderatos facile non componi tantum, sed etiam omnino cessare posse.*** Et p. 207. ***Sufficiat ergo dicere***, esse meritum aliquod, sive dignitatem aliquam operum bonorum, (*quomodo tantum pia vetustas loqui amavit*) ***quae tota ex gratia & dignatione divina pendeat***, *sed a merito de*

to de condigno proprie & exacte sic dicto asserendo ac defendendo, abstineatur. Bene. Conferatur cum hoc iudicio doctrina Bossueti p. 28. & Cassandri p. 262. (alios non inferioris doctrinae & moderationis viros Catholico-Romanos ut taceam) & deprehendetur, flammam huius controversiae tandem abire in fumum.

De meritis bon. operum] Statum huius controversiae bene proponit Io. Brunnemannus, ICtus, & recte pariter ac prudenter iudicium suum interponit, in Iure eccles. p. 119.

Ex propria & intrinseca dignitate] Quod quidem statuit Aug. Gibbon de Burgo, ita tamen, ut mitiorem sententiam, videlicet scotisticam, lubens velit permittere Protestantibus. p. 290. Et Confutatio A. C. in P. Dionysii Werl. Cathol. Ehren-Rett. p. 354. negat, bona opera *per se* esse digna gratia & vita aeterna.

An mereamur vit. aeternam de congruo vel de condigno.] Immo Thomas waldensis, Paulus brugensis, Durandus, Gregorius arim. & Eccius, improbant appellationem *meriti de condigno*, ut refert Gerhard. C. C. 1542. Si tamen recte explicatur *meritum digni*, uti facit Cassander p. 1127. tolerari potest. Ibidem etiam *merita* pie & modeste describuntur.

* * *

De intuitu mercedis act. in operum bonor. exercitio. DE bonorum operum exercitio, intuitu mercedis aeternae, sic pronunciant Tridentini Sess. VI. cap. 11. *Eos orthodoxae religionis doctrinae adversari, qui sentiunt, in omnibus operibus iustos peccare, si in illis suam ipsorum socordiam excitando, & sese ad currendum in stadio exhortando, cum hoc, ut inprimis glorificetur Deus, mercedem quoque intuentur aeternam.* Et can. 31. ***Si quis dixerit***, iustificatum peccare, dum intuitu aeternae mercedis bene operatur, ***anathema sit.*** Gerhardus in C. C. p. 1565. contrariam thesin hanc format: ***Non debemus intuitu mercedis, per operum merita obeundae, bona opera facere.*** Ubi tamen concedit, Deum praemiis temporalibus & aeternis bona opera ex gratia renumerari velle;

velle; promissiones divinas de praemiis bonorum operum, in renatis studium bene operandi excitare debere; & ipsosmet saniores Pontificios negare, quod *solum vel praecipue* in operibus mercedem spectare debeamus: tantum autem negat, intuitu mercedis aeternae, *tanquam per merita operum obtinendae*, bene operandum esse. Vid. quoque Titius allegatus a Dionys. Werl. in Via pac. 331. Et Gul. Forbes. p. 195. sic scribit: *Certe omnes Protestantes agnoscunt, quod, etsi in bene operando praecipue Deum eiusque gloriam, tanquam ultimum finem, spectare debeamus; quia tamen subordinata non pugnant, & nostra salus cum Dei gloria arctissime coniuncta est, idcirco ad excitandum socordiam nostram, omnino licitum sit, etiam mercedem promissam, ut finem secundarium, qui propter Deum eiusque gloriam expetatur, semper ob oculos habere: sic tamen, ne servilis & mercenaria fiat nostra erga Deum obedientia, sed ut Deum inprimis propter se ipsum, non propter nostrum aliquod commodum sincere diligamus, amore scilicet amicitiae, non concupiscentiae.* Cum vero idem doceatur a Bellarmino l. 5. de Iustif. c. 8. & 9. immo etiam Concilio trid. l. cit. quis non videt, controversiam hanc esse de nihilo, & omnino cessare posse?

* * *

Fiducia non est in propriis meritis collocanda. Thesis haec est Gerhardi C. C. 1557. non negantis, *fidem per bona opera* se exercere, ac proinde renatos *bonorum operum zelotas* esse debere; sanctos provocare posse *ad iustitiam causae*, & *bonam conscientiam* peccati voluntarie non commissi, aut per poenitentiam deleti, esse maximam iustitiae habitualis partem, ac ideo infallibilem iustificationis notam: sed pernegantis, confidendum esse, quod propter opera, tanquam merita proprie sic dicta, *Deus iure teneatur* vi- *De fiducia in meritis.*

tam aeternam dare; aut *iactanda* esse merita, *fastuoseve exigendam mercedem meriti*, & denique *conscientiam de nullo peccandi proposito aut impoenitentia, ess illam iustitiam, ob quam coram Deo iusti*, & damnationi minime obnoxii reputemur. Sed haec omnia, quae negat Gerhardus, reiiciunt etiam Pontificii, ut videre est apud Walenb. tom. 2. p. 49. & 491. Bossuet. Exposit. doctr. cathol. 29. & alios auctores, quos allegat Gerhard. l. c. G. Calixt. in Digress. de Arte nova 301. Considerat. C lloq. horun. n. 34. Consid. D. P. p. 21. P. Dionys. Werl. in Via Pacis a p. 10. usque ad p. 320. & P. 2. des Cathol. Ehren-Rett 126. & seqq. Kunckel. 287. Gul. Forbes. p. 190. & seqq. & ipsum Concil. trid. Sess. VI. c. 11. 16. can. 26. & Sess. 14. c. 8. Et quamvis index expurgatorius hispanus expunxerit, ut G. Calixtus in Digress. de Arte nova p. 305. & Resp. contra Moguntinos n. 96. & seqq. refert, consolatorium illud monitum morientium, quo iubentur sperare, *se ad gloriam non propriis, sed passionis domini nostri Iesu Christi meritis perventuros*, illud tamen Ecclesiae non potest imputari romanae, cum inde ab eo tempore in illa permanserit, ut allegati testantur auctores, multique alii sine dubio, sana & salutaris doctrina de fiducia in Christo, non autem in operibus, eorumve meritis ponenda, atque *inquisitoribus & expurgatoribus illis* (ut ipse Calixtus loquitur p. 311. Digress. de Arte nova) *non omnes obtemperent*. Quin immo Bellarminus non dicit, omnem, sed *aliquam fiduciam*, (per fiduciam autem intelligit spem roboratam & confirmatam) & quidem secundariam, in bonis meritis collocari posse, *modo superbia careatur*; & tandem tutissimum esse, *fiduciam totam in sola Dei misericordia* & benignitate reponere. lib. 5. de Iustif. c. 7. & Resp. ad Apol. Regis Angl. de Iur. fidel. prout verba allegantur

gantur a Titio in Ostens. summar. p. 144. Caeterum cum mitior de merito operum sententia, ut p. 311. audivimus, etiam inter Pontificios usitata sit, & multi loco *meritorum* ponant vocabulum *operum*, (vide testimonia a Gerhardo allegata) neque a Protestantibus negetur, ex bonis operibus hactenus bonam conscientiam oriri, quatenus certa electionis & vocationis nostrae sunt testimonia, & hoc sensu ab iisdem thesis bellarminiana admittatur, testibus C. Vorstio in Antibellarm. p. 642. Titio apud Dionys. Werl. in Via pacis 331. & in Cathol. Ehrenrett. p. 256. & apud Gul. Forbesium p. 188. Calvino, Chamiero, Pareo, an multum dubitare licet, *inutiliter*, ut iudicat Forbesius p. 189. *inter partes contendi?*

Etiam Pontificii] Fiduciam non esse in propriis meritis ponendam, testantur quoque Sidonius in Explicat. can. missae E ii. Volusius in Aur. pac. relig. 49. 167. N. a Z. in Comp. Veron. 13. & Consolat. morib. 105. 119. Iob. Philippus, Episcopus bambergensis, im Christl. Bet-Büchlein p. 121. b. 213. b. 214. b. 227. b. Hildesheim. Cathol. Gebeth-Buch p. 134. 153. 154. 158. Agenda Eccles. moguntin. A. 1599. p. 159. 181. Agenda colon. A. 1637. p. 107. 108. 116. 117. 293. 298. 300. 301. 303. 306. Manuale parochor. in provinc. salisburg. p. 330. 333. 334.

* * *

NOs agnoscimus duo tantum N. T. sacramenta, Baptismum & S. Coenam. Pontificii *adhuc V.* iis superaddunt, eaque etiam *a Christo instituta*, & *vere ac proprie sacramenta* esse profitentur, immo sub anathemate proponunt, Sess. VII. can. 1. de Sacram. in genere. Adde Cat. rom. A. Fabricii p. 183. 187. 194. 248. Sicut autem non negamus, V. illa in latiore significatione *sacramenta* dici posse: Chemnit. P. 2. E. C. T. p. 198. C. C. 1101. C. Franckius disp. de Num. sacram. N. T. §. 3. M. Ant. de Dom l. 7. c. 11. §. 5. quo etiam respexerunt Lutherus cum Philippo Melanch- *De Numero sacramentorum N. T.*

lanchthone, allegati in Amoen. theol. nostris p. 529. & C. Vorst. in Antibellarm. 362. 363. ubi notabile est, quod in Apol. Aug. conf. ad art. XII. & XIII. p. 167. & 200. Absoluti sacramentis *proprie & vere sic dictis* annumeretur: ita non tantum inter veteres doctores Rupertus tuitiensis & Hugo de S. Victore, sed etiam inter recentiores Pontificios Cassander, Bellarminus, Rayhingius, *fatentur*, duo esse *praecipua, principalia, eximia* salutis nostrae sacramenta, & reliqua non esse *proprie dicta* sacramenta. Vide Gerh. p. 1102. Neque etiam vel Concilium trid. vel Professio fidei in eod. exstans p. 451. omnia VII. sacramenta a Christo *immediate* instituta esse, teste Alberti in Exam. Profess. fid. trid. p. 203. dicere ausa est. Quid autem per *proprie dictum sacramentum* intelligant, petendum est ex Catech. rom. p. 171. ubi secundum Augustinum definitur sacramentum per *signum rei sacrae*, vel, secundum alios, eandem sententiam aliis verbis proferentes, *per signum invisibilis gratiae visibile, ad nostram iustificationem institutum*, seu, ut Bellarminus citat l. 1. de Sacram. in genere c. 11. p. 20. *per rem sensibus subiectam, quae, ex Dei institutione, sanctitatis & iustitiae tum significandae tum efficiendae vim habet. Signum* autem duplicem rem continet, materiam, quae elementum dicitur, & formam, quae verbum appellatur, secundum vulgatum illud Augustini: *Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum.* p. 181. *Rei* vero *sacrae* nomine, Dei gratiam intelligunt, quae nos sanctos efficit, ac omnium divinarum virtutum habitu exornat. p. 175. quam *gratiam iustificantem* (ex hypothesi de causa formali iustificationis, ad mentem Concilii trid. Sess. VI. c. 7.) vocant, eamque ex Eph. 5, 26. probant. p. 190. ubi etiam sanctificationis fit mentio. Vide Bossuet. p. 42. Quicquid vero huius sit, nostrates naturam

turam & requisita sacramentorum stricte & proprie dictorum ex Baptismo & S. Coena, consentiente ipsomet Bellarmino l. 1. de Poenit. c. 11. p. 392. colligentes, negant, V. illa superaddita, *tam esse sacramenta, quam baptismum & S. coenam*, & ex his duobus requisita sacramenti deducere satagunt, Chemn. p. 204. atque ideo aiunt, carere illa V. vel promissione gratiae, vel signo divinitus ordinato, vel utroque, praeterquam quod a Christo, ut illa proprie & stricte dicta, non sint instituta. Fabricius Syst. theol. 471. Reinhart. Synops. theol. chr. 233. Sic ergo pro diversitate sententiarum de requisitis, & hinc petita definitione sacramenti, vel duo tantum, vel plura numerari possunt vere ac proprie sacramenta. Kunckel 576. 579. 611. Walenb. tom. 2. 15. Audiatur denique iudicium G. Calixti in Consid. doctr. pontif. p. 23. *Esse VII. sacramenta*, inquit ille, *a Christo instituta, nec plura, nec pauciora*, sub anathemate definire, *temerarium. Definitus enim sacramentorum numerus, nec scriptura probari potest, nec consensu veterum.* Et Reinhartus l. c. *Immo vero*, ait, *tolerari posset septenarius etiam Pontificiorum, si quis nimium eo delectaretur*, ab anathemate *tamen abstineret, & , Graecorum exemplo, teste Metrophane in Confessione*, baptismi & eucharistiae insignem praeeminentiam *intactam simul relinqueret.* Et in Apol. Aug. conf. p. 202. dicitur: *Nemo vir prudens de numero aut vocabulo magnopere rixabitur, si tamen illae res retineantur, quae habent mandatum Dei & promissiones.*

Adhuc V.] Testimonia de V. reliquis sacramentis vide in libello des Reflexions sur les differends de la Religion P. 1. p. 159.

Cum Phil. Melanchthone] Qui tamen pro vere & proprie dicto sacramento agnoscit *Absolutionem*, in Apol. A. C. p. 200. & in Resp. ad Art. Bavar. quaest. 8. Id quod repetitur in den Catechism. Pred. Dodec. Norib. p. 1332. *Ordinem* pro ministerio verbi acce-

ptum

ptum, etiam in censum sacramentorum idem refert Melanchthon in Apol. A. C. p. 201. Actis Ratisbon. tom. IV. p. 713. & in Dispp. eiusd. tomi p. 505.

* * *

De Differentia sacramentorum V. & N. T. DE differentia sacramentorum V. & N. T. sic decernit Concil trid. Seff. VII. can. 2. ***Si quis dixerit, sacramenta novae legis a sacramentis antiquae legis*** non differre, nisi quia ceremoniae sunt aliae, & alii ritus externi, ***anathema sit.*** Et Bellarm. l. 2. de Sacram. c. 13. §. 1. ***Omnes Catholici***, ait, ***conveniunt, sacramenta veteris legis, quae proprie*** mosaica ***dicitur***, non contulisse gratiam ex opere operato, id est, ut paulo post declarat, ***non contulisse gratiam, sed illam*** solum significasse; ***sacramenta novae legis autem eam, ut significare, ita conferre.*** At maxima nostratium pars cum Chemn. P. 2. E. C. T. p. 206. Gerh. C. C. p. 1090. G. Calixto, aut Ludolpho Ludovici, in disp. de Sacram. in genere §. 5. & Dürrio in libb. symb. Nor. 212. statuit, etiam V. T. sacramenta fuisse efficacia media gratiae, remissionis peccatorum & salutis omnibus offerendae, ac credentibus conferendae. Alii tamen nostratium ab hac sententia abeunt, & contrariam, quae & Pontificiorum est, tenent, ut Horneius in Comp. theol. L. de Sacram. §. 18. 19. Hildebrandus Theol. dogmat. 588. & Fabricius Syst. theol. 468. asserentes, sacramenta V. T. aeque, ac typos, gratiam illam significasse tantum, fidem autem in Christum, eam praestitisse & contulisse, & huius fidei protestationem quandam fuisse sacramenta illa praedicta. At vero quid opus est verbis? ***Quomodo differant sacramenta V. & N. T. quaestio est minime necessaria***, ait G. Calixtus in Consid. doctr. pont. p. 23. Et porro: ***Nos id agamus***, ut sacramenta nostra, ***i. e. quae sub N. T. celebrari oportet***, recte & secundum

dum Christi institutum, & cum spirituali fructu & profectu nostro, *celebremus & peragamus*. Nam, ut recte, & approbante p. 39. Gui'. Forbesio, Bellarminus scribit, *ad fidem catholicam de sacramentis habendam, & ad eadem sacramenta fideliter ministranda, vel suscipienda, satis est, scire, quid necessario requiratur ad sacramentum celebrandum, & quae sint illa, sine quibus non perficitur sacramentum.* De Sacram. matrimonii l. 1. c. 6.

* * *

NOstri dicunt contra Concil. trid. Sess. VII. can. 8. de Sacram. in genere, sacramenta N. T. non conferre gratiam ex opere operato, sed ex parte utentis requiri fidem, mentemque suam sic explicant, sacramenta quidem *ex ordinatione & institutione Dei, esse media atque organa efficacia*, per quae Deus suam gratiam, remissionem peccatorum & salutem non solum offerat, sed etiam conferat, applicet, atque obsignet, *sed ad usum eorum salutarem* (in adultis) *requiri fidem*, qua gratia in sacramento oblata apprehendatur & acceptetur, aut iam possessa confirmetur & obsignetur: & hanc fidem Deum in infantibus per sacramentum initiationis efficere, non solum exterius repraesentando, sed efficaciter interius operando; Pontificios autem asserere, sacramenta valere & efficacia esse sine bono motu utentis, adeoque sine fide. August. conf. art. 13. Chemn. P. 2. E. C. T. 218. Gerh. C. C. 1086. Interim ipse Chemnitius fatetur, sententiam istam non esse omnium Pontificiorum, sed *quorundam* duntaxat *Scholasticorum*; alios autem inter Pontificios requirere in adultis, ad salutarem usum sacramentorum, etiam fidem, seu bonum motum; & nominatim citat Gropperum & Alphonsum (A Castro) sicut Gerhardus Wicelium & Bellarminum, p. 1086. Quibus adde Kunckelium p. 569. & Volus. Aur. pac. relig.

De Sacramentorum N. T. efficientia ex opere operato.

relig. 158. Sane Bellarminus l. 2. de Sacram. cap. 1. §. *Igitur* ait: *Sacramentum conferre gratiam ex opere operato*, *idem esse*, ac conferre gratiam ex vi ipsius actionis sacramentalis a Deo ad hoc institutae, *non ex merito agentis vel suscipientis.* Walenburchii similem dant expositionem tom. 2. p. 14. dum ita scribunt: *Per* opus operatum (*in Ecclesia rom.*) *intelligitur, quod sequatur gratia, ex vi ipsius actionis sacramentalis a Deo ad hoc institutae; non autem ex merito agentis, vel suscipientis. Quid autem est*, baptismum dare gratiam Spiritus S. (*ut loquuntur Protestantes*) *nisi vi baptismi, a Deo instituti, gratiam conferri?* Confer p. 33. Cassandri. Consult. 934. 950. 991. Kunckelium l. c. Estius in l. 4. Sentent. dist. 1. T. 4. p. 7. ostenso, quod non significetur ista phrasi, 1. *sacramenta ex natura & conditione operis*, effectum aliquem spiritualem producere: 2. ita valere ex divina institutione sacramenta, *ut in suscipiente nullam praeparationem*, nullum bonum cordis motum requirant: 3. sacramentis inhaerere vel inesse *virtutem aliquam creatam*, qua effectum mysticum operentur; indicat, hunc eius esse sensum, *sacramentum eo ipso, quo tale opus fit, valere*, non quidem in quantum naturalis quaedam actio est, *sed quatenus ad effectum gratiae divinam habet institutionem*, atque infallibilem *promissionem*. Ea autem promissio cum conditionalis sit, requirens in adultis debitam praeparationem, ait porro autor ille, *nullo modo consequi ex ea phrasi recte intellecta, secundum Catholicos sacramenta valere etiam absque bono motu suscipientis.* His adde Bossueti Expos. doctr. cath. Volus. 120. Le Févre 316. Vnde existimant Walenburchii l. c. Protestantes facile iudicaturos, nihil heic esse in doctrina catholica, quod merito reprehendant, immo quod ipsi non teneant. Quid? Ipsi Chemnitius & Gerhardus, audi-

audita Alphonsi & Bellarmini declaratione, fatentur, *si hoc vellent Pontificii, nullam esse controversiam.* Hoc autem velle, certum iam est, adeoque data expositio illius phraseos admitti potest. Cui iudicio accedunt G. Calixt. in Consid. doctr. pont. p. 23. Fabricius in Syst. theol. 469. Dannhauer. in Hodosoph. 1027. Carpzov. Isag. in lib. symbol. 410. Titius in disp. de Sacram. bapt. n. 13. Hildebr. in Theol. dogm. 582. F. V. Calixtus in Demonstrat. liquidiss. 264. Fr. Luc. Reinhart. in Synops. theol. christ. 253. & ex Reformatis Guil. Forbesius p. 465. Neque absonum est, quod scribit autor libelli gallicani, cui titulus, Preservatif contre le changem. de la relig. p. 174. *controversias, concernentes efficaciam & modum agendi, quem habeant sacramenta, esse maxime metaphysicas.*

* * *

AD leviores controversias pertinent illa de charactere, de intentione ministri sacramentum peragentis, de baptismate Iohannis, deque fide infantum. De prima agit Conc. trid. Sess. VII. can. 9. de Sacram. in genere, Chemn. P. 2. E. C. T. 221. Gerh. C. C. 1095. Calixt. C. D. P. p. 24. Titius disp. de Sacram. baptismi, n. 13. Hildebr. Theol. dogm. 612. E quibus notandum, quod ex confessione Bielis, *characterem* (per quem intelligunt signum spirituale & indelebile animae impressum, vel qualitatem internam, qua homo Christo configuratur, ad cultum divinum idoneus redditur, & ab aliis speciali nota distinguitur: eumque tribuunt sacramentis, Baptismo, Confirmationi & Ordini, atque inde rationem volunt deducere, quod sacramenta illa 3. iterari nequeant) *nec ratio necessaria demonstret, nec auctoritas* (S. scripturae, & Patrum Ecclesiae) *probet*; quodque initerabilitas baptismi, non characteri, sed ratio- *De Charactere.*

ni divinae institutionis sit tribuenda. Gerh. C. C. 27. Tannerus tom. 4. Theol. schol. allegatus a Gerh. p. 1097. dicit, Vazquezium cum Soto sensisse, quod sententia negantium characterem, non sit omnino improbabilis.

* * *

De intentione ministri.

DE secunda Concil. trid. l. c. can. 11. Chemnit. p. 223. Gerh. 1080. 1105. Calixt. 24. & Amoen. nostrae theol. 529. Scilicet intentio ministri sacramentum conficientis & conferentis, est necessaria ad actus sacramenti maxime principales, e quibus sacramenti forma constat, ne quid omittatur aut perverse fiat, & contra Christi institutionem; non autem ad veritatem, integritatem & effectum sacramenti. Et hanc sententiam multi tenent inter Pontificios: neque aliud intendit Concilium tridentinum, ut prolixe satis ostendit Iacobus Le Févre p. 322. & seqq. Cui adde Le Protest. pacif. p. 72.

* * *

De Discrimine baptismi Ioh. & Christi.

DE tertia Conc. trid. Sess. VII. can. 1. de Bapt. Chemnit. 230. Gerh. C.C. 1122. Hildebr. Theol. dogm. 617. Walenburchii non negant, baptizatos a Iohanne, accepisse remissionem peccatorum, quia baptismus eius erat baptismus poenitentiae, sed *effectum formalem baptismatis Christi esse aliquid amplius*, videlicet iustificationem nostri, eamque non consistere in sola remissione peccatorum, sed (ut ex hypothesi sua loquuuntur, de qua etiam legi potest Guil. Forbesius p. 61. & seq.) in nostra regeneratione, & sanctificatione; & probationis loco adducunt dicta Tit. 3, 4. & Rom. 6, 3. tom. 2. p. 401. 402. Equidem Patres nonnulli identitatem baptismatis Ioh. & Christi negarunt; nec desunt tamen ex iis, qui dissentiant, ut Basilius, Prudentius, Ambrosius, & ipse Augustinus: quorum verba adducit Vossius disp.

disp. IIX. de Baptismo n. *16.* Interim putant Protestantes, Tridentinos, non sine temeritate, alteram sententiam *definivisse.* G. Calixt. C. D. P. 25. Voss. l. c. n. 23. Fabricius System. theol. 476. Caeterum si phrasis, ***igne & spiritu S. baptizare***, quae usurpatur Matth. 3, 11. intelligatur de miraculosa donorum Spiritus sancti peculiarium effusione in Apostolos, quando super eos, in die pentecostes primae christianae, sub specie ignis descendit Spiritus sanctus, prout eam exponit Christus Act. 1, 5. & inter nostrates Chemnitius ac Rauppius in annot. ad illum Matthaei locum, utique fatendum, baptismum Iohannis cum tali baptismo eandem vim non habuisse.

* * *

DE quarta Concil. trid Sess. 7. can. 13. de Bapt. p. 88. Chemn. E. C. T. part. 2. p. 245. Gerh. C. C. 1116. Calixt. C. D. P. 26. Fabricius System. theol. 484. Hildebr. Theol. dogm. 676. Qui omnes in eo consentiunt, quod ***infantes per baptismum accipiant fidem*** eo, quod regenerantur, immo & in descriptione fidei illius consentiunt: quamvis Gerhard. ***actualem***, Hildebrandus autem ***habitualem*** fidem iis tribuat: uterque enim per fidem infantum non intelligit nisi pios motus, quos Spiritus S. in baptizatis infantibus excitet; uterque etiam concedit, fidem infantum variis rationibus differre a fide adultorum, neque eam, ***ut in adultis***, cum usu rationis esse coniunctam, immo ***eius modum*** esse inexplicabilem. Pontificii autem, quando dicunt, infantes non habere fidem actualem, sed eos credere fide aliena, & ipsa susceptione baptismi, S. Augustini sententiam sequuntur, & per ***fidem actualem*** intelligunt talem, qualis est in adultis. Fabricius 490. Qui etiam p. 492. docet, ***non opus esse determinare quid de modo fidei infantum***, cum praxin, propter

De fide infantum.

quam est doctrina de Sacramentis, non iuvet: omnes enim partes, quae de fide infantum disputant, eos ad baptismum offerunt, & offerendos esse profitentur.

* * *

De Transsubstantiatione. DE Transsubstantiatione docetur in Conc. trid. Sess. 13. cap. 4. &. can. 2. & Profess. fid. cathol. p. 451. per consecrationem fieri conversionem totius substantiae panis in corpus, & totius substantiae vini in sanguinem Christi, idque *semper* in Ecclesia Dei sic persuasum fuisse. Non autem huc pertinent sequentia, 1. Transsubstantiari panem in corpus Christi, *sicut panis, quem comedimus, transsubstantiatur in corpus nostrum*; aut per transsubstantiationem fieri, ut *materia panis incipiat esse sub forma corporis Christi.* 2. Transsubstantiationem fieri ex eo, quod *de novo producatur corpus Christi, aut conservetur.* 3. Panem & vinum per consecrationem *annihilari.* 4. Corpus Christi huic sacramento *non potuisse praesens fieri absque conversione panis in ipsum.* Veron. in Reg. fid. cath. §. 12. & autor Comp. Veron. p. 85. Iidemque docent, quamvis transsubstantiatio panis & vini sit vera & proprie dicta conversio, *non esse* tamen *conversionem formalem*, qua subiectum, destructa una forma, acquirat aliam, qualis fuit virgarum in serpentes, Ex. 7, 10. & aquae in vinum, Ioh. 2, 9. sed cum Vazquezio sentiunt, rationem formalem transsubstantiationis, neque esse mutationem, neque productionem alicuius rei, sed *relationem quandam ordinis* inter substantiam, quae desinit, & eam, in quam desinere dicitur, atque adeo transsubstantiationem nihil addere praesentiae corporis Christi, nisi desitionem panis, virtute significationis verborum, seu quo verba Christi sint vera. Supponunt enim, *vera illa esse non posse*, nisi efficiant corpus & sanguinem Christi praesentia sub speci-

ſpeciebus, & deſtruant panem & vinum. *Transſubſtantiatio*, ut ſcribunt Walenburchii, ***nihil addit praeſentiae Chriſti niſi panis deſitionem, cum ordine & relatione ad verba Chriſti, quo ea verificentur.*** tom 1. 617. Vide etiam tom. 2. 28. p. 347. Voluſius ait, ***transſubſtantiationis terminum adhiberi ad veram & realem corporis & ſanguinis Chriſti praeſentiam ſignificandam.*** In Aur. pac. rel. 119. Cui etiam conſentit Sam. Parkerus, Epiſcopus oxonienſis, in Actis Erudit. A. 1688. p. 571. At vero noſtrates negant transſubſtantiationem. Chemn. P. 2. E. C. T. 271. Gerh. C. C. 1139. & L. de S. Coena §. 119. & ſeqq. Vbi quidem nolumus facere cum illis, qui aiunt, ***eam eſſe impoſſibilem:*** (ſanius enim philoſophati ſunt viri inter noſtrates & Reformatos eruditi, citati a Guil. Forbeſio p. 388. & a Iacobo Le Fevre p. 131.) neque cum iis, qui negant, ***dogma transſubſtantiationis receptum eſſe apud Graecos recentiores:*** (contrarium quippe oſtendunt Walenb. tom. 2. 29. Le Févre 141. R. Simon in Actor. Erudit. Suppl. p. 75. Metrophanes in Conf. eccleſ. orient. 100. Guil. Forbeſ. 412. Elias Veielius in diſſert. de Eccleſ. graeca p. 46. & Thomas Smith de Statu hod. eccl. gr. 135.) ſed quia 1. non poteſt ſolide probari ex ſcriptura ſacra. Certe vera eſſe poſſunt Chriſti ſacramentum euchariſtiae inſtituentis verba, etiamſi non ſtatuatur transſubſtantiatio. 2. quia haec doctrina multo eſt recentior, quam ut dici poſſit, *ſemper* in eccleſia fuiſſe traditam. Chemn. & Gerh. II. cc. G. Calixt. C. D. P. 28. & in diſp. de Transſubſtant. §. 12. Guil. Forbeſ. 397. Nam Innocentius III. in Concilio lateranenſi, anno 1215. habito, primus fuit, qui eam credendam, adeoque pro articulo fidei, ***temere*** quidem, iudice Tonſtallo apud Guil. Forbeſium p. 408. ***& inconſiderate*** determinavit, attamen ſine anathematis fulmine, quod demum Concilium tridentinum

num vibrare ausum est. Interim pro haeretica & fundamentum fidei evertente, eam dubitant habere, qui moderatioris sunt ingenii, ut Parkerus l. c. Guil. Forbesius 411. & alii, quos vel ille citat, vel Le Févre p. 136. Quaestio est duntaxat *de modo*, ac proinde tota controversia hac de re inutilis & inanis, ut videtur iudiciosissimo & candidissimo Guil. Forbesio p. 412. Atque optandum esset, ut nulla Christianorum pars modum praesentiae Christi determinaret, sed omnes simpliciter verbis Christi acquiescerent. M. Ant. de Dominis l. 7. de Rep. eccl. c. 11. §. 8. Thom. Smith de Eccl. gr. statu hod. 136. & Defens. huius script. p. 24. atque Amoenit. nostr. theol. p. 281. Obiicitur autem

1. Antiqui Patres ecclesiae, transsubstantiationem profitentur. Walenb. tom. 2. p. 28. ℞. Eorum dicta quam optime intelligi possunt de sacramentali mutatione symbolorum. Chemnit. 276. G. Calixt. disp. de Transubst. §. 12.

2. Verba illa, *Hoc est corpus meum*, *H. E. S. M.* necessario inferunt aut veram mutationem panis & vini, ut volunt Catholici, aut metaphoricam, ut volunt Calvinistae. ℞. At quidam ex ipsis Pontificiis fatentur, transsubstantiationem non posse probari ex scripturis. Gerh. C. C. 1143. 1152.

3. Probari potest ex Ioh. 6, 52. & seq. ℞. Multi ex ipsis Pontificiis fatentur, in hoc cap. non de sacramentali, sed spirituali manducatione & bibitione agi. Gerh. C. C. 1189.

4. Manna non saporem tantum, sed etiam substantiam ad votum comedentium mutavit, adeo ut si quis vellet comedere ovum, gallinam, aviculam &c. mox verteretur in illum, cui inhiabat, cibum, secundum Sap. 16, 21. ubi adhibetur verbum μετεκιρνᾶτο, *transtemperabatur*. Manna autem, in eo fuit typus transsubstantiationis. ℞. 1. cum Cornelio a Lap. in Ex. 16. Sententia haec nova est, & caret fundamento solido. 2. Miraculum illud a Mose non annotatur. 3 Ex apocrypho libro apodictice probari

bari nequit. 4. Moses certum saporis genus, videl. ut similae cum melle, mannae tribuit. 5. Si manna exhibuit omnem saporem, cur Israëlitae desiderarunt cucumeres, pepones, allia, pisces, carnes? Num. 11. 6. Per coctionem & praeparationem manna varios acquisivit sapores. 7. Quidam sic intelligunt, quod manna, *piorum* gustui se attemperarit, cum impii nauseam inde aciperent, Num. 11. 8. Si vel maxime de manna ista vis concederetur; non valet tamen inde conseq. ad transsubstantiationem, ***quia ex solo sensu literali ducuntur firma argumenta***, docente Bellarmino ipso l. 3. de V. D. c. 3. Gerh. C. C. 1155.

Qui negant, transsubstantiationem receptam esse apud Graecos recentiores] Inter quos numerantur Chemnit. P. 2. E. C. T. 278. G. Calixt. disp. de Transsubstant. §. 69. Vide tamen Veielium l. c. & ex eo Fehlavii Annot. ad Christoph. Angelum p. 435. Enim vero celebertimus Veielius Chemnitio contra Arcudium suppetias ferre studet, ostendens, in Concilio florentino non fuisse quaestionem, an panis vere & substantialiter mutetur in corpus Domini, sed quibusnam verbis ineffabilis illa fieret mutatio? Graecos enim vim transsubstantiandi orationibus magis & illapsui Spiritus sancti, quam verbis & syllabis consecratoriis adscripsisse.

* * *

DE panis eucharistici repositione & asservatione Concilium trid. Sess. XIII. cap. 6. statuit, ***retinendum omnino*** salutarem ***hunc & necessarium morem reponendi & asservandi sacramentum***: & can. 7. pronuntiat anathema contra eum, qui dixerit, ***non licere eucharistiam in sacrario reservari, sed*** statim post consecrationem ***astantibus necessario distribuendam.*** Fundamentum hujus asservationis est opinio transsubstantiationis, & praesentiae Christi in pane, simul ac pronuntiata sunt a sacerdote haec verba: *Hoc est **corpus meum***, H. E. S. M. Vid. G. Calixt. C. D. P. p. 28. Hinc

De Hostiae consecratae repositione & asservatione.

Concil. trid. Sess. 13. c. 3. ait, *illud in eucharistia excellens & singulare reperiri, quod reliqua sacramenta tunc primum sanctificandi vim habent, cum quis illis utitur: at in eucharistia ipsum sanctitatis autorem ante usum esse.* Nostrates autem negant, panem eucharisticum esse corpus Christi ante usum a Christo institutum, & per consequens, repositionem & asservationem sacramenti esse necessariam. Chemnit. P. 2. E. C. T. 267. Gerh. C. C. 1156. & L. de S. Coena §. 191. Nempe dicunt, 1. Symbola consecrata, statim esse distribuenda, atque a communicantibus sumenda. 2. Nihil habere rationem sacramenti extra usum a Christo institutum: nomine *usus* autem intelligendam esse totam & integram illam actionem, quae in verbis institutionis commemoratur & praescribitur, videlicet consecrationem, fractionem seu distributionem, & sumtionem seu manducationem & bibitionem. 3. Praesentiam corporis & sanguinis Christi in S. coena non initio, nec medio, nec fini actionis sacramentalis, sed toti actioni a Christo institutae, vel potius ipsi institutioni & ordinationi Christi, quae, per actionem ab ipso praescriptam, observatur, repetitur & quasi renovatur, acceptam ferendam esse. Gerh. l. c. C. C. Nec tamen in hoc sunt difficiles, asservari posse hostias consecratas *modico tempore, in usum aegrotorum*, quale quid veteri ecclesiae fuit aliquantisper in more positum: sed addunt, *convenientius esse, & ad commemorandam mortem Christi efficacius*, integrum ritum coenae in domibus infirmorum celebrare. G. Calixt. C. D. P. 29. & in disp. de Transsubstant. §. 58. Fabricius Syst. theol. 524. Ac bene se habet, quod etiam ex Pontificiis quidam, allegati a Gerhardo p. 1157. fateantur, repositionem & asservationem sacramenti, *nec dominicae institutioni* esse conformem, *nec in primitiva ecclesia* usitatam

tatam

tatam fuisse, certe non eam, quae fit eum in finem, ut theatrica subsequatur circumgestatio, & adoratio. Tollatur igitur (ut cum Guil. Forbesio p. 417. concludamus) *abusus* hodiernae Ecclesiae romanae, semel consecratam hostiam in ciboriis, *ad circumgestationem & theatricam pompam*, asservandi; ut quae non minus extra communionem, quam in ipsa communione, vel relatione ad eandem, verum & substantiale Christi corpus est & remanet, quam diu scilicet ipsae species durant; (nolo addere & hoc, quod addit Forbesius: *quibus forte corruptis, etiam corpus & sanguis Domini evanescant*; quia hoc est extra fidem, ut docet Veronius de re simili, in Reg. fid. cath. c. 2. §. 11. n. 4. p. 28.) & haec controversia tolli potest, non damnata *veteris Ecclesiae praxi* in asservatione, quae tunc obtinuit. Neque enim negari potest, etiam in veteri Ecclesia *reservatam fuisse* eucharistiam, primo quidem a fidelibus privatim & domi; quod deinde prohibitum a Concilio caesaraugustano 1. can. 3. A. 381. & Toletano 1. can. 14. A. 406. deinde a sacerdotibus *in pastophorio*, (de qua voce vide Bellarm. l. 4. de Sacram. euchar. c. 4. §. 1.) itemque viguisse *delationem* eius ad absentes & aegrotos. p. 435. Notandum etiam est dictum Bellarmini in l. 4. de Sacr. euchar. c. 5. p. 162. *Primarius finis servandi eucharistiam semper fuit, & est*, manducatio: *servatur enim potissimum ob viaticum infirmorum. Interim autem, dum non consumitur, nihil prohibet, sumere ex eo alias utilitates, ut Patres fecerunt.* Confer c. 2. sect. *Respondeo dupliciter*, p. 157. & 161. Sed eas, quaecunque sint, Cardinali defendendas relinquimus.

* * *

DE Adoratione eucharistiae Professio fidei cathol. nihil quidem habet distincte, at Concil. trid. Sess. XIII. c. 5. *De Adoratione eucharistiae.*

Uu 2 & can.

& can. 6. expresse dicit, *latriae cultum, qui vero Deo debetur, huic sanctissimo sacramento in veneratione exhibendum, Christumque in sancto eucharistiae sacramento esse cultu latriae etiam externo adorandum.* Nostrates (quorum testimonia adducit P. Dionys. Werl. im Meß-Berichter P. 1. 93. & seq.) non negant, Christum in eucharistia adorandum esse, sed hoc improbant in Pontificiis, quod 1. *ipsum sacramentum eucharistiae, seu totum illud*, quod a Domino, ut sumatur, institutum est, cultu latriae adorandum esse dicant; unde sequatur, quod etiam terrena elementa, panis & vinum, sint adoranda: 2. adorationem panis etiam *extra usum*, seu extra illam actionem, quam Christus in institutione ordinavit & mandavit, stabilire laborent: 3. huic externo cultui, *etiam sine vera poenitentia & fide, tribuant nescio quae merita.* Chemn. P. 2. E. C. T. 279. Gerh. C. C. 1196. adeoque haec sit quaestio: *An species panis & vini cum Christo*, quem extra usum sub iis praesentem fingunt, coadorandae, h. e. cultu latriae, qui vero Deo debetur, afficiendae sint? G. Calixt. disp. de Transsubstant. §. 60. Hildebr. Theol. dogm. 808. Alberti in A. C. 391. Zeidler. in Luthero def. 883. Sed Pontificii non adorant *species sacramentales seu symbola*, multo minus *cultu latriae* ea prosequuntur, vel *religioso*, aut *eodem*, qui Christo defertur; neque statuunt *duas adorationes*, unam Christi, quae sit absoluta, alteram symbolorum, quae sit relativa: (quanquam de hac disputarint Scholastici quidam) neque *duplex ista adoratio iniungitur a Concilio trid.* sed post consecrationem non agnoscunt *aliam substantiam, quam I. Christum*; quare nec aliam ibi adorant, nec possunt adorare: per *sacramentum*, cui latriae cultum exhibendum dicit Concilium tridentinum, intelligitur Christus symbolis vestitus: isque *sacramentum* dicitur, quia est

res

res sacramenti, (quomodo etiam Lutherus Christum vocavit *sacramentum*, in Exam. 32. Artic. Theologor. lovan. §. 15. tom. 8. ien. germ. p. 381. quem locum sine dubio intelligunt Walenburchii tom. 2. 323. expresse autem indicat P. Dionys. Werl. im Meß-Berichter P. 1 94.) & in sacramento, ut causa gratiae reperitur. Si quis autem per *sacramentum*, quod adorandum dicitur, vellet intelligere species sacramentales, tunc id fieri non posset, nisi per synecdochen, h. e. ratione Christi, sub illis, si ita loqui licet, contenti; adeoque *unicam* agnoscunt *in eucharistia adorationem*, eamque *absolutam*, Christo, ut θεανθρώπῳ, competentem. M. Anton. De Dominis l. 7. de Rep. eccles. c. 11. n. 7. Walenb. tom. 2. 37. 321. Bossuet E. D. C. c. 13. p. 76. Veron. R. F. C. 95. & Comp. Veron. 95. Kunckel 751. Volus. 49. Le Protestant pacif. 106. Le Févre 142. & Guil. Forbes. 438. Negant etiam, phrasin istam, *Totum sacramentum est adorandum*, si sub ea comprehendantur quoque species, (quicquid sit de Scholasticis doctoribus) romanae esse Ecclesiae. Walenb. tom. 2. p. 322. 324. Porro & ipsi requirunt *dignam communicantium praeparationem* per poenitentiam & fidem. Concil. trid. Sess. 13. c. 7. 8. & can. 11. Catech. rom. Andr. Fabricii p. 299. 305. 361. Wicel. V. R. 20. Cassander Consultat. 985 992. Walenb. tom. 2. p. 24. Guil. Forbes. 465. Chemnit. E. C. T. part. 2. 291. & Fabricius Syst. theol. 470. nec non *humilem de se ipsis existimationem*. Catech. rom. 306. Et observandum est, sicut Lutherus per *fidem*, ad dignam praeparationem requisitam, non exclusit poenitentiam & studium abstinendi a peccatis pieque vivendi, (de quo vide Chemnit. p. 294. & Calixt. C. D. P. 29.) ita nec Pontificios fidem omnem excludere, sed solam duntaxat, seu *solitariam*, & a pio proposito ac caritate separatam. Concil. trid. Sess. 13.

can. 11. Perperam igitur, iudice Guil. Forbeſio, ἀρτολατρεία Romanenſibus tribuitur. p. 439. Sic etiam ſtatuit Sam. Parkerus in Actis Erud. A. 1688. p. 573. & Ruar. Epiſt. P. 1. 9. Conſuetudinem vero, qua panis euchariſtiae in publica pompa, praecipue in feſto Corporis dominici, quod Germani appellant den Frohnleichnams-Tag / conſpicuus circumfertur, ac paſſim omnium hominum oculis ingeritur, cum Caſſandro & Eraſmo, praeter veterum morem & mentem, haud ita longo tempore inductam & receptam eſſe, pronuntiat idem Forbeſius p. 443. Feſti enim illius inſtitutor fuit Vrbanus IV. circa annum Domini 1260, ut refert Chemnit. p. 281. vel, iuxta Onuphrii ſupputationem, 1264. Attamen conſtitutio haec Urbani, non ſtatim accepta fuit ab omnibus, niſi cum Clemens V. A. 1311. in ſynodo vienneníi eam confirmaret. In cuius bulla tamen, quae reperitur in Clementinis l. 3. tit. 16. nulla prorſus fit mentio circumgeſtationis & oſtentationis, neque etiam ſpectaculi & pompae; ſed finis illius feſti ita explicatur, ut moneantur *homines ſtudere, ſe taliter praeparare, quo huius pretioſiſſimi ſacramenti mereantur fieri participes illa die, poſſintque ipſum ſuſcipere reverenter, ac eius virtute augmentum conſequi gratiarum.* Haec ſunt verba Bullae, ſubiungit p. 282. Chemnitius, in quibus manifeſte dicitur, propter uſum & participationem ſeu communionem ſolenniorem inſtitutum primo fuiſſe illud feſtum: & in illo uſu, in quo debita reverentia & devotio requiritur, gratias agendas eſſe Chriſto, pro immenſo hoc beneficio, quod corpus ſuum in cibum, & ſanguinem in potum nobis tribuit. Idemque ante Chemnitium obſervavit Caſſander in Conſult. p. 985. G. Calixti iudicium de adoratione & circumgeſtatione panis conſecrati, legatur apud ipſummet in C. D. P. p. 28. & diſp. de Trans-

Transſubſtant. §. 60. 71. atque obſervetur, *adorabilitatem Chriſti*, ſecundum Pontificios, non pendere ita a transſubſtantiatione, ut, ſi ibi alio modo eſſet praeſens, non foret adorabilis, ſed eam provenire *a reali praeſentia*; nec eos *panem* adorare, ſed Chriſtum, ut docent Walenb. tom. 2. 344. 346. & Caſſand. in Conſult. 984. Caeterum quaeſtiunculas de vino aqua temperando in ſacro calice, deque fractione panis, omittimus cum Gul. Forbeſio p. 437. quum parum momenti in iis ſitum ſit.

Adorationem panis etiam extra uſum] Chriſtus in uſu ſacramenti poteſt adorari, ſed non extra uſum. Matth. Bochart. in Diallact. 94. & Ponetus in Diallact. p. 112. nam & veteres adorabant, quum acciperent. Idque Auguſtini, Euſebii emeſeni, (vel potius alius ſcriptoris, qui ſub iſto latet nomine) Chryſoſtomi, Ambroſii & Theodoreti teſtimoniis probat, p. 108. Adorabant autem non ſignum externum, ſed internam virtutem. p. 109. Quid vero Pontificii pro adoratione, quae fit extra uſum ſacramenti, excipiant, inter alios videri poſſunt Walenburchii T. 2. 344. & Le Févre p. 154. Veteres, euchariſtiam accipientes, ſteterunt, nec in genua procubuerunt, non id negante Boſſueto in libello, cui titulus, *Explication de quelques difficultez ſur les prieres de la Meſſe*, §. 32. Id quod etiam refertur in Actis Erudit. A. 1690. p. 6.

Den Frohnleichnamstag.] Frohn eſt antiquum germanicum vocabulum, quod ſignificat fürnehm / köſtlich / herrlich. Vnde primarium altare, vocatur Frohn-Altar. Itaque Frohnleichnam idem eſt, ac der köſtliche Leichnam. Hildebrand. in Theol. dogmat. c. 20. §. 91.

Eam provenire a reali praeſentia] Hanc ob cauſam Epiſcopus condomenſis noluit operam ponere in probatione faciendae huius adorationis, ſed dicit: *Huic de adoratione quaeſtioni ideo non immoror, quod ex adverſariis doctiſſimi quique & prudentiſſimi, dudum id nobis conceſſerint, efficere Chriſti in euchariſtia praeſentiam, ut ibi ab iis, quibus id perſuaſum ſit, merito adoretur.* E. D. C. c. 13. p. 76. Pro quo teſtimonia alle-

allegat Le Févre p. 143. & seqq. ex Luthero, Calvino, Beza, Sadeele, Zvinglio, Melanchthone, Hospiniano, Zach. Vrsino, & pluribus aliis.

Nec eos panem adorare, sed Christum] Hoc etiam fatetur David Tilenus, in Paraen. ad Scotos c. 12. scribens: *Ignorant Angli discrimen, quod est inter Christum & Christi sacramentum; quod ne Pontificii quidem ignorare videri volunt, tametsi hi panem adorant, in corum scilicet mente, qui negant Christum in eucharistia praesentem esse, non tamen panem adorandum esse dictitant, ideoque nondum consecratum panem populo ostendi vetant, ne ab imperita plebecula temere adoretur. Sed neque post consecrationem in transsubstantiationis tragelapho accidentia sive subiecta, sed solum Christum adorari docent.* Similiter Dallaeus Apol. p. 66. cuius verba lubet dare latino sermone: *Si subiectum, quod dicitur* sacramentum eucharistiae, *in substantia sua non est panis, prout nos credimus, sed corpus Christi, quemadmodum illi* (Pontificii) *persuasi sunt; evidens est, posse & debere adorari eo, quod corpus Christi est subiectum aliquod adorabile.* Et pag. 89. idem subiungit: *Ponamus, dum Christus in terris versabatur, fuisse aliquem facie prorsus ei similem, & Apostolorum quendam, similitudine vultus & personae deceptum, adorasse illum hominem pro Domino suo; fateor, in hoc casu errorem istum excusari potuisse, veniaque fuisse dignum: e contrario autem nimium futurum fuisse rigorem, si quis illam actionem habere voluisset pro cultu criminali & idololatrico, qualis est adoratio creaturae.* Hisce addere possumus Amesium, qui nec potuit, nec voluit negare, quod Bellarminus inficietur, symbola eucharistiae adorari cultu latriae, eiusque sententiam seu explicationem, ut decet virum ingenuum, admittit. Sic enim in Bellarmino ener. v. T. 3 de Sacram. euchar. c. 8. scribit: Bellarm. *Symbola externa per se & proprie non sunt adoranda cultu latriae, sed solum veneranda cultu quodam minore, qui omnibus sacramentis convenit.* Protest. *Si per* cultum minorem *intelligit Bellarminus aestimationem & usum reverentem, tum nos habet hactenus assensores.* p. 131.

Syno-

Synodus trid. Sess. XXI. cap. 1. declarat ac docet, nullo divino praecepto laicos, & clericos non conficientes, seu missam eo tempore, quo synaxi fruuntur, non celebrantes, obligari ad eucharistiae sacramentum sub utraque specie sumendum; neque ullo pacto, salva fide, dubitari posse, quin illis alterius speciei communio ad salutem sufficiat. Rationes huius asserti affert sequentes, quia 1. *Christi institutio & traditio non eo tendant*, ut omnes Christi fideles, statuto Domini ad utramque speciem accipiendam adstringantur. 2. *ex Iohannis 6.* non possit recte colligi, utriusque speciei communionem a Domino praeceptam esse, eo quod ibi non minus panis & carnis suae solius, quam eorundem cum sanguine suo mentionem faciat, cap. 1. 3. progressu temporis *Ecclesia mutaverit consuetudinem communicandi sub utraque*. cap. 2. 4. etiam sub altera tantum specie *totus atq; integer Christus*, verumque sacramentum sumatur: ac propterea, quod ad *fructum* attinet, nulla gratia necessaria ad salutem ii defraudentur, qui unam speciem solam accipiunt. cap. 3. idemque repetit in can. 1. 2. 3. Et in Professione fid. cath. p. 452. unusquisque fateri tenetur, etiam sub altera tantum specie *totum atque integrum Christum, utrumque sacramentum* sumi. His adde Catech. rom. Fabricii p. 289. & 310. Walenb. tom. 2. 37. 356. Kunkel. 393. E contrario docent nostrates, non minus laicis, quam clericis, cum pane benedicto etiam vinum consecratum porrigendum esse. Aug. conf. art. 1. Abus. p. 21. & ad hunc *De Communione sub utraque.*

Xx Apol.

Apol. A. C. p. 233. Chemn. P. 2. E. C. T. 299. Gerh. C. C 1165. & L. de S. Coena §. 31. C. Franckius disp. de Commun. sub utraque spec. Et facile responderi potest ad rationes a Tridentino adductas, & quidem ad 1.) Mos communicandi sub utraque specie, habet mandatum Domini, Matth. 26, 27. *Bibite ex hoc omnes.* En tale ac tantum mandatum, quale & quantum dabatur paulo ante de sumendo pane benedicto. ωσαύτως, *similiter* mandavit bibitionem, sicut manducationem, Luc. 22, 20. 1. Cor. 11, 25. G. Calixt. disp. contra Commun. sub una p. 146. Excipit autem Becanus, 1. Distinguendum est *inter institutionem & mandatum*, cum possit quid institutum esse a Deo, quod tamen non omnibus sit mandatum, ut Matrimonium & Ordo ecclesiasticus. ℞. Nos ultro concedimus, non omnibus promiscue praecepta esse, quae sunt divinitus instituta. Qui tamen aliquid a Deo institutum suscipere vel peragere volunt, iis omnibus mandatum est, quicquid spectat ad illius officii vel status aut actus rectitudinem. Quamvis igitur Matrimonium & Ordo ecclesiasticus non sint omnibus imperata, illi tamen, qui in eos status se recipere volunt, institutionis divinae normam observare tenentur, nempe, ut pro praesente una coniuge sint contenti, atque ut apti sint ad docendum, ac virtutibus praediti. Sic, licet communio non sit omnibus hominibus praecepta, e.g. infantibus, furiosis, infidelibus, impoenitentibus; quicunque tamen idonei sunt, & communione volunt frui, non minus calicem, quam panem sumendi praecepto sunt obstricti. 2. *Vesperi* & post peractam coenam instituit Christus eucharistiam: neque tamen nos haec Christi institutio obligat ad eam sub idem tempus sumendam. ℞. Id fit propterea, quia Christus non instituit, iussitve, ut & nos vespertino tem-

tempore, nec alio, celebremus. 3. Id dictum fuit *Apostolis, ut sacerdotibus.* ℞. Immo, ut Ecclesiam repraesentantibus. Alioqui ne quidem panis esset laicis communicandus. Paschasius Rudbertus, qui vixit seculo IX, per vocem *omnes*, quos Christus iussit ex calice bibere, intelligit *tam ministros, quam reliquos credentes.* Vide Cassandrum p. 1043. Notandum etiam, quod Apostoli tunc non fuerint conficientes: & nihilominus iis Christus dedit calicem. Cur ergo excludantur a benedicti participatione calicis clerici non conficientes? Ad 2) Probabilius est, in integro cap. 6. Ioh. agi de manducatione spirituali, non sacramentali. Si tamen etiam de hac, saltem sub finem capitis, sermo esset, non tamen communio sub una inde probari posset, sed in vocibus *panis & carnis* subintelligenda esset synecdoche partis pro toto: sicut reliqua verba ostendunt, ubi & *sanguinis bibendi* fit mentio. Ad 3) Consuetudo illa non adeo est vetus, quippe cuius origo pertinet ad tempus Concilii constantiensis. Antea per totos 1000. annos communicatum fuit sub utraque, testibus Cassandro, Lindano, & Soto apud I. Fabricium in not. ad Conciones super Aug. conf. 568. Vide etiam Cassandr. p. 218. 248. 1020. 1105. Ad 4) Christus quidem integer & totus est sub specie panis *naturaliter*, sive secundum substantiam integram, quia corpus eius cum pane sumtum, est vivum ac sanguine praeditum, sed *non sacramentaliter*, quia seorsum voluit dare darique iussit sanguinem suum sub vino. Vide Alex. Alensis & Thomae verba apud Fabric. l. c. p. 572. Qua de re inconstanter & contra mentem veterum loquitur Aug. Gibbon de Burgo in Luth. Calv. reconcil. p. 299. & 305. Non itaque integrum est, secundum Christi institutionem & mentem, sacramentum, si sub una duntaxat specie datur. Interim dicimus

cimus cum Apol. A. C. *Nos quidem* Ecclesiam excusamus, *quae hanc iniuriam pertulit, cum utraque pars* (sacramenti) *ei contingere non posset: sed autores, qui defendunt, recte prohiberi usum integri sacramenti, quique nunc non solum prohibent, sed etiam utentes integro sacramento excommunicant & vi persequuntur, non excusamus.* p. 235. Videatur I. C. Durr. in Isag. in libros norm. p. 67. 115. Chytraei Hist. A. C. 246. 254. 270. 275. Theologor. rintelens. Epist. apol. 149. & Hildebr. Theol. dogm. 839. Ad 5) Vtimur verbis Thomae aquinatis in caput XI. 1. ad Cor. lect. 5. ***Traditur hoc sacramentum sub duplici specie propter tria: I. quidem propter eius perfectionem — 2. propter eius significationem. — 3. propter eius effectum salutarem.*** Integra verba vide ap. Fabricium l. c. p. 574. Similia habet Vazquez disp. 215. apud Alberti in A. C. 643. & Tapperus, Decanus lovaniensis, apud Cassandrum in Consultat. de S. Commun. sub utraque specie p. 1032. & ipse Cassander p. 248. pluresque citati a Calixto in disp. contra Commun. sub una p. 175. Omnes alias rationes, quae pro communione sub una specie, produci solent, earumque solutiones afferre longum foret, & legi possunt apud Chemnitium p. 307. Gerh. in C. C. 1185. Calixt. disp. contra Commun. sub una §. 120. Fabricium Syst. theol. 528. & Cassandrum 1028. atq; in ep. 26. (quae integra extat ante Calixti disp. contra Commun. sub una p. 43.) & Gul. Forbes. 424. Aliquas tamen superioribus lubet addere, & quidem maiorem veri speciem habentes.

1. *Ecclesia potestatem habuit mutationem* hic aliquam faciendi, utpote in re adiaphora. ℞. An probari potest, rem esse adiophoram? nam tota communio cum omnibus suis partibus, divinae est institutionis, & quo ordine ac ratione celebrari debeat, a Christo, pro immensa sua sapientia, distincte est propositum. ***Sacramentum***, inquit Biel lect. 35. **in Can.** ***irritum putatur, si con-***

si contra institutionem Christi celebratur. Et multis ante seculis S. Cyprianus: *Si solus Christus audiendus est, non debemus attendere, quid alius ante nos faciendum putaverit; sed quid, qui ante omnes est, Christus prior fecerit. Neque enim hominis consuetudinem sequi oportet, sed Dei veritatem. --- Quod si nec minima de mandatis dominicis licet solvere; quanto magis tam magna, tam grandia, tam ad ipsum dominicae passionis & nostrae redemtionis sacramentum pertinentia, fas non est infringere, aut in aliud, quam quod divinitus institutum sit, humana traditione mutare?*

2. Attamen ipsi *Lutherus & Melanchthon* communionem sub una inter adiaphora retulerunt, sicuti non negat G. König in Cas. consc. p. 649. R. Cum eod. ex p. 650. Vterque postea, cum scribendo meditandoque subinde proficerent, animum ad veritatem propius retulerunt, verba institutionis exactius perpenderunt, & communionem sub una non tantum impugnarunt, sed & expugnarunt, & abrogarunt. Videetiam Chytr. Hist. A. C. 270. 292.

3. Mandatum edendi panem eucharisticum est absolutum, sed *mandatum bibendi ex calice benedicto est conditionatum*; huic enim adiecta est conditio, *quotiescunque biberitis*, 1. Cor. 11, 24. 25. R. Bene est, quod tandem agnoscant mandatum divinum. Attamen hoc aeque est absolutum, ac prius de edendo pane, adeoque ad omnes referendum. Conditio autem annexa, (quamvis proprie non sit conditio) non ad praecedens mandatum, sed ad subsequentem finem, *in mei commemorationem*, referenda est. Hildebr. Theol. dogm. 836.

4. Communio *infantum, aegrotorum, laica, & praesanctificatorum*, nec non *comestio domestica*, fuerunt sub una duntaxat specie peractae. R. Immo omnes illae sub utraque, sicut ex antiquitate & scriptoribus pontificiis ostendit Calixtus disp. cit. §. 134.

§. 134. & seqq. & Hildebr. p. 829. immo etiam Cassander p. 1028.

5. Communioni sub utraque *periculum* subest 1. *erroris*; siquidem homines putare possunt, si necesse sit, etiam alteram speciem accipere, in altera, nempe in pane, esse corpus exsangue; 2. *sacrilegii*, dum facile effundi vel spargi potest sanguis Christi, ℞. ad prius. Error iste, in opinione hominum haerens, esset ex accidente, & sacramento extraneus: cui meliore doctrina occurri posset. Sed neque illi, qui urgent communionem sub utraque, causam istam afferunt, quin potius confitentur, ut in Conf. wirtenb. dicitur, ***totum Christum tam pane, quam vino dispensari.*** Quod attinet ad periculum effusionis, id non necessario integrae communioni est annexum, eique certis cautionibus occurrere licet. Vide Cassandr. 1035.

6. Non habent laici, quod querantur de adempta altera specie, cum panis & vinum post consecrationem *nihil aliud sint, quam species sacramentales*, & accidentia sine subiecto. ℞. Christus, Apostoli & prisci ecclesiae Patres longe honorificentius, cum de utraq;, tum de vini specie loquuntur: nam vini speciem Christus ***sanguinem suum*** appellavit, Apostolus ***communionem sanguinis Christi***, Patres ***Domini sanguinem.*** Cassander 1041.

His ita consideratis, non immerito optimi quique restitutionem dominici calicis desiderarunt, ut Imperator Ferdinandus, Albertus Dux Bavariae, & Rex Galliae pro suis regnis & provinciis, de quibus vid. praemissa disp. calixtinae contra comm. sub una p. 13. & Conringii scripta, editioni Viae Regiae Wicelii subiuncta p. 204. & seqq. item Gul. Forbes. 428. & inter privatos Cassander p. 982. 1108. ac Wicelius in Via Regia p. 59. Quid? ***Si tantum ab hoc uno*** (scribit Cotonus in Instit. cathol. p. 691.) ***penderet illa exoptata***

ptata religionis consensio & animorum concordia, non esset alienum ab optimae huius matris Deique sponsae (sic appellat Ecclesiam romanam) *humanitate, id nonnullis concedere, quod Boëmis & Calixtinis, Concilii florentini autoritate & decreto, permissum fuit.* Huic adde Walenb. tom. 2. 37. Aug. Gibb. de Burgo 306. Pencini Paragone dogmatico c. 25. p. 539. Atqui vero nullum est dubium, quin, si Pontifex rom. humanum se praebuerit, & calicem tradi curaverit omnibus communicantibus, promtumve ad id se ostenderit; (de cuius possibilitate non est dubitandum, ob declarationem Tridentinorum, Sess. 21. p. 206. & Pii IV. P. R. apud Sarp. H. C. T. 939.) futurum sit, ut via aliquatenus paretur ad optatissimam unionem, immo etiam bene merebitur de plurimis suae ipsius Ecclesiae filiis, qui eodem flagrant desiderio. Sed audiamus obiectiones, quae fiunt contra hanc calicis restitutionem, & responsiones statim iis subiungamus, secuti iterum Cassandrum sic disputantem p. 1038. & seqq. Nempe obiiciunt:

1. *Qui vere pius catholicus* est, in recepta consuetudine & Conciliorum decretis *acquiescet.* R. Recte, nisi aut imminens necessitas, aut insignis utilitas ad mutationem invitet. Et Christi institutio, ac primitivae Ecclesiae exemplum, nec non veterum Conciliorum decreta, recentiori consuetudini, & iuniorum Conciliorum decretis merito praeferuntur.

2. *Ecclesia insimulabitur erroris*, si decretis Conciliorum aliquid contrarium admittatur. R. Prudentiae potius & clementiae nomine commendabitur, si conditionis temporum, & hominum salutis, & publicae pacis ac unionis rationem habeat. Immo nec Conciliis constantiensi & basileensi propositum fuit, calicis usum laicis & non conficientibus,

tibus, in perpetuum subtrahere, sed pro tempore tantum, quod in rem esse Ecclesiae censebant, statuere.

3. A nemine haec sanguinis communio petitur, *qui non tam simpliciter ex divino praecepto necessariam, alteram vero prorsus impiam & sacrilegam* iudicet. ℞. Immo innumeri sunt in Ecclesia ipsa romana, qui in doctrina & ritibus ei consentientes, priscum hunc & catholicum corporis & sanguinis Domini participandi ritum, cum ob privatam religionem, tum ob publicam pacificationem, restitui summopere cupiunt. Quique moderati sunt animi, etiamsi statuant, ex vi praecepti dominici necessarium etiam populo esse usum calicis ad integritatem sacramenti, tamen intermissionem calicis inde ab aliquot seculis usitatam, & ex certis rationibus, quae moribus non invalidae videbantur, praescriptam, neutiquam proclamabunt impiam & sacrilegam, sed contenti erunt exoptata mutatione, eamque merito depraedicabunt.

4. Quicunque sacramentum sanguinis petunt, *hoc ipso fatentur, quod prave de hoc sacramento sentiant*, & in altera specie totum Christum contineri negent. ℞. N. Consequentiam, quia contrarium testantur Wirtenbergenses in sua Confess. nec non Ioh. Hus, & Bohemi apud Cassandr. p. 1042.

5. Hanc utriusque speciei communionem, multarum quoque aliarum piarum & vetustarum *consuetudinum abrogatio*, & quaedam quasi *religionis innovatio*, ac a reliquo Ecclesiae corpore *defectio* comitabitur. ℞. Metus hic est frustraneus, si in concessione & administratione iusta prudentia adhibeatur, & paulatim, nulla subita innovatione facta, vetus mos reducatur, sicut etiam olim mutatio utriusque speciei non simul & semel ac universaliter facta est, sed pedetentim, testibus Thoma aquinate, Guil. De Monte Laudano, & Petro de Palude, apud Cassandrum p. 1042.

Non

Non minus laicis, quam clericis cum pane bened. etiam poculum confect.] Mart. Bucerus, Episc. elienfis, (i. e. Lancel. Andreas) Casaubonus, C. Vorstius, & M. Ant. De Dominis apud Guil. Forbes. p. 430. statuunt quidem, extra ordinem & in casu necessitatis, S. coenam posse celebrari sub una; sed hoc negant Cassander in ep. apud G. Calixtum ante disp. de Commun. sub una p. 44. & G. König Cas. consc. 648. Quanquam aliam fuisse veterum sententiam, refert idem Cassander in Consultat. 943. Eiusdem monitum est, *cavendum esse, ne in receptum iam inde ab aliquot seculis in ecclesia occidentali morem, quo populus tanquam extra ordinem, in altera tantum specie communionem accipere consuevit*, acerbius invehatur, *nec ii, qui ecclesiae, conciliorum & diuturnae consuetudinis auctoritate moti, alterius speciei usu contenti sunt*, odiosius percellantur, & impietatis ac sacrilegii *damnentur.* &c. in Consult. pag. 983. Cum quo plane sentiunt Volus. 119. & Grotius in Annot. ad Consult. Cassandri, art. 1. Abus. p. 315. Et ipse iam memoratus Cassander in epist. 53. A. 1564. d. 29. Octobr. scripta, p. 1148. refert, veterem (sub utraque) communicandi morem iam inde ab aliquot mensibus Ducem Brunsvicensem, principem in primis catholicum, in suis ditionibus admisisse; eundemque ritum Bavariae Duci concessum, nonnullos confirmare. &c.

Ob declarationem Tridentinorum] Vbi aiunt: *Duos vero articulos, alias propositos, nondum tamen excussos, videlicet, An rationes, quibus S. catholica Ecclesia adducta fuit, ut communicaret laicos, atque etiam non celebrantes sacerdotes, sub una tantum panis specie*, ita sint retinendae, ut nulla ratione calicis usus cuiquam sit permittendus? *&, An, si honestis & christianae charitati consentaneis rationibus concedendus alicui vel nationi vel regno calicis usus videatur*, sub aliquibus conditionibus *concedendus sit, & quaenam sint illae? eadem sancta Synodus in aliud tempus, oblata sibi quam primum occasione, examinandos atque definiendos reservat.* Conditiones illae in Concilio trid. quidem non exprimuntur, reperiri tamen possunt apud Chemnit. l. c. 332. & G. Calixt. disp. contra Commun. sub una, p. 39. Quales etiam sunt illae, quae A. 1530. propositae fuerunt in Comitiis augustanis a Romano-catholicis, referente Chytraeo in Hist. A. C. p. 244. &

Y y

& a Pio IV. in Brevi, exhibito ab auctore Des Reflex. sur les differ. de la relig. Part. IV. 142. (cum qua conferatur pag. 87.) item in Brevi ad Henricum, Ducem Brunsvicensem, quod exstat in citata Calixti disputatione, p. 77.

* * *

De Poenitentia, secunda post naufragium tabula.

CUm G. Calixtus C. D. P. p. 35. scribat, ***Concilium tridentinum totam de poenitentia doctrinam partim*** intricasse, ***partim*** depravasse, ***& opiniones, tum*** falsas, ***tum*** incertas, & mere scholasticas, ***sub anathemate definivisse;*** officii nostri erit, eam probe considerare, & cum cura perpendere. Et quidem canon 2. Sess. XIV. de Poenit. hisce conceptus verbis: ***Si quis sacramenta confundens, ipsum*** baptismum, poenitentiae sacramentum esse ***dixerit, quasi haec duo sacramenta distincta non sint, atque ideo poenitentiam non recte*** secundam post naufragium tabulam ***appellari, anathema sit:*** oppositus est verbis Lutheri, quae in lib. de Captiv. babyl. c. de Bapt. hunc in modum sunt formata: ***Praebuit his opinionibus occasionem verbum illud periculosum D. Hieronymi,*** (de quo vide Bellarm. l. 1. de Poenit. c. 13. 14. & Amoen. nostras 479.) *sive male positum, sive male intellectum, quo poenitentiam appellat* secundam tabulam post naufragium, *quasi baptismus non sit poenitentia. Hinc enim ubi in peccatum lapsi fuerint, de prima tabula seu navi desperantes velut amissa, secundae tamen incipiunt niti & fidere tabulae, i. e. poenitentiae.* Sed Protestantes non confundunt baptismum cum poenitentia, quin potius fatentur, ***aliud esse poenitentiam, aliud baptismum,*** & maiorem luctam conscientiae esse iis, qui converti debent a peccato post baptismum commisso, quam aliis, qui convertuntur a peccatis ante baptismum commissis; neque etiam docent, eos, qui post baptismum in peccata prolapsi, sine vera & seria poenitentia in scele-

ribus

ribus perseverant, *modo perfunctorie & historice recordentur*, se aliquando baptizatos esse, tali recordatione peccatorum remissionem consequi, ut non sit opus poenitentia & ministerio clavium; sed hoc dicunt, *post baptismum lapsis, veram & seriam poenitentiam necessariam esse*, si peccatorum remissionem consequi velint, & virtutem, efficaciam atque operationem purgationis & sanctificationis baptismi per totam christiani hominis vitam ita durare ac valere, ut in vera ac seria poenitentia, homo post baptismum lapsus, *fidem suam recordatione foederis* in baptismo olim cum Deo initi & promissionis semel factae *confirmare* & possit & debeat: foedus enim in baptismo initum, non praeteritum duntaxat vel praesens tempus illud, quo baptismus fit, respicere, sed esse *aeternum foedus*: quamvis ergo per peccata postmodo ex eo excidat homo, non tamen ita dissolvi & frangi, ut per poenitentiam non pateat ad illud reditus; neque navem baptismi, si quis ex illa prosiliat in mare perditionis per peccata voluntaria, dissolvi, sed permanere integram, ad eamque per veram poenitentiam reditum posse institui. Chemn. E. C. T. 373. Gerh. C. C. 1121. & phrasin S. Hieronymi aliorumque Patrum rectissime intelligi *de naufragio fidei & bonae conscientiae*, quam per peccata contra conscientiam amittimus, sed per seriam poenitentiam iterum recuperamus. Gerh. L. de Poenit. §. 13. Et quod ad Pontificios attinet, negant illi pernegantque, se docere, hominem in sacramento poenitentiae (sic enim loquendum est ipsorum verbis; neque etiam inficiantur nostrates, poenitentiam late vocari posse *sacramentum*. Vide pag. 317.) *non debere niti Christi satisfactione & merito, sed propriis suis operibus, tanquam meritoriis*. Bellarm. l. 1. de Poenit. c. 6. p. 384. & c. 12. p. 396. Concil.

trid. Seff. VI. c. 2. 3. 5. 6. 7. 8. 9. 14. 16. & Seff. XIV. c. 1. 8. Concedunt etiam, 1) *posse hominem redire per veram poenitentiam ad gratiam & ad foedus in baptismo initum*, hoc est, ut simus iterum filii Dei per gratiam; sed negant id fieri per eadem instrumenta foederis, h. e. per baptismum aut eius memoriam, fieri autem aiunt per sacramentum poenitentiae. Bellarm. l. 1. de Sacram. bapt. c. 18. p. 123. Concil. trid. Seff. VI. c. 14. & Seff. XIV. c. 1. Et Estius in lib. 4. sent. dist. 14. §. 1. observat, poenitentiam ideo vocari cum a Patribus, tum a Doctoribus tridentinis *secundam post naufragium tabulam*, quia, cum prima post naufragium tabula sit baptismus, secunda non alia est, quam relapsorum poenitentia. p. 183. 2) *Baptismo purgari peccata futura*, non immediate, sed *mediate*, quia videl. qui baptizatus est, per gratiam, quam in baptismo accepit, impetret veniam peccatorum venialium, quae postea facit, si eam petat, & praeterea per baptismi characterem ius habeat ad sacramentum poenitentiae, quo peccata etiam mortalia purgentur: quod sacramentum percipere non possint, qui baptismo careant. Bellarm. l. c. p. 124. 3) *Veritatem promissionis baptismo annexae*, (in verbis Christi, Mar. 16, 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit*) esse perpetuam, sed tamen conditionatam, quia includit conditionem fidei, perseverantiae &c. ac *foedus baptismi*, a parte Dei inviolabile esse atque aeternum, ipsumque *Deum fidelem*, quia facit, quod promisit, dum iustos praemio, impios poena afficit. Bellarm. l. c. 123. 124. & Agenda colon. anni 1637. p. 46. 47. 4) Baptismum *in suo quodam effectu* semper manere; non tamen eam vim habere, ut per modum signi visibilis (apud eos, qui postea lapsi sunt) promissionem confirmare, atque obsignare possit. Bellar. l. 1. de Poenit. c.

14. p.

14. p. 398. 5) Hoc commodum nobis afferre baptiſmum, ***ut ipſius commemoratione***, & beneficii in eo accepti, ***arguamus ipſi noſtram ingratitudinem***, eoque modo nos ad poenitentiam provocemus. Id l. 1. de Sacram. bapt. c. 18. p. 124. His omnibus probe conſideratis, atque expenſis, & in primis eo, quod utrinque docetur, ***peccatoribus neceſſariam eſſe poenitentiam***, (vide Walenb. tom. 2. p. 18. Calixt. C. D. P. p. 30. Aug. conf. art. 12.) prudentibus rerum aeſtimatoribus haud difficile erit iudicare, quantum inter utramque ſententiam diſcrimen remaneat, & an controverſia haec ſic expoſita, praxin chriſtianam evertat vel impediat.

* * *

DE poenitentiae partibus docent noſtrates, quod proprie ſint duae, Contritio & Fides. Vbi per ***contritionem*** intelligunt terrores incuſſos conſcientiae, agnito peccato: ***fidem*** autem concipi aiunt ex evangelio ſeu abſolutione], & credere, propter Chriſtum remitti peccata, & conſolari conſcientiam & terroribus liberare. Aug. conf. art. 12. Chemn. E. C. T. 376. Gerh. C. C. 1259. Capiendum autem hoc eſt de poenitentia ***interna lapſorum*** poſt baptiſmum, Fabric. Syſt. theol. 564. 553. deque eius ***partibus eſſentialibus***, Gerh. C. C. 1259. aut potius, ***quodammodo eſſentialibus***, cum poenitentia, quae accidens eſt, & materia caret, proprie loquendo, nec eſſentiales, nec integrantes agnoſcat partes, Fabricius 562. Quas partes Phil. Melanchthon in Corp. doctr. 514. obſervante Fabricio p. 564. interpretatur ***motus ſeu actus***, ab homine poenitente requiſitos. Ac ***fides pro fiducia*** (quae etiam ***ſpes*** dicitur ſcriptoribus eccleſ.) accipitur, quando altera poenitentiae pars eſſe dicitur. p. 569. 578. Nempe duo ſunt actus fidei, aſſenſus & fiducia, & re- *De Partibus poenitentiae.*

ſpectu utriusque requiritur fides ad poenitentiam, atque adeo principium ac cauſa eſt poenitentiae, & pars: nam ratione prioris actus, fides poenitentiam, ut eius cauſa, praecedit; eadem vero, ut pars eius, poſterioris reſpectu continetur. p. 567. Quanquam etiam, ut fiducia, praecedit, ſi per fiduciam intelligas talem perſuaſionem, qua quis credit, Deum ſibi *fore* propitium in Chriſto. Sicut autem *contritionis requiſita* ſunt 1. agnitio peccati, 2. dolor de peccato praeterito, & ſeria eiusdem diſplicentia ac deteſtatio, 3. actualis ceſſatio a peccatis, cum efficaci propoſito abſtinendi ab iis in poſterum, p. 570. quo etiam refert Gerhardus veram coram Deo humiliationem, & ingenuam peccati confeſſionem, p. 1262. Fabricius aeq; ad contritionem, ac fidem. 579. ita *ad fidem requiritur*, ut homo peccator, in ſpem bonam erectus confidat, Deum in Chriſto redemtore ſibi fore propitium, & promiſſiones generales ſibi applicet. Fabricius p. 577. Quae fides, *ſpecialis* appellatur ab A. pol. A. C. ad art. 12. p. 171. At Concilium trid. Seſſ. XIV. c. 3. & can. 4. decernit, ad integram & perfectam remiſſionem requiri tres actus in poenitente, *quaſi materiam* ſacramenti poenitentiae, (de qua locutione vide Bellarm. l. 1. de Poenit. c. 16. p. 401.) videl. Contritionem, Confeſſionem, & Satisfactionem, quae tres poenitentiae partes dicuntur, ſimulque eorum damnat ſententiam, qui poenitentiae partes, incuſſos conſcientiae terrores & fidem eſſe contendunt. Quare vero hoc? an, quia credit, terrores illos cum fide ad poenitentiam *non eſſe neceſſarios*? aut *nullo modo* poſſe dici eius partes? an, ut reconciliationem & *remiſſionem peccatorum dubiam & incertam faciat*, & *totum evangelium ex poenitentia tollat*, & ipſam vocem evangelii propriam, ſicut a Prophetis, Chriſto, & Apoſtolis tra-

dita est, atque ex **humanis**, **propriis** ac **meritoriis** poenitentium operibus, & ex verbo absolutionis, confletur sacramentum poenitentiae, *exclusa fide*, quae ex evangelio concepta credat, per Christum remitti peccata? Chemnit. l. c. Minime omnium: nam necessitatem eorum etiam Romano-catholicos agnoscere, docet Bellarminus, scribens: *Illos terrores ad conversionem ut plurimum requiri, non negamus,* --- *Fides ad efficiendam poenitentiam necessario requiritur.* l. 1. de Poen. c. 19. Item: *Incussi illi terrores a minis legis, poenitentiam gignunt: consolatio quoque, quam evangelium affert, poenitentiam sequitur, aut etiam comitatur.* l. 1. de Poenit. c. 20. p. 406. Immo ipsum Concil. trid. Sess. VI. c. 6. ubi praeparationem ad iustificationem fieri dicunt, dum homines, peccatores se esse intelligentes, a divinae iustitiae **timore**, quo utiliter **concutiuntur**, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes, Deum sibi propter Christum propitium fore. Et Sess. XIV. c. 4. de Poenit. pro **partibus** autem illos terrores & fidem non volunt agnoscere, quia poenitentiam, ut supponunt, antecedunt: alioqui non recusaturi appellationem partium, si per eam intelligantur **actus & motus**, ad poenitentiam requisiti: sicut nec tres partes constituunt poenitentiae, quasi proprie & materialiter tales, sed quia tres isti actus, qui ex virtute poenitentiae (licet non aeque immediate & principaliter) oriuntur, **ex parte poenitentis necessarii**, ac **veluti membra** sunt poenitentiae actualis. Bellarm. p. 401. 404. Nec **certitudinem reconciliationis & remissionis peccatorum** proscribunt & reiiciunt, sed solitariam, iactabundam, vanam, & ab omni pietate remotam fiduciam, item certitudinem fidei, h. e. eam certitudinem, quae ex rebus revelatis hauritur; cum enim in sacris literis de ne-

mine in individuo sit expressum quid de gratia Dei, hinc aiunt, nullum scire valere certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum. Concil. trid. Sess. VI. c. 9. *Sperare* quidem possumus & debemus, ut Concilium docet ibid. c. 6. (apud Bellarm. falso legitur c. 5.) & Sess. XIV. c. 4. ***Deum nobis fore propitium:*** sed certo id credere, quomodo certo credimus articulos fidei, absonum & improbabile videtur Bellarmino, l. 1. de Poen. c. 6. p. 385. Adde etiam, quae habet c. 2. ubi ait, *Catholicos docere, certitudinem, quam de remissione peccatorum habere possumus, & plurimi fidelium post sacramenta percepta habent, non esse certitudinem fidei catholicae, sed* moralem & humanam, *nec tam fidei, quam* fiduciae. — *Nam etiamsi ex verbo Dei certi simus, omnibus illis remitti peccata, qui, ut oportet, ad poenitentiae sacramentum accedunt, dicente Domino:* Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, *Ioh.* 20, 23. *hunc tamen aut illum hominem, ut oportet, ad sacramentum accedere, ex verbo Dei colligi non potest, sed ex humanis tantum coniecturis ac signis; proinde ad fidem catholicam & divinam, quae verbo Dei nititur, id pertinere nullo modo potest.* p. 378. Et paulo ante, §. *Vbi est aliquid: Cum tria concurrant ad remissionem peccatorum,* Christi meritum, virtus sacramenti, & propria dispositio per ipsam poenitentiam, quae sine actu fidei, aliarumque virtutum haberi non potest, *Catholici homines adeo non dubitant de Christi merito, & sacramenti virtute, ut haereticos censeant, qui Christum non pro omnibus mortuum, aut eius mortem non ad omnia omnium hominum peccata delenda sufficere, aut sacramenti virtutem inefficacem, incertamve esse, disputare ausi fuerint.* De propria dispositione, an ea sit, qualis requiritur, *non immerito ambigi posse docent. Quod quidem ipsi etiam Lutherani fateri coguntur: nam* fidem & poenitentiam requiri, *non*

ri, ***non negant:*** posse ***autem*** falli hominem in sua fide ac poenitentia discernenda, ***concedunt.*** Similia habet c. 6. p. 385. Vide etiam, quae supra attulimus de certitudine iustificationis p. 300. Contritionem, confessionem, suoque modo etiam satisfactionem agnoscunt pro ***Dei donis***, & ***dispositionibus iustificandi***, non autem pro operibus mere humanis & propriis, aut meritis iustificationis. Id 384. ***Tantumque abest*** (ait idem in hac ipsa pagina) *ut ideo poenitentiam aliquam pro sacramento non habeamus, quia in ea gratis, sine operibus*, fide propter Christum *remittuntur peccata, vel quia fides in Christum pars conversionis, & quidem necessaria ad remissionem obtinendam praedicatur, ut contra potius, ubi ista absunt, sacramentum poenitentiae aut nullum esse, aut inutiliter administrari dicamus.* Plura pontificiorum Doctorum testimonia congessit Gerh. C. C. 1260. Nos cassandrinum annotabimus. *Contritioni*, ait Cassander, *ut salutaris & efficax sit, fidem seu fiduciam misericordiae accedere necesse est, ut exempla Cain & Iudae manifeste declarant. Itaque falso ecclesiae praesentis doctoribus obiicitur, quod mentionem fidei in poenitentia praetermittant. Vide Hostiensem in Summa de Poenit. & Remiss. ubi inter caussas poenitentiae ponit* spem, *quae a fiducia aliena non est, eamque triplicem*, veniae, gratiae, & gloriae, *adsertque ad eam rem praeclara ex ecclesiasticis scriptoribus testimonia, nominatim ex Augustino & Bernardo. Quid? quod Scholastici in iustificatione* motum *requirunt, alterum* in peccatum *per contritionem seu detestationem, alterum* in Deum *per fidem, qua divinae vocationi assentimur, & obedimus, quo apti & dispositi reddamur ad iustificationis gratiam consequendam, ad quem liberum arbitrium non proprie cooperetur, sed obediat ad consensum, quia gratia non datur, nisi volenti & assentienti.* Hactenus Cassander in Consult. p. 945. Cui adde Kunckel. 623. 628. Neque etiam

am hoc est praetereundum, ***fidem interdum aliter sumi*** a Pontificiis, aliter a Protestantibus, adeoque neutram partem alteri revera contradicere: quando enim illi (ut in can. 4. de Poenit. Sess. XIV.) negant, fidem esse partem poenitentiae, non intelligunt veram & catholicam fidem, sed ***inanem persuasionem***, quam nonnulli de remissione peccatorum suorum concipiunt, sed falluntur eo, quod non debito modo se praepararunt. Bellarm. l. 1. de Poen. c. 2. p. 378. & c. 6. p. 385. aut ***assensum***, qui verbo Dei revelato praebetur. Bellarm. apud Fabric. in Syst. theol. 567. cum interim Protestantes, fidem, quam poenitentiae partem esse dicunt, ***pro fiducia*** accipiant. Id. p. 569. Si iam res ita, ut ostensum est, se habet, ac verum est, Pontificios veram fidem a poenitentia non excludere, quis dubitat, componi posse hanc controversiam, vel ipso iudice Chemnitio? cuius haec sunt verba in E. C. T. p. 378. *Certe si utrinque consensio esset, fidem in poenitentia esse necessariam, ad consequendam remissionem peccatorum, non esset ideo turbanda ecclesia, si alius fidem* fundamentum, *alius* partem poenitentiae *appellaret, cum quidem maius sit, aliquid esse fundamentum, quam partem.* Nec fere aliter improbat Pontificios, quod ad praesens negotium attinet, G. Calixtus, ***quam quod doctrinam scholasticam sub anathemate definiverint.*** In C. D. P. p. 35.

* * *

De Contritione. Contritio est cordis quaedam passio, videl. terror conscientiae, dolor & compunctio. Non tamen intelligenda est passio ***coacta & violenta seu extorta***, ut nobis imputat Concil. tridentinum Sess. XIV. de Poenit. c. 4. & can. 5. & Bellarm. l. 2. de Poenit. c. 2. p. 409. sed a lege excitata: non enim statim coactum est, quod ab externo proficiscitur principio. Immo nec omnis a nobis in contritione negatur

tur actus: quin concedimus, in contritione quosdam concurrere actus nostros, quales sunt recordatio delictorum, consideratio legis, meditatio irae divinae, & similes. Chemn. E. C. T. 380. Gerh. C. C. 1261. Brochm. System. theol. de Poenit. qu. 12. F. V. Calixt. in Resp. ad Thes. antisyncret. 148. Concilio trid. Sess. XIV. c. 4. contritio est *animi dolor ac detestatio de peccato commisso*, (vide Cat. rom. Fabricii p. 338. 339.) *cum proposito non peccandi de caetero.* Declarat etiam, contritionem hanc esse *liberam & voluntariam*, nec tantum cessationem a peccato, & novae vitae propositum, sed *veteris etiam odium* continere. Id quod repetitur ex parte can. 5. Quid ad haec Chemnitius? Approbat descriptionem istam contritionis, & fatetur, contritionem, non tantum cessationem a peccato, & novae vitae propositum & inchoationem, sed veteris etiam odium, & peccatorum detestationem (quam Brochm. l. c. ad actiones refert) continere; sed videntur ipsi *insidiae latere sub vocabulis*: Cum enim Scholastici doceant, contritionem, ut habeat vigorem & valorem ad deletionem & remissionem peccati, debere esse talem detestationem peccati, quae ad punitionem commissi peccati voluntarie suscipiatur aut assumatur, putat, contritionem inde statui meritoriam, & poenitentiam, secundum Concilium trid. in humana opera, non in Christum se reflectere, nec Pontificios talem misericordiam Dei velle, quae sit gratuita, & gratis propter Christi meritum peccata remittat, sed quae operibus nostris tribuat mercedem, reconciliationem scilicet cum Deo, & remissionem peccatorum. pag. 381. Pontificii autem contra hanc imputationem protestantur, & quamvis Bellarminus l. 2. de Poenit. c. 12. scribat, plerosque Scholasticos docere, *contritionem de congruo mereri remissionem pec-*

catorum*, iisque ipse etiam assentiatur, non tamen hoc est** de fide, teste Veronio R. F. C. c. 2. §. 1. eiusque **epitomatore** p. 25. quin potius refutatur a Francisco De **Victoria**, Stapletono, Vega, Benio, & Gregorio De Valentia apud Gerh. in C. C. 1263. Audiamus etiam Wicelium in Comp. de semit. antiq. *Poenitentia peccatoris*, inquit ille, *& de peccatis commissis contritio, quam vocant, & dolor una cum fructibus poenitentia dignis, & sui accusatione, propriaque condemnatione, & clavibus apostolicis, & evangelicis absolutionibus, esse quidem debent in populi christiani usu assiduo, sed, etsi haec ipsa* necessaria *semper sunt* ad impetrandam remissionem peccatorum, *maxime post baptismum reiteratorum, tamen, si conferantur cum gratuita misericordia Dei, in Christo terrarum orbi exhibita praestitaque, & immensis ac inenarrandis meritis Christi unigeniti Dei*, quantilli, *obsecro*, pretii fuerint? Solatium peccatoris omne in Christo quaerendum est, ***per fidem sui verbi*, *& ab hoc agno immaculato, qui tollit peccata mundi*,** *omnis peccatorum remissio perfecta expectanda est, & sanitas.* &c. Similiter Cassander scribit in Consult. ad art. 12. p. 946. ***Constanter negant etiam hodierni scriptores, doceri in ecclesia, contritionem mereri remissionem peccatorum, ***cum constanter omnes doceant***, remissionem peccatorum nullis hominum meritis obtineri, ***sed gratis conferri propter unicum meritum Christi.*** &c. Et Dionys. Werl. in Pseudopoen. corr. p. 30. ex Adamo Sasbout ostendit, ***opus esse, ut nostrae iustitiae diffisi, uni Christo nitamur.*** **Estius** quoque in librum IV. Sent. dist. 17. §. 1. asserit, ***nullius peccati remissionem fieri posse, nisi virtute passionis Christi, quatenus est satisfactoria pro poena illius peccati.*** Immo nec ipsum Concil. trid. cap. supra allegato, contritioni remissionem peccatorum tribuit, sed eam tantum ***praeparare ad remissionem pec-***

peccatorum asserit,& quidem *ita demum*, *si cum fiducia* divinae misericordiae, & voto praestandi reliqua, coniuncta sit. Quae verba Chemnitius *commode intelligi posse* fatetur p. 381. *dummodo opinio meriti, & liberi arbitrii sine spiritu S.* (quae utique abest in omnibus sanis Pontificiis) *absit.* Et licet in Catech. rom. c. 7. de Poenit. sacram. dicatur, *contritione peccata deleri*, non aliter tamen hoc intelligendum esse docet P. Dionys. Werl. c. 1. Pseudopoenit. correcti, quam *quatenus contritio per fidem ac fiduciam firmam — mediatori Christo, ac per eum misericordiae divinae innititur.* pag. 5. Vid. quoq; Estius in l. 4. Sent. d. 17. §. 2. p. 243. In quem sensum Fabricius, ex sententia nostratium, docet, *salutarem esse contritionem*, etsi non immediate & proxime, tamen remote. Syst. theol. 566. Neque aliud sibi volunt cum voluntaria & libera contritione, quam quod nos docemus, (Fabric. Syst. th. 290. 558. Vide etiam, quae supra attulimus de Lib. arb. p. 284.) videlicet, hominem gratia Dei excitatum, libere ei consentire, & virtute gratiae detestari peccata commissa, deque iis dolere. Idque clare ac diserte profitentur in Sess. 6. c. 6. & can. 4. Patres tridentini. Tantum abest, ut non approbent istam Chemnitii p. 380. omniumque Lutheranorum confessionem: *Vera contritio non est opus liberi arbitrii seu virium humanarum,* (puta, per se talium, sibique relictarum, & exclusa gratia) *sed Spiritus S. per verbum praedicatum, auditum & cogitatum, illam in nobis excitat, incboat, operatur, & efficit.*

Contritio est cordis quaedam passio] Contritio est potissima poenitentiae pars, scilicet respectu confessionis & satisfactionis. Volus. 166.

* * *

De Perfectione contritionis. DE Perfectione contritionis docetur in eod. c. 4. Conc. trid. Sess. XIV. de Poenit. *aliquando contingere, ut contritio charitate perfecta fit.* Vbi per *charitatem* intelligitur charitas, *quae erga Deum* fertur. Catech. rom. Fabricii p. 340. P. Dionys. Werl. in Pseudopoen. corr. p. 13. Neque etiam excluditur *fides & spes.* Bellarm. l. 2. de Poen. c. 13. p. 423. & Kunckel. p. 623. 628. Atque tunc dicitur contritio esse perfecta seu sufficiens, si homo *summum & maximum dolorem concipit* ob admissa peccata, ideo, quod iis Deus, benignissimus pater, laesus fuerit. Sicut enim Deus, dominus noster, ex toto corde diligendus est, Deut. 6, 5. ita etiam conversio nostra fieri *debet ex toto corde*, Ioël. 2, 12. (vid. Catech. rom. Fabricii 340.) non autem quod propter nostram dilectionem, nec fide propter meritum Christi, impetremus veniam peccatorum, & reconciliationem coram Deo, & ut conscientia semper dubia & incerta maneat de remissione peccatorum. Quo sensu omnino damnanda esset doctrina ista cum Chemnitio E. C. T. 382. consentientibus Dionysio Werl. p. 35. & autore Consolat. moribund. 32. *Quis ignorat*, (ait Catech. citatus p. 348. & ex illo Dionys. Werl. lib. cit. c. 1. p. 5.) *contritionem* adeo vehementem, acrem ac intensam *esse oportere, ut doloris acerbitas cum scelerum magnitudine conferri aequarique possit?* Sed nec ultra possibilitatem extendendum hoc est, uti praeter Catech. illum Fabricii. p. 346. recte docet illustris autor Consolat. morib. p. 38. & Cassander in Consult. ad art. 12. quem locum allegat Fabricius in Syst. 572. & ulterius Pontificiorum hac de re doctrinam candide & modeste proponit. Atque hoc sensu negat Kunckelius aequationem illam p. 625. Requiritur autem ad perfectionem con-

contritionis 1. peccati agnitio. 2. sui ipsius accusatio. 3. confitendi & se emendandi propositum. 4. divini auxilii petitio. 5 vehementissima peccatorum detestatio. Catech. cit. p. 346. Vt fatendum sit, si scholastici termini removeantur, in re ipsa etiam hic illos inter & nos esse consensum. Quid? quod Werlensis c. 10. sui Pseudopoen. ostendere satagat ex nostratibus, *eos plus requirere ad veram contritionem, quam suos socios.*

* * *

Attritionem Concil. trid. cap. cit. contradistinguit contritioni, & contritionem ex motiuo charitatis Dei, attritionem autem *ex consideratione turpitudinis peccati*, vel ex *gehennae & poenarum metu* concipi dicit, cum interim utraque sit dolor de peccato commisso, eiusque detestatio, cum proposito non peccandi de caetero. Eandem dicunt homini poenitenti *viam parare ad iustitiam*, & ad Dei gratiam in sacramento poenitentiae impetrandam *disponere*, si coniunctam habeat spem veniae, & excludat propositum peccandi. *Quis hoc negat?* scribit Chemn. in E. C. T. 382. *nisi quod*, ut statim subiungit, *contritionem illam* (videlicet *imperfectam*, seu attritionem) *causam facere videntur impetrationis gratiae.* Idemque ex eo capite reiicit cum Luthero scholasticas disputationes de attritione, quod secundum illas doceretur, liberum arbitrium *naturalibus suis viribus*, ex solo dictamine legis naturae, *sine operatione Spiritus S.* posse inchoare, concipere, & assumere verum dolorem & detestationem peccatorum, hoc est, attritionem, & illam esse dispositionem ad gratiam: quam dispositionem vocent *facere, quod in se est*, quod sit *meritum congrui.* At, quicquid sit de quibusdam veteribus Scholasticis, utrumque exploditur a Concilio trid. in l. c. ubi asseri- *De Attritione.*

ſeritur, ipſam *reconciliationem contritioni* (quanto minus attritioni?) non eſſe adſcribendam, & attritionem *donum Dei eſſe, & Spiritus ſancti impulſum.* Vid. Eſtius in libri 2. Sentent. diſt. 26. §. 34. & 35. ubi eleganter docet, *neminem ſine gratia poſſe ſe ad gratiam praeparare*, & quomodo *facienti, quod in ſe eſt, Deus largiatur gratiam.* p. 325. eique addatur Conſolatio Moribund. p. 34. Quanquam ſano ſenſu etiam dici poſſit, contritionem vel attritionem eſſe *cauſam remiſſionis peccatorum*, videlicet cauſam in genere dictam, h. e. viam ſive conditionem, ſine qua non perveniatur ad remiſſionem peccatorum. C. Vorſt. in Antibellarm. 444. & Guil. Forbeſ. 16.

* * *

De Confeſſione auriculari. DE Confeſſione externa ſive auriculari, quae fit coram miniſtro eccleſiae, docetur in eccleſia romana, eam omnibus poſt baptiſmum lapſis, *iure divino neceſſariam eſſe*, ac omnia *peccata mortalia*, etiam occultiſſima, immo etiam cogitationis, *quorum poſt diligentem ſui diſcuſſionem conſcientiam habent*, cum eorum *circumſtantiis, quae ſpeciem peccati mutant*, recenſeri oportere, quandoquidem ſacerdotes iudicium, a Chriſto in coelos aſcenſuro, ut narrat Ioh. c. 20. 23. acceptum, incognita cauſa exercere non poſſint, neque aequitatem in poenis iniungendis ſervare: & *minimum ſemel in anno* eſſe confeſſionem edendam. Concil. trid. Seſſ. XIV. de Poenit. c. 5. & can. 6. 7. 8. Proteſtantes de confeſſione (privata, quae fit coram eccleſiae miniſtro) docent, *quod privata abſolutio* (adeoque & illa privata confeſſio) *in eccleſiis retinenda ſit; quanquam in confeſſione non ſit neceſſaria omnium delictorum enumeratio.* Aug. conf. art. 11. Et Conf. ſaxon. p. 77. Attamen in hac confeſſione non ſolum nequaquam prohibitum,

ſed

ſed etiam *utile ac ſalutare* eſſe dicunt, certa quaedam peccata *in ſpecie* exprimere, inprimis ea, quibus conſcientia poenitentis maxime angitur, & propter quae conſilio ac conſolatione peculiariter indiget. Luth. in Explicat. min. catech. Corp. doctr. Iul. p. 61. Sarcer. in Paſtorali p. 97. Chytr. Hiſt. A. C. p. 245. Gerh. C. C. 1266. Fabricius Syſt. theol. 589. Hoc autem improbant in Pontificiis, quod illi in confeſſione auriculari 1. requirunt *omnium & ſingulorum peccatorum* expreſſionem. 2. quod *etiam circumſtantias*, quae peccati *ſpeciem mutant*, vel illud *aggravant*, recenſendas eſſe ſtatuunt. 3. quod ſpecialem illam peccatorum enumerationem *iure divino* ſtatuunt eſſe *neceſſariam*, ac proinde ſub ipſo ſalutis diſcrimine faciendam. 4. quod talem confeſſionem coram ſacerdote neceſſariam eſſe ſtatuunt, *ut ſacerdotes, conſtituti a Deo ſpirituales iudices*, de ſingulis & univerſis peccatis cognoſcant, &, pro menſura delictorum, ſatisfactiones imponant, adeo ut, *quotquot ſine abſolutione ſacerdotis moriuntur*, Deo reconciliari nequeant. 6. quod peccatorum confeſſionem faciunt & faciendam eſſe docent non ſolum Deo, ſed *etiam B. Mariae virgini, Petro, Paulo, & aliis ſanctis*. Gerh. l. c. Chemn. E. C. T. 391. Fabricius Syſt. theol. 590. Notandum vero eſt quoad 1. Non requiri a Pontificiis ſimpliciter omnium, ſed *mortalium* duntaxat, nec horum etiam omnium, niſi *eorum, quae memoria ſuggerit*, enumerationem, adeoque non impoſſibilem, ſed *poſſibilem: quantum moraliter poteſt*, ait Suarez apud Alberti in A. Confeſſ. p. 418. *autant, qu' elle eſt poſſible*, ſo viel es immer möglich iſt / ut loquitur Dez apud eundem p. 415. Sic etiam Bellarm. l. 1. de Poenit. c 5. Kunckel 588. Vehe in Aſſert. quorund. dogm. controv. tr. VI c. 4. Voluſ. 42. 87. 93. Marcellius

part. l. Sap. pacif. p. 185. Le proteſt. pacif. 69. Quoad 2 Quamvis Dd. nonnulli, ut Suarez l. c. & Eſtius in lib. 4. Sent. diſt. 17. §. 9. etiam illas *circumſtantias, quae peccatum aggravant*, in confeſſione exprimendas eſſe ſive ſtatuant ſive ſuadeant, a Concilio tamen tridentino, fatente loco cit. Eſtio, *id non eſt praeſcriptum*. Bene Caſſander in Conſultat. ad art. 11. p. 943. *Quod ſubiiciunt Proteſtantes*, ait, *enumerationem omnium delictorum non eſſe neceſſariam, quadam ex parte recte habet, videlicet ſi intelligatur de* ignotis & non occurrentibus peccatis; *item ſi intelligatur de* nimis anxia inquiſitione omnium circumſtantiarum, *quae in multis conſcientiae carnificinam gignit, quam nemo moderatus approbat. Verum ſi referatur ad eam enumerationem peccatorum, qua graviora omnia peccata diligenter expenduntur, & tanquam* ſpiritualia vulnera ſpirituali medico revelantur, *de ea quoque retinenda dubitandum non eſt*. Sic etiam Le proteſt. pacif. p. 69. & plures huius ſententiae auctores apud Gerh. C. C. 1272. Quoad 3. Neceſſitatem illam ex iure divino, non praeciſe de mandato expreſſo, (alioquin enim vocem *mandati* uſurpat Concil. trid. c. 5. l. c.) ſed de *inſtitutione*, ut Caietanus exponit apud Gerh. C. C. 1268. ſeu *commiſſione*, ut loquitur Boſſuetus in exemplari originali h. e. gallicano, (nam interpres latinus vocem illam per *mandatum* reddidit) tit. de Poenit. & confeſſ. ſacerdotali, intelligendam eſſe. Quoad 4. Eos ſtatuere, per abſolutionem remitti peccata, *Deo Chriſti merita per ſacerdotum miniſterium applicante*, idque *gratis*, non ob meritum vel dignitatem ſive huius actionis, ſive contritionis, nedum attritionis. Bellarm. l. 1. de Poenit. c. 3. p. 379. &c. 5. p. 383. Kunckel 623. 628. Quoad 5. Eoſdem non niſi *miniſteriale & vicarium iudicium* agnoſcere in miniſtris eccleſiae, *quod ſit*

fit licentiae fraenum necessarium, monitorum prudentium fons uberrimus, & efficacissimum peccata dolentibus solatium, quae sunt verba Bossueti p. 45. Confer, quae de eiusmodi iudicio ex sententia nostratium tradit Fabricius Syst. theol. 588. Cui ministerio pii tantum & prudentes viri praeficiendi sunt, ex consilio Cassandri in Consult. p. 944. immo ex praescripto Cat. rom. Fabricii qu. 49. p. 362. Atque in hunc finem Confessionariis instructio datur ibid. p. 303. nec non in Agendis colon. p. 54. Porro ex Bellarmino constare, ipsum Concilium trident. (Sess. 14. c. 4. & Sess. 13. cap. 7.) docere ac credere, *per veram contritionem, etiam ante sacerdotis absolutionem, & extra mortis periculum, peccata remitti.* l. 2. de Poenit. c. 13. p. 423. Quoad 6. Id inter *abusus* esse numerandum, quos omnes pii taxant, & cavendos esse dictitant, ut Wicelius apud Gerh. C. C. 1271. Sicut nec illa verba, quibus absolutio peccatorum etiam fit *in nomine meritorum B. Mariae, & omnium sanctorum, & ipsius confitentis meritorum*, pertinent ad formam absolutionis, cum vera eius forma, qua omnes Catholici utuntur, sint haec: *Ego te absolvo ab omnibus peccatis tuis in nomine P. & Filii & Spiritus sancti, Amen.* Bellarm. p. 382. & Agenda colon. p. 63. Vnde Erasmus iudicat, *incommoda* quaedam, quae habeat Pontificiorum confessio, non ipsi confessioni, sed vitio confitentium & audientium esse adscribenda. In lib. de Modo confitendi, apud Gerh. C. C. 1270. Concedunt etiam nostrates, *confessionem generalem semper fuisse in ecclesia*, ceu videre licet apud Melanchth. part. 2. Oper. p. 160. & ministris ecclesiae datam esse a Christo *potestatem* remittendi peccata, eosque dici *solvere & remittere peccata*, propter claves, h. e. quia habent ministerium, per quod Deus mundum sibi reconciliat, & pec-

cata remittit, Christumque esse, qui per ministerium absolvit & peccata remittit. Chemn. 372. & 373. Et quamvis Lutherus in praefat. in Min. catech. item in Catechismo mai. & quidem in explicat. verborum sacrae coenae p. 559. frequentem usum S. coenae, saltem ut quater in anno ille instituatur, requirat, mox tamen in utroque loco subiungit, ***non esse hic ponendam legem.*** Ex Chemnitii consilio, quod legitur in E. C. T. part. 2. p. 297. ***regulam, quando & quoties communione utendum sit***, sumenda est 1. ex doctrina de fructu, & efficacia eucharistiae, quando scilicet, & quoties efficacia ista nobis opus esse agnoscimus. 2. ex doctrina de probatione, ne eam indigne accipiamus. Confer p. 394. König. Cas. consc. p. 582. Raupp. L. de S. Coena 271. Durr. Isag. in libb. symbol. Eccl. norib. p. 48. Vtraque autem illa doctrina etiam traditur a Pontificiis, nempe in Concil. trid. Sess. XIII. c. 2. & 7. & Cat. rom. Fabricii 297. 305. 333. Et p. 307. ad quaest. 46. Quoties & quibus temporibus percipienda est eucharistia? respondetur: *Fideles non satis habeant, se, huius decreti auctoritati obtemperantes, semel tantummodo corpus Domini quotannis accipere; verum saepius iterandam eucharistiae communionem existiment. Vtrum autem singulis mensibus, vel hebdomadis, vel diebus id magis expediat, certa omnibus regula praescribi non potest. — Vehementer autem proderit, hoc loco repetere maxime illa & divina beneficia, quae ex sacramentali communione consequimur.* Hactenus verba Catechismi citati. Vnde sequitur, eos minime velle, ut homines, quando non sunt idonei, confessionem edant, & S. coena utantur. Quibus omnibus pensitatis, & inter se collatis, iudicet, qui valet, quantum discriminis hac de re maneat nos inter & Pontificos.

Eti-

Etiam B. Mariae virgini &c.] Sic expressum est in Confessione peccatorum publica & generali, quae praelegitur a concionatore ex praescripto Agendorum colon. A. 1637. p. 173. item in Confessione generali eius, cui extrema datur unctio, secundum Manuale parochor. provinc. salisburg. p. 343.

* * *

Satisfactiones, quas Pontificii tertiam poenitentiae externae seu sacramentalis partem constituunt, nostrates reiiciunt in Art. 12. Aug. conf. & art. 4. Abus. & dicunt, nos nec pro culpa, nec pro poena Deo satisfacere posse, Christum autem non solum pro omnibus peccatis, sed etiam pro omnibus peccatorum poenis, tam temporalibus, quam aeternis, satisfecisse, ac proinde credentibus in Christum, & culpam, & poenam, non solum aeternam, sed etiam temporalem remitti. Gerh. C. C. 1280. & 1279. Quam sententiam hunc in modum explicant, non esse quaestionem *de satisfactione ecclesiastica seu canonica*, in primitiva ecclesia usitata, quae fuit pars disciplinae ecclesiasticae, qua illis, qui fidem in persecutione abnegaverant, vel in manifesta & atrocia crimina prolapsi fuerant, certae quaedam mulctae & castigationes imponebantur, non ut per illas peccata coram Deo expiarent, sed ut animi poenitentium explorarentur, verene, an ficte eos admissorum delictorum poeniteret, ut ecclesiae scandalizatae externa ista poenitentiae declaratione rursus satisfieret, ac ut reliqui his spectaculis ad peccata majori studio vitanda excitarentur. Nec quaestionem esse de *satisfactione privata*, qua proximo verbis vel factis a nobis laeso satisfacimus per offensae deprecationem, & ablati restitutionem: eamque in poenitentia necessariam se statuere. Nec se negare, Deum *interdum quibusdam*, post reconciliationem & peccatorum remissionem, in hac vita calamitates immittere, quae in gene- *De Satisfactione.*

 nera-

generaliore & latiore significatione *poenae* vocari possint, sicut scriptura eas vocat κρίματα 1. Cor. 11, 32. proprie tamen & stricte loquendo non esse poenas, cum non proveniant a Deo irato, sed propitio, illisque imponantur, quibus culpa plene & perfecte est remissa: ubi autem facta est remissio culpae, ibi poenam proprie dictam non posse locum habere: inde quosdam distinguere inter *poenam supplicii*, & *poenam castigationis seu probationis*, seu inter poenam *formaliter* & *materialiter acceptam*; & Scholasticos poenas materialiter dictas, appellare *poenalitates*. Imponi autem reconciliatis a Deo eiusmodi calamitates, non ut sint *merita remissionis peccatorum*, vel *satisfactiones pro peccatis*, vel *compensationes poenae aeternae*, sed ut sint, respectu aliorum, *publica indicia iudicii divini adversus peccata*; respectu piorum & conversorum, *memorialia praecedentium*, *& cautelae futurorum*, itemque *exercitia poenitentiae*, *fidei*, *obedientiae in cruce*, spei, petitionis & expectationis auxilii; ideo enim pios subiici post reconciliationem vel communibus calamitatibus, vel peculiaribus *poenis*, ut hac commonefactione subinde magis accendantur, & crescat in eis odium & detestatio peccati, timor Dei, fides, solicite curans, ut gratiam retineat, & in bonitate permaneat, diligentia cavendi peccata, *ut reprimantur & mortificentur pravae inclinationes.* Non se negare, quod Deus, postquam peccatum fideli remisit, *peccati illius intuitu interdum poenam immittat*, cum constet, plurimos fideles de peccatorum suorum remissione suique cum Deo reconciliatione certos, ob praecedens peccatum a Deo castigatos fuisse, sed hoc duntaxat se negare, quod Deus infligat has *poenas* dilectis suis filiis post remissam culpam, eo fine, *ut se ulciscatur*, atque *ut illi iustitiae suae ex parte satisfaciant*, prae-

praeter ſatisfactionem, quam Chriſtus praeſtitit, & quod illae poenae temporales *per poenas vicarias & arbitrarias redimi poſſint ac debeant.* Poenas illas temporales, quae poſt peccati remiſſionem reconciliatis imponuntur, per veram ac ſeriam poenitentiam *mitigari*, vel etiam plane *auferri*, non quod opera eius ſint ſatisfactiones vel compenſationes pro peccatis, vel merita reconciliationis, ſed quia caſtigationibus illis Deus nihil aliud quaerit, quam ut vera humilitas accendatur, odium ac deteſtatio peccati excitetur, ac mortificatio veteris hominis promoveatur. *Opera quaedam a poenitentibus exigenda, vel iisdem imponenda* ſe concedere, *ſi de canonicis ſatisfactionibus in primitiva eccleſia* uſitatis, *vel de exercitiis poenitentiae, pietatis* ac novitatis vitae, qualia ſunt oratio, eleemoſyna, ieiunium, tolerantia afflictionum &c. vel etiam *de caſtigationibus civilibus & eccleſiaſticis*, diſciplinae conſervandae ergo impoſitis; ſecus, ſi de *indebitis* ac *ſupererogationis operibus*, vel ἐθελοθρησκείαις ſeu *voluntariis cultibus*, hoc fine requiſitis, ut pro peccatis ſatisfiat, accipiantur. Denique ſatisfactiones eccleſiaſticas a Patribus interdum vocari *ſatisfactiones Deo factas.* Gerh. C. C. 1280. L. de Poenit. §. 125. Chemn. E. C. T. part. 2. p. 400. G. Calixt. C. D. P. 34. & in Epit. theol. p. 158. Fabricius Syſt. theol. 592. Sequitur iam, ut indicemus Pontificiorum de ſatisfactione ſacramentali doctrinam. Nempe illi docent, interdum quidem, ſed *non ſemper* tamen, temporalem poenam cum culpa remitti, *& pro illa poena temporali* ab homine reconciliato ſatisfieri poſſe *per opera* ſive ſponte ſuſcepta, ſive a ſacerdote iniuncta, qualia ſunt ieiunia, orationes, eleemoſynae, vel alia etiam pietatis opera, eaque imponenda non tantum ad novae vitae cuſtodiam, & infirmitatis medicamentum, ſed etiam

am ad praeteritorum vindictam & castigationem; esse quo que *cum vero animi dolore* frequentanda. Neque vero ita hominum esse satisfactionem istam, ut non sit *per Christum Iesum*: nam qui ex nobis, tanquam ex nobis, nihil possumus, eo cooperante, qui nos confortat, omnia nos posse: ***ita non habere hominem, unde glorietur***, sed omnem gloriationem nostram in Christo esse, in quo vivimus, in quo meremur, in quo satisfacimus, facientes fructus dignos poenitentiae, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur a Patre: neminemque unquam catholicum sensisse, ex huiusmodi poenitentium satisfactionibus vim meriti & satisfactionis Domini nostri I. C. vel *obscurari*, vel aliqua ex parte *imminui*. Concil. trid. Sess. 14. de Poenit. c. 8. & 9. & can. 12. ac 13. Bellarm. l. 4. de Poenit. c. 13. p. 476. Bossuet E. D. C. 34. Kunckel. 396. Non hic quaestionem esse de sufficientia satisfactionis Christi, sed de *eius applicatione*, quantum attinet singulos poenitentes. Kunckel. 397. satisfactionem praesentis loci non esse perfectam, quae ad absolutam aequalitatem fit, sed *imperfectam* saltem, quae acceptatione & donatione Dei nititur. Bellarm. c. 1. p. 460. & c. 7. p. 466. Le Févre 304. Clingius apud Gerh. in C. C. 1283. ***neque simpliciter & essentialiter esse necessariam.*** Kunckel. 586. 617. opera satisfactoria dici *indebita*, non quod sint omnio indebita, sed quod *alias indebita* sint, si nempe homo, ea vel suscipiens, vel patiens, non peccasset. Bellarm. c. 13. p. 475. item quatenus *quoad certum modum* in particulari divinitus mandata non sunt. c. 6. p. 465. Petrus de Marca tract. gall. de Sacramento poenit. p. 61. ***determinationem certarum poenarum***, quae fit a sacerdote, sive quoad tempus, sive quoad modum, non esse iuris divini. c. 11. p. 473. vocabulum *poenae* in praesente materia non esse su-

men-

mendum stricte, sed late. Le Févre 304. Non autem esse de fide, 1. satisfactiones has esse vel *de congruo*, *vel de condigno*. 2. eas valere ***ex sola dignitate operis***, aut *ex iustitiae rigore*. 3. ***non nisi per opera charitatis***, aut ieiuniis, orationibus, eleemosynis, dummodo a charitate sint imperata. 4. iustum posse satisfacere *pro alio*. 5. viventem *pro mortuis*. 6. in ecclesia esse ***thesaurum satisfactionum Sanctorum.*** Veron. in Reg. fid. cath. §. 3. & autor Comp. Veron. 33. Le Févre 300. 7. *opera supererogationis* & ἐθελοθρησκείας aliquem hic habere locum, cum sermo sit de *operibus a Deo praeceptis*, maxime de oratione, ut infra dicetur. Sed audiamus etiam Cassandrum hac de re differentem. *De hac satisfactione*, ait ille, *non tantus erit conquerendi locus, si ex Ecclesiae sententia hunc in modum doceatur*, quod sola passio & mors unigeniti Dei sit satisfactio, & propitiatio pro nostris peccatis, *sive eo, quod ex origine contraximus, sive iis, quae ante vel post regenerationem ex carnis infirmitate commisimus: quae satisfactio offertur & applicatur nobis ministerio evangelii, id est, verbi & sacramentorum, accipitur autem fide, quae & ipsa Dei donum est. Quamvis autem virtute huius satisfactionis Christi, & culpa & poena aeterna peccato debita deleatur, certum est tamen*, Deum a poenitentibus, ob graviora praesertim delicta, lacrymas, ieiunia, preces, eleemosynas, & reliqua vere poenitentis animi indicia, ac denique totius vitae in melius immutationem ac emendationem requirere: *quod cum facimus*, Deo satisfacere pro peccato *dicimur, non quod pretium dignum & sufficiens diluendis peccatis offeramus, sed quod officia illa praestemus, quae Deus a peccatore, cui filii sui satisfactionem impartiri velit, requirit; quin &* huiusmodi poenitentiae fructibus seu satisfactionis operibus Deus placari, & peccata redimi & extingui *dicun-*

tur, quia, si ex motu & afflatu Spiritus S. fiant, ad impetrandam remissionem peccati faciunt, & poenas, quas inflicturus erat Deus, avertunt, & peccati inhaerentis reliquias extenuant ac minuunt, videlicet qua ratione eleemosynis dicuntur redimi peccata, ac ieiuniis & precibus Deus placari. *Hoc autem interest inter actionem poenitentiae seu exomologesin veteribus usitatam, & eam, quae nunc usu recepta est, quod olim, nisi his operibus ab Ecclesiae praefecto iniunctis rite peractis, absolutio & reconciliatio & communionis ius, per manus impositionem non concedebatur, ut ex multis Tertulliani & Cypriani locis constat:* — hodie vero statim, a facta confessione, manus poenitenti imponitur, & ad communionis ius admittitur, & post absolutionem opera aliqua pietatis, quae ad carnis castigationem & reliquiarum peccati expurgationem faciant, iniunguntur. *Quod ipsum utiliter fieri potest, si periti Ecclesiae ministri opera adhibeatur: de quo satisfactionis genere Scholastici constanter docuere*, eam non rite fieri, nisi gratiam & remissionem culpae ac poenae aeternae consequatur, *quae remissio fiat solo merito Christi, & ministerio sacerdotis, eamque satisfactionem potissimum valere* ad poenas temporarias mitigandas, & reliquias peccati, *ut diximus*, expurgandas. *Vnde est illud Scholasticorum axioma*: Nulla est satisfactio, nisi praecesserit condonatio. Hactenus Cassander, in Consultat. p. 947. qui sub fine huius capitis fatetur, ab imperitis & superstitiosis hominibus, *multa inepta & superstitiosa* huic doctrinae affica, & simplici populo persuasa esse, quae graviore concilio prudentiorum pastorum dissimulari, & paulatim in desuetudinem & oblivionem adduci debeant. Hinc Concil. trid. Sess. 14. c. 8. iubet *salutares & convenientes* satisfactiones iniungi. Et Catech. rom. Fabricii praescribit sacerdotibus, ne in irroganda

ganda satisfactionis poena quidquam suo arbitrio statuant, sed omnia *iustitia, prudentia & pietate dirigenda* existiment, atque ex omni satisfactionum genere maxime *orationem* poenitentibus praecipiant. p. 379. Quid ergo remanet tandem discriminis inter partes controvertentes? Walenburchii statuunt, a doctrina Pontificiorum de satisfactione poenitentiali & operibus satisfactoriis, *non adeo recedere Protestantes*: neque enim negare, opera poenitentialia, quae gratia Spiritus S. in conversis & per conversos operatur, esse Deo grata, eidemque placere; immo *praxin Protestantium*, qui tempore belli, vel pestis, vel famis, publica ieiunia & publicas orationes instituunt, sine dubio eum in finem, ut Dei indignationem avertant, & remissionem istarum poenarum temporalium obtineant, totam causam sibi tradere. Tom. II. p. 19. Et Iacobus Le Févre putat, de satisfactione non differre ipsos a Protestantibus, quam *quoad doctrinam de purgatorio*, p. 308. quandoquidem secundum Pontificios poena temporalis vel huius vitae est, vel futurae, adeoque in purgatorio sustinenda. Bellarm. l. 4. de Poenit. c. 2. p. 461. C. Vorstius hoc fert iudicium: *Si metaphoram in verbo* satisfactionis *adversarii nostri admitterent, nos certe id ipsum tolerare possemus.* in Antibellarm. p. 453. Atqui non proprie & stricte hoc in loco usurpari, mirum est, eum non vidisse: nam quicquid hac de re profiteatur Bellarm. l. 4. de Poenit. c. 7. Catechismus rom. Fabricii p. 367. quaestionem 52. sic format: *Quid proprie, quidque in materia confessionis significat satisfactio?* Non potuisset autem profecto sic formari, si suppositum fuisset, proprie & stricte etiam hic usurpari isthoc vocabulum. Et in responsione inter alia haec verba subiiciuntur: *Est autem satisfactio* (scil. proprie talis) *rei debitae integra solutio: nam quod satis*

est, ei videtur nihil deesse. Quare cum de gratiae reconciliatione loquimur, idem satisfacere *significat, quod alteri tantum praestare, quantum irato animo ad ulciscendam iniuriam satis esse possit: atque ita satisfactio nihil aliud est, quam iniuriae alteri illatae compensatio. Quod autem ad hunc locum attinet*, (ecce, iam loquitur de satisfactione secundum significationem impropriam, saltem analogicam) satisfactionis *nomen, divinarum rerum doctores, ad declarandam eam compensationem usurparunt, cum homo pro peccatis commissis Deo aliquid persolvit*, (id est, ut in seq. responsione explicatur, *homo a peccatis absolutus, poenae a sacerdote ipsi impositae solutionem praestat.* Hinc etiam in prædicta sequente responsione docetur, *propriam & plenam satisfactionem Christo esse adscribendam.* Walenburchii scribunt: *Quia S. scriptura multis ostendit exemplis, Deum post remissam peccatorum culpam & poenam aeternam*, castigare *peccatores poenis temporalibus, existimant Catholici, afflictiones voluntarias, ex amore Dei, & fide per charitatem operante susceptas, meritisq; & satisfactione I. Christi roboratas*, placare iram Dei, *& obtinere ab eiusdem misericordia remissionem istarum poenarum temporalium. Et hoc vocant* satisfactionem poenitentialem, & opera satisfactoria. Tom. 2. p. 19. Et Bossuetus: *Cum aspera peccatoribus & laboriosa opera iniungit* (Ecclesia,) *iique illa animo submisso subeunt, ea dicitur satisfactio.* In D. C. Exposit. p. 27. M. Anton De Dominis ait, per poenitentias ecclesiasticas iniunctas, nec non per afflictiones a peccatore sponte assumtas, Deo *quodammodo* satisfieri, satisfactione complacentiae. lib. 5. de Rep. eccl. c. 8. n. 3. 4. Cum ergo non proprie, sed improprie, vel analogice hoc loco sumatur vocabulum ***satisfactionis***, consideret ipse Vorstius, annon verba sua invertere, & sic scribere debuerit: ***Non tam de re ipsa, quam de verbis esse contentionem.***

Confer

Confer Chemn. p. 720. de origine vocabuli *satisfactionis* differentem, & G. Calixti C. D. P. p. 32. & 34.

Afflictiones voluntarias] Dicuntur sic illae, quae in foro poenitentiario infliguntur, & voluntarie adimplentur, ad quas implendas homines non coguntur nisi timore Dei, & stimulo conscientiae. Bellarm. l. 2. de Indulg. c. 1. 460.

* * *

INdulgentiae a nostratibus reiiciuntur, eo quod Pontificii statuant, Christum satisfecisse quidem pro peccatis nostris ac poena eorum aeterna, interim tamen pro *temporali poena hominibus ipsis satisfaciendum*, idque vel operibus sponte susceptis, vel a sacerdote iniunctis in hac vita, vel poena in purgatorio luenda post hanc vitam. Ne vero residuae istae poenae partim ob durationem temporis, partim ob cruciatuum atrocitatem intolerabiles fiant, ideo illos *indulgentias excogitasse*, quibus poenas illas redimi posse statuant, modo certa pecuniae summa indulgentiales literae *ab officialibus romani Pontificis* redimantur. Structuram istarum indulgentiarum hanc esse, 1. Remissa nobis a Deo culpa & poena aeterna, superesse *adhuc luendam poenam temporalem.* 2. Eam sustineri non tantum in hac vita, sed etiam, & cum primis post hanc vitam, in purgatorio. 3. Pro ista poena temporali pios & posse & debere satisfacere Deo. 4. Sanctos & solere & posse quandoq; *plura* facere & *pati*, quam merentur ipsorum peccata. 5. *Ex illis superabundantibus Sanctorum passionibus* & meritis, cum Christi satisfactione & merito copulatis, exsurgere ingentem *thesaurum apud ecclesiam* depositum. 6. Istum thesaurum, atque illas superabundantes satisfactiones posse aliis, qui pro poena temporali adhuc satisfacere debent, *communicari*, & *applicari*, iisdemque prodesse ad poenae vel remissionem vel

De Indulgentiis.

vel mitigationem. 7. *Potestatem applicandi hunc thesaurum* habere Pontificem, ecclesiae caput, cum suis Episcopis, ita ut Pontifex, cui soli claves huius thesauri datae, eum vel per se *immediate* in iubilaeo, vel *mediate* per Episcopos, Metropolitanos, Legatos apostolicos, & summos Poenitentiarios dispenset. 8. Istam applicationem fieri per indulgentias, earumque bullas. 9. Eandem vero non esse absolutam, sed *conditionatam*, nempe si homines vere sint poenitentes, si aliquid faciant, *si aliquid dent vel erogent*. 10. Quibus conditionibus positis, sequi fructum indulgentiarum, h. e. remissionem poenae temporalis. 11. Nec solum viventibus in hac terra, sed *etiam animabus defunctorum* in purgatorio aestuantibus hunc thesaurum applicari, idque *per suffragia vivorum, b. e. per missas, vigilias, ieiunia*, orationes, atque alia satisfactoria & meritoria. Gerh. C. C. 1296. M. Ant. De Dominis l. 5. de Rep. eccl. c. 8. n. 18. Et has indulgentias pugnare 1. *contra meritum & satisfactionem Christi*, quasi illud pro culpa quidem peccatorum nostrorum omni, sed non pro tota eorum poena praestitum sit. 2. *contra gratuitam & plenariam remissionem Dei*, cum fingatur, illam esse semiplenam aut dimidiatam, quae debitum quidem remittat, sed debitorem nihilominus ad solutionem seu ad poenas obstrictum detineat. 3. *contra claves regni coelorum*; nam ubi Christus dicit: *Quicquid solveritis, erit solutum*, ibi romanenses indulgentias contradicere, & hoc pronunciare modo: Quicquid Christi claves solvunt, hoc Pontifex rom. suis poenis retinet, & ligatum mittit ad poenas, vel in hac vita, vel in purgatorio exsolvendas. Quin docere Pontificios, earum indulgentiam *non gratis* a Christo per fidem in absolutione quaerendam, *sed pretio a rom. Pontifice redimendam*. 4. *contra fidem*: fingi enim

enim, indulgentias non gratis fide accipi, sed pecunia: nam qui tantum dederit, *licitando coëmere sibi tot vel dierum*, vel annorum indulgentiam. 5. *contra doctrinam de bonis operibus*, quoniam opera & afflictiones Sanctorum fingantur esse *supererogationes*, quae in pretium ad solvendum reatum peccati alii communicari, *& data pecunia divendi* possint. & 6. talem nundinationem in scriptura S. iam dudum *damnatam esse*, ut 2. Pet. 2, 3. Chemn. part. IV. E. C. T. p. 708 & Alb. Veiel disp. de Indulg. Certe, ne quidem inter Pontificios, viri pii, periti & candidi diffiteri possunt, multos partim per ipsos Pontifices, partim per homines quaestuarios, introductos in ecclesiam fuisse abusus indulgentiarum, (ut quando dabantur *indulgentiae trium, quatuor, sex, octo millium, mille*, vel *undecies mille millenorum annorum*, immo *tot indulgentiae, quot guttae cadunt, si per tres dies continue pluat*, referente Gerhardo C. C. 1305. 1297. quales indulgentiae a Bellarmino & Dominico de Dominicis, Episcopo torcellano & brixiensi, apud Gerh. in C. C. 1302. 1298. vocantur *indiscretae & superfluae*, ab Innocentio III. de Poenit. & remiss. c. *Cum ex eo*, nec non a Maldonato & aliis candidi pectoris Romano Catholicis, apud eund. Gerh. 1307. *portentosae*. Quanquam excessivas istas non a Pontificibus, sed vel confictas, vel a quaestuariis profectas esse autumat Bellarm. l. 2. de Indulg. c. ult. caeterarum vero sanum sensum elicere ac tradere conatur idem l. 1. de Indulg. c. 9.) neque a doctoribus scholasticis & Pontificum gnathonibus satis fideliter retentam sinceram earum doctrinam, atque adeo inde iustam Luthero datam occasionem impugnandi doctrinam & abusus illos: quamvis enim Bellarminus amoliatur a Pontificibus culpam nundinationis indulgentiarum, atque eam omnem in alios transferat,

ava-

avaritiae febri laborantes, l. 2. de Indulg. c. 7. 8. 10. 18. 20. & similiter Kunckelius p. 853. obstat tamen exemplum *Bonifacii* IX. sub quo, ut Platina in Vitis Pontif. p. 275. refert, indulgentiae, & quidem plenariae, *ita passim vendebantur*, ut iam vilesceret clavium & literarum apostolicarum auctoritas, & licet ille abusum hunc revocare conaretur, *cognatorum tamen precibus eo identidem*, teste iterum Platina, *redire coactus est*; sed coactus scilicet sua voluntate: unde & culpa in eum merito recidit. Obstant etiam querelae Nationis germanicae, in Gravaminum art. 3. 4. & 67. apud Gerh. C. C. 1299. quando a Germanis cordate dicitur, *illud importabile iam olim increbuisse romanarum indulgentiarum onus, quando sub persona pietatis, cum aut basilicas rom. construere volentes, aut profectionem in Turcas parare polliciti rom. Pontifices, omnem exsuxerunt pecuniarum medullam, eamque non in rem fidei, aut alioqui reip. christianae necessariam, sed in propinquorum luxum ac sublevandam familiam ipsorum verterunt.* Interim negari nequit, abusus eiusmodi indulgentiarum, inter ipsos Pontificios non tantum olim improbatos fuisse, ut a Conciliis lateranensi, lugdunensi, viennensi, (apud Chemnit. in E. C. T. 730. 733. 739.) atque a Sixto IV. in X. de Poenit. & remiss. tit. 9. cap. 4. sed etiam ab ipso Concilio trid. Sess. XXI. c. 9. de Reformat. p. 232. & Sess. 25. de Reform. decreto de Indulgent. p. 626. aliisque apud Gerh. in C. C. 1297. & Chemn. 733. & seqq. Ac notandum, iuxta Professionem fidei tridentinae p. 452. & decretum de Indulg. conditum in Sess. XXV. nihil aliud esse de fide, quam hoc, *Indulgentiarum potestatem a Christo* (iuxta Matth. 16, 19. & Ioh. 20, 23.) in ecclesia relictam fuisse, *illarumque usum christiano populo maxime salutarem esse*: non autem esse de fide, 1. In usu seu concessione in-

dul-

dulgentiae, prout de facto fit, remitti poenas temporales debitas post peccatum remissum in foro Dei, sive in purgatorio, sive in hac vita: aut etiam ecclesiam habere voluntatem, cum concedit indulgentias, has poenas relaxandi, & de facto illas relaxari. 2. Esse in ecclesia *potestatem* concedendi indulgentias, per quas remittuntur fidelibus poenae pro peccatis remissis debitae apud Deum, *sive in hac vita, sive in purgatorio*, seu, posse ecclesiam talem indulgentiam concedere, *ut per eam remittat reatum poenae temporalis apud Deum immediate, ac per se*, per solam relaxationem seu condonationem ipsius poenae luendae in purgatorio, sive in hac vita. 3. Ecclesiam velle aut posse concedere *defunctis* indulgentiam, nisi per modum suffragii, aut orationis. Veron. Reg. fid. cath. §. 4.& autor Compend. Veron. p. 35. Kunkel 849. Caeterum dicunt, convenire se inter & Protestantes, *esse in ecclesia potestatem remittendi peccata, non tantum quoad culpam, & poenam aeternam, sed etiam quoad poenam temporalem*, idque fundari in superius citatis S. scripturae textibus, Matth. 16, 19. & Ioh. 20, 23. atque id esse *indulgentias plenarias & plenissimas*, quod Protestantes profitentur de pastoribus suis omnibus & singulis, *eos remittere peccata quoad omnem poenam, etiam temporalem*. Autor Comp. Veron. 36. *Christum pro culpa & omni poena peccatorum plenissime Deo satisfecisse*, sed *applicari* istam Christi satisfactionem per opera poenitentiae, atque in eadem etiam fundari indulgentias. Bellarm. l. 2. de Indulg. c. 10. Walenb. tom 2. 20. Kunkel 849. Bossuet. E. D. C. c. 35. 38. Deum, qui non solum *pars offensa*, sed etiam *iudex* est, remittere quidem culpam, cum poenitentes in gratiam recipit, sed poenam totam, ut ex Davidis exemplo constet, non semper remittere. Christum

stum non solum dixisse, quicquid solveritis, erit solutum, sed etiam: *Quicquid ligaveritis, erit ligatum.* Itaque indulgentiae datorem non ligare, quod Christus solvit; sed sicut potest solvere, *ita etiam posse ligare*; & hac porestate ligare ad poenam subeundam, quos a culpa & poena aeterna absolvit. Per indulgentias minime iustificari homines, sed *dari iustificatis*, & iustificatis quidem *gratis per fidem*, quae non sit nuda persvasio, sed viva & efficax. Si qui statuant indulgentiarum thesaurum, eos ad illum non requirere opera supererogationis, *sed passiones superabundantes Sanctorum.* Neque se existimare, indulgentias pecuniis vendi vel emi; sed *gratis dari*, certe gratis *esse dandas.* Bellarm. l. c. & c. 9. p. 468. Kunckel 852. Non autem huc pertinere *solutionem*, *quae fit officialibus pontificiis* pro opera & labore in scribendis & mundandis Bullis indulgentiarum, cum talis solutio bene stare possit cum dono gratuito, sicuti gratis quis accipit privilegium aliquod a Principe, pro cuius formatione tamen officialibus eius, in compensationem laboris, lubens meritoque mercedem persolvit. Si autem abusus hac in re reductus fuerit in Cancellariam pontificiam, ut testari sustinet M. Ant. De Dominis l. 5. de R. E. c. 8. n. 36. eum tollendum & abrogandum esse. Sed missis hisce, inter quae sunt, quae materiam disputationis alunt, tantum abest, ut removeant minuantve, audiamus Calixtum nostrum, cumque eo conferamus praestantissimos duumviros, G. Cassandrum, & Episcopum Meldensem, ut ita ad finem huius controversiae tandem perveniamus. Enimvero Calixtus in C. D. P. sic pronunciat: *Indulgentias aliarum poenarum, ecclesia concedere non potest, nec olim concessit, quam quas ipsa in foro poenitentiae imposuisset.* p. 47. Cassander in Consult. ad art. 12. scribit: *Poenarum*

cano-

canonicarum imminutio & relaxatio indulgentia *dicebatur, quae hodie ad privatas quoque satisfactiones traducta est, & ab Episcopis ad solum Pontificem rom. plenum indulgentiarum tribuendarum ius delatum est, circa quarum usum & praxin optimi quique* correctionem & moderationem *fieri desiderarunt, ut quae parum dextre tractatae, huius dilacerationis ecclesiae praecipuam occasionem dedere. Hic optandum esset, ut Pontifices publicae paci aliquid concedant.* p. 949. Vid. etiam Papebrochius in Actis Sanctorum, deque eo Praefamen solennis atque inauguralis disputationis Mart. Veielii p. 2. Bossueti haec sunt: *Cum propter eximiam poenitentium pietatem, aliave bona opera, quae iis Ecclesia praescripserit, e debita aliquid ipsis poena remittit, ea dicitur indulgentia.* Idemque ex tridentina synodo infert, *indulgentiarum dispensandarum modum* ad disciplinam *pertinere.* D. C. E. p. 37. Atque hoc modo indulgentias probat M. Ant. De Dominis, quas alioquin, ut articulum novitium, improbat, l. 7. de Rep. eccles. c. 11. n. 9. & l. 5. c. 8. n. 13. & seqq. Impleatur ergo votum Cassandri, revocetur praxis indulgentiarum ad veteris morem ecclesiae, subsistatur cum magno Bossueto intra terminos disciplinae, & fori poenitentiarii, missaeque fiant opiniones recentiores de thesauro ecclesiae, (de quo etiam quidam antiquiorum Scholasticorum, teste Bellarmino l. 1. de Indulg. c. 2, dubitarunt) eiusque applicatione ad vivos & animas in purgatorio &c. tunc vero etiam huic controversiae imponi poterit finis, & sanioris dogmatis licitae praxi plena concedi indulgentia.

Indulgentiae trium, quatuor, sex, octo millium annorum] Quando *indulgentiae* dantur *aliquot centum, vel millium annorum*, intelligendum id est de poena intensive, non extensive considerata, id est, de liberatione a poena, quam quis luere in purgatorio debuisset tot annorum spatio, si tamdiu ibi subsisteret. Cotonus Instit. cathol. 773.

* * *

De Purgatorio. NOstrates dicunt, non esse articulum fidei, dari purgatorium. De quo Gerb. in C.C. p. 940. scribit, statum quaestionis hunc esse, num animae piorum post suum e corporibus discessum, ob adhaerentes peccati sordes & debitum luendae poenae, *flammis cuiusdam ignis, in loco subterraneo, inferno proximo*, expurgandae sint, antequam in regnum coelorum assumantur: & an dogma hoc sit *fidei articulus*, omnibus Christianis scitu ac creditu ad salutem necessarius? atque utrumque hoc, ut nos negamus, ita affirmare Pontificios; eosdemque purgatorii nomine intelligere tum *purgationis medium*, videlicet ignem illum, quo animas piorum a corporibus separatas ustulari arbitrentur, tum *locum purgationis*, quem inferno vicinum ac contiguum statuant. Atque hoc dogma Pontificiorum 1. destitui suffragio scripturae, immo 2. adversari scripturae, & 3. pugnare cum analogia fidei, quandoquidem labefactet complures articulos, videlicet de Dei misericordia, de Dei iustitia, de merito Christi, de evangelio, de salutari fructu poenitentiae, de peccatorum remissione, de iustificationis fructu & hominum iustificatorum statu, & de extremo iudicio. Confer L. de Morte §. 181. Idem de hoc dogmate iudicium ferunt & alii nostratium, ut Chemn. E. C. T. part. 3. p. 556. G. Calixt. C. D. P. 44. & disp. inaugur. Gesenii de Igne purgatorio, Fabricius Syst. theol. 599. Raupp. L. de Inferno p. 233. Sed, ne in minimo forte cespitemus, cognoscenda nobis est sententia Pontificiorum ex ipsorum symbolicis aliisque indubitatae fidei scriptis. Synodus trid. in Sess. 25. decreto de Purgator. p. 506. docet, ut ait, cum catholica Ecclesia, Spiritu S. edocta ex S. literis, (& quidem, uti marginale habet, ex 1. Cor. 3, 13.) & anti-

antiqua Patrum traditione, sacrisque conciliis, ***purgatorium esse***, animasque ibi detentas, fidelium suffragiis, potissimum vero acceptabili altaris sacrificio iuvari, praecipitque Episcopis, ut sanam de purgatorio doctrinam, a SS. Patribus & sacris conciliis traditam, a Christi fidelibus ***credi, teneri, doceri & ubique praedicari***, diligenter studeant. Proscribit autem & excludit *difficiliores & subtiliores **atque inutiles quaestiones*** a popularibus concionibus, item *incerta, vel quae specie falsi laborant*, nec non *curiosa, superstitiosa, & ad turpe lucrum spectantia.* Et sess. VI. canon. 30. sic sonat: *Si quis post acceptam iustificationis gratiam, cuilibet peccatori poenitenti ita culpam remitti, & reatum aeternae poenae deleri dixerit, ut nullus remaneat* reatus poenae temporalis exsolvendae *vel in hoc seculo, vel in futuro* in purgatorio, *antequam ad regna coelorum aditus patere possit, anathema sit.* p. 60. Et in Professi. fid. rom. dicitur: *Constanter teneo, purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis iuvari.* p. 452. *Praeter gehennam est* purgatorius ignis, *quo piorum animae ad definitum tempus cruciatae expiantur, ut eis in aeternam patriam ingressus patere possit, in quam nihil coinquinatum ingreditur.* Catech. rom. Fabricii p. 75. Idemque vocem ***mali***, a quo liberari petimus in oratione Domini, etiam sic interpretatur, quod homines Deum rogent, ***ne igne purgatorii torqueantur.*** p. 717. Bossuetus ne ignem quidem nominat, sed satis ei est sic scribere: ***Quicunque ex hac vita in Christi gratia & charitate decedunt***, nondum tamen persolutis his poenis, quas iustus reservavit Deus, ***in altera vita luunt. Qua re adducta est omnis retro christiana antiquitas, ut pro fidelibus in pace & communione ecclesiae vita functis***, preces, eleemosynas, sacrificiaque offerret, ***cum certa fide crederet, his illos auxiliis iuvari.*** *Id nobis de animis* in purgatorio

 deten-

detentis credendum proponit tridentina synodus. D. C. Exposit. p. 37. Non autem definit Synodus illa, adeoque de fide non est, 1) ***qualis sit ignis*** purgatorii, verusne & proprius, & eiusdem cum nostro elementari speciei. 2) ***ubi*** sit purgatorium. 3) quae sit ibi ***poenarum ratio***, seu an sint poenae purgatorii maiores poenis huius vitae. 4) ***quanto tempore*** duret purgatorium. Veron. R. F. C. §. 5. & autor Comp. Veron. p. 37. Walenb. tom. 2. p. 8. 274. Bossuet. 38. 5) ***Pontificem posse pro suo arbitrio*** animas e purgatorio liberare. Volus. 90. Neque etiam de nomine ***purgatorii*** volunt cum quoquam contendere, sed libertatem relinquunt, aptius, si quod habes, in eius locum substituendi. Walenb. tom. 2. 291. num. 114. Interim uti pro certo supponitur, purgatorium Romanensium non habere firmum in sacris literis fundamentum, neque ex Patribus certo & perspicue probari posse, immo Patrum doctrinae repugnare, & ex plurimis virorum doctissimorum & moderatissimorum dictis constare, quod sententia de purgatorio non fuerit omnium una & constans, nec pro articulo fidei semper habita; de quibus omnibus prolixe disserit Gul. Forbesius p. 209. & seqq. ita, ex eiusdem iudicio, in quo praeeuntem habet M. Antonium De Dominis l. 7. de Rep. eccl. c. 11. n. 9. ad controversiam hanc tollendam, vel saltem minuendam, conduceret, si ***Romanenses*** opinionem suam de ***purgatorio punitivo*** pro fidei articulo nec habeant ipsimet, neque aliis obtrudant; ***Protestantes*** autem haereseos aut impietatis apertae eundem non damnent, ***& neutri***, Graecorum, atque etiam quorundam virorum doctorum in latina ecclesia, communi de ***purgatorio expiatorio*** sententiae pertinaciter obluctentur. Forbes. p. 266.

Patrum doctrinae repugnare] Nam Augustinum, aiunt, qui vel

vel maxime adstruere videtur purgatorium, dubitanter de eo loqui. Calixt. disp. de Purgator. n. 71. Ad quod respondent Walenburchii, eum etiam assertive loqui; assertive de ipso purgatorio, dubitanter de genere peccati, quod punitur. tom. 2. 310.

* * *

POsse, ex libera devotione, orationem pro defunctis fieri, & hanc etiam formulam usurpari, *Deus det ei pacatam quietem, & beatam ad vitam resurrectionem*, non negant inter nostrates, quotquot sunt moderatiores, nominatim Lutherus in Conf. de S. Coena circa fin. tom. 3. Ien. germ. p. 512. Apol. A. Conf. ad Abus. 3. de Missa p. 274. M. Chemnit. E. C. T. part. 3. p. 536. Vrb. Rhegius de Form. caute loqu. c. 16. n. 9. & seqq. Ioh. Gerh. C. C. 985. & L. de Morte §. 87. G. Calixt. disp. de Purpator. n. 62. Fabricius Syst. theol. 644. Hildebr. theol. dogmat. p. 176. & plures alii, quos citat M. S. Grabe in annot. ad locum Rhegii p. 86. Sed *de usu harum precum, an beatitudinem animae separatae augeant*, vel *iudicium discussionis mitigent*, aut *alio modo defunctum iuvent*, certi nihil constare videtur Hildebrando p. 177. cui Episcopi eccl. anglic. in Pia & cathol. christiani hominis institut. edita sub Henrico VIII. apud Guil. Forbes. p. 261. ex parte consentiunt. Satis est, quod sint, si non apostolica traditio, uti praetendit Chrysost. homil. 3. in epist. ad Philipp. tamen mos antiquissimus in ecclesia, & passim receptus. Gul. Forbes. 246. 267. Walenb. tom. 2. 296. 297. Creditum quoque fuit, hunc morem orandi pro defunctis & Deo gratum, & animabus defunctorum utilem esse. Forbes. 256. 261. Walenb. tom. 2. 296. 307. 308. 311. Vt, ex iudicio Forbesii p. 246, Cassander in Consultat. ad art. 24. verissime hunc in modum scribat: *Omnibus christianis animis hoc perpetuo insitum fuit, ut spiritus eorum, qui*

De Oratione pro defunctis.

qui Christi sacramento initiati, in confessione nominis eius cum aliqua poenitenti significatione ex hac vita excesserunt, Dei clementiae commendarent, ut eis remissionem peccati, quietem aeternam, & consortium electorum precarentur. Et quamvis de statu illarum animarum (vide Forbes. p. 240. & seqq. & Grabii Append. apologet. ad libellum Vrb. Rhegii de F. C. L.) *quibus haec prodessent, non satis constaret, nec in omnes conveniret, omnium tamen hoc officium, ut testimonium charitatis erga defunctum, & ut professionem fidei de immortalitate animarum, & futura resurrectione, Deo gratum & ecclesiae utile esse iudicarunt.* Cui consentit Gerh. in locis citatis. Attamen ex talibus rationibus purgatorium Romanensium minime probari posse, demonstrare nisi sunt viri doctissimi, Graeci, Romanenses, Protestantes, quoniam 1. censuerunt complures ex veteribus, cum Graecis, tum Latinis, iustorum animas, ante diem iudicii, Dei visione non frui, sed in abditis quibusdam receptaculis, vel coelestibus, vel extra coelos, detineri, ubi quiescant, beatam corporum resurrectionem & gloriae promissae consummationem, cum gaudio in visione humanitatis Christi, & frequenti angelorum visitatione, expectantes. 2. Oratio in canone missae, *ut Deus meminerit eorum, qui nos praecesserunt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis, ipsisque & omnibus in Christo quiescentibus locum refrigerii, lucis, & pacis* (*ubi refrigerium*, ut videtur Forbesio, opponitur aestui desiderii, quo ad resurrectionem & gloriae plenitudinem animae anhelare credebantur; per *lucem* autem, lumen beatae visionis; per *pacem*, ab omni etiam damni malo immunitas intelligitur) *indulgeat*, sententiae de purgatorio plane contraria est. Forbes. 249. 252. 3. Aliae fuerunt veteribus causae, propter quas preces oblationesque pro defunctis facerent, nempe ut charita-

ritatem erga eos suam, & fidem de resurrectione testarentur, & (quod ad oblationes panis & vini attinet) inde communicarent, qui exequias iverant, atque de reliquo eleemosynae distribuerentur. Quem morem veteres *missam pro defunctis* ideo vocarunt, quod oblationes nomine defuncti in & ab ecclesia receptae, indicio essent, defunctum in communione cum ecclesia obiisse, & qui inde post deductum funus participabant, eiusdem cum defuncto fidei esse & in eadem fide perseverare ac mori velle. Hildebr. Theol. dogm. 177. 4. Veteres etiam orarunt & obtulerunt pro universis in fide defunctis, etiam pro Patriarchis, Prophetis, Apostolis, Evangelistis, Martyribus, Confessoribus, quos in coelis esse nulli dubitabant. G. Forbes. 253. Gerh. C. C. 985. Calixt. disp. de Purgator. n. 62. Sed quaenam Pontificiorum sententia est de precibus pro defunctis? Concilium trid. Sess. 25. decreto de Purgator. p. 506. docet, purgatorium esse, *animasque ibi detentas fidelium suffragiis, potissimum vero acceptabili altaris sacrificio iuvari.* Et hoc repetit Professio fidei cathol. omissis duntaxat verbis de altaris sacrificio p. 452. Itaque fidei romanae dogma est, *fidelium defunctorum animas in purgatorio existentes, vivorum suffragiis iuvari*, minime autem sequentia: 1. Suffragia viventium, pro defunctis esse *satisfactiones*. 2. Sacrificium missae, *certa lege & promissione semper operari remissionem poenae* circa defunctos, existentes in purgatorio. 3. Suffragia, quae a fidelibus *pro determinatis defunctis* fiunt, *certa lege iis prodesse*. 4. Sacrificium missae *ex opere operato* id ipsum praestare. 5. Remissionem poenae, *fieri per applicationem satisfactionum hominum vivorum.* Veron. R. F. C. c. 2. §. 5. eiusque Epitomator p. 38. 39. Walenb. T. 2. 303. Iidem illustrissimi Walenburchii asserunt, *convenire inter Catho-*

licos & Protestantes, 1. *Non esse orandum pro iis defunctis, quorum animas constat esse in inferno*, sive ut a peccato mortali, sive ut a poenis liberentur aeternis. 2. Non esse petendum *pro sanctis cum Christo regnantibus*, sive ut a macula cuiuscunque peccati emundentur, sive ut ab inflictis poenis eximantur. 3. Quando veteres orarunt pro Patriarchis, Prophetis, Apostolis, aliisque sanctis, non fudisse eos illas preces, ut liberarentur e limbo vel a poenis purgatorii; sed *orationes illas fuisse gratiarum actiones pro divinis in sanctos collatis beneficiis* p.302. Quamvis autem Forbesius purgatorium romanensium ex precibus pro defunctis inferri posse neget, non tamen diffitetur, plurimos Patrum censuisse, *peccata etiam quaedam leviora, in hac vita quoad culpam & poenam forte non remissa, post mortem remitti*, per intercessionem ecclesiae in precibus publicis, ac praesertim illis, quae fiebant in tremendorum celebratione mysteriorum, & per orationes, atque oblationes seu eleemosynas a privatis pro illis factas seu datas. p. 253. & ecclesiam universam ritum pro mortuis orandi non solum *licitum*, sed etiam defunctis aliqua ratione *utilem* existimasse. p. 256. Qua in re, si Pontificii, seposito tantisper purgatorio punitivo, ecclesiae veteri consentiunt, cum ipsis aeque facimus, ac cum veteri illa ecclesia.

Posse ex libera devotione] Lutherus, & alii quidam inter nostrates, addunt: *Semel atque iterum*. Quod si intelligunt de eo, quod saepius fit, consentientes habent Romano-catholicos; sin de unica duntaxat, aut plurimum de duabus vicibus, ex suppositione, aliter facientem firmitati fidei, quam habere oportet christianum, adversari, tunc vero legi potest, quod respondet Sidonius (i. e. Michael Heldingus, Suffraganeus moguntinus, & Episcopus primo sidonius, deinde merseburgensis) homil. 12. de Missa p. 70. Ich habe auch / inquit ille, etwas gelesen bey denen / die ohn Zweyfel

fel den Geyst Gottes gehabt / und sich umb die Art des Glaubens etwas verstanden haben. Aber mein Lebenlang nie Leut funden / die ihrer Sachen so gewiß weren. Ich weys wol / das man im Glauben bitten / (Luc. 18.) und Gott vertrauen soll / das er die Gebett seiner Gläubigen gewißlich hören wölle. Weyß aber daneben / daß man ohn unterlaß bitten soll. Weyß / das der heilig Paulus für ain Anligens dreymal den Herrn gebetten hat. (2. Cor. 12.) Weyß / das der Prophet (Habac. c. 2.) sagt: Wañ der Herr verzeucht / so soll man auf ihn warten. Weyß / das es keinem Menschen gebürt / Gott ain Ziel zusetzen / (Judith 5.) wann er den Menschen erhören soll. Weyß auch / daß Gott vilmals die bittende auffzeucht / und sy nicht so bald hört / und doch ihnen zu gut. Ps. 21. Hierauff will ich den gesectwinden Vettern mein einfältigkeit bekennen /: die ich zwar umb ihrer willen nicht abstellen kan / dann ich sie mit allen waren Christen gemein hab.: Alle Zeit / meins lebens / und alle tag / will ich durch verleyhung göttlicher gnaden / den almächtigen Gott / für meine geliebte Vater und Mutter / und für alle verstorbene Christen bitten. Wiwol ich der hoffnung bin / der almächtig Gott / nach seiner güte und erbarmnuß / habe sie vor lengst zu gnaden angenommen /: und ihnen rüw mit allen außerwöhlten verschafft. Doch weiß ich wol / wann sy meines bittens gleich nicht bedörffen / das dennoch betten kain todtsünd ist. Ich bitte auch den almächtigen Gott / das ehr meinen Freunden und Verwandten / die nach mir auff erden bleiben werden / auch den willen eingeben wölle / das sie mich alle Zeit ihrs lebens / in ihrer lieb und sorg behalten / und für meine sünd und gebrechlichheit zu dem himmelischen Gott / durch unsern gemainen Seligmacher Jesum Christum / one unterlaßen bitten wöllen.

* * *

De Sacrificio missae. Lutherani negant, eucharistiam esse externum, visibile ac proprie dictum sacrificium; in quo corpus & sanguis Domini, sub visibili specie panis & vini, vere ac proprie Deo offerantur. Sicut igitur concedunt, eam *sacrificium* vocari posse 1. *propter memoriam sacrificii Christi*, in ea celebratam. 2. propter *dona*, a communicantibus ad eius celebrationem oblata, prout in veteri ecclesia mos erat. 3. propter *preces & gratiarum actiones*, quae in eius celebratione fieri debent, ac fiunt. 4. in quantum quaevis *pietatis exercitia*, quae circa eucharistiam instituuntur, dici possunt sacrificia. 5. propter *victimam*, *quae in cruce* pro peccatis nostris oblata, ibi dispensatur & sumitur: ita negant, in missa, tanquam externo, visibili, ac vere & proprie dicto sacrificio, sub speciebus panis & vini, sacrificulos corpus & sanguinem Christi Deo offerre, vel offerre debere, item, *gestus & ritus illos missificantium* esse sacrificium vere & proprie sic dictum. Et hoc esse in quaestione, scribit Gerh. C. C. 1200. atque ante eum Chemnit. E. C. T. part. 2. p. 334. 346. At vero Catholici non docent, sacrificium consistere in multiplicibus ceremoniis missae: Kunkel 694. Walenb. tom. 2. 362. & 365. Bellarm. l. 1. de Missa c. 26. P. Dionys. Werlensis in Explicat. missae (Meß-Berichter) P. 1. c. 3. n. 1. 3. — 7. 10. — 15. 41. 42. 46. 50. 53. 63, 70. 76. 77. sed hoc, *in missa repraesentari Christi passionem variis actibus*, *gestibus*, *ornamentis*, *ritibus*, ipsum vero *sacrificium proprie consistere in oblatione corporis & sanguinis Domini*, *quae a sacerdote fit Deo*. Bellarm. l. cit. c. 1. Nempe, ut ibidem ille scribit, *quando quaeritur?* Utrum missa sit sacrificium? *sensus quaestionis est*: *Utrum* actio illa sacra, in qua conficitur eucharistia, *multis praecedentibus & sequen-*

sequentibus precibus, & ceremoniis, sit sacrificium? Nec intelligunt, quaestionem esse, an singuli illi ritus sint de essentia sacrificii, sed solum, an inter illos ritus sit aliquis, qui proprie sacrificium dici debeat, *ad quem reliqui omnes referantur?* Proprie, inquam, & vere. De tali loquitur Concilium tridentinum Sess. XXII. c. 1. & can. 1. nec non Professio fid. cathol. p. 451. Protestantes sacrificiorum doctrinam, lumini naturae impervium, ex V. T. arcessendam esse rati, supponunt, ***ad formalem rationem seu essentiam sacrificii proprie dicti requiri, ut res oblata, si viva sit, per occisionem destruatur***, atque ita mutetur, ut desinat esse id, quod ante erat. Eandem hypothesin tenet Bellarminus l. 1. de Missa c. 2. p. 308. secundum quam S. coena non potest dici sacrificium proprie dictum. At enim vero alii Romano-catholicorum supponunt, occisionem rei oblatae, ad essentiam seu formalem rationem sacrificii proprie dicti non pertinere, sed esse duntaxat aliquid ex parte materiae oblatae necessario requisitum, & hinc sacrificium animalis proprie dictum sic definiunt, quod sit signum vel nota in re aliqua existens, qua profiteamur, Deum esse autorem vitae & necis, praescindendo, an ex parte materiae oblatae professio illa fiat, per actualem rei viventis occisionem, an per nudam occisionis illius quondam factae commemorationem aut repraesentationem, dummodo in actu illo sacrificandi reperiatur vera professio, significatio, & nota divinae omnipotentiae, qualis in cruentis sacrificiis locum habet. Vazquez apud Walenb. tom. 2. p. 32. 364. Petrus de Marca differt. de Sacrif. missae p. 96. 97. Veronius in R. F. C. c. 2. §. 14. autor Comp. Veron. 102. Bossuetus c. 14. p. 78. Le Févre 173. Et porro distinguunt sacrificium proprie dictum in absolutum & relativum. *Absolutum* vocant,

 quod

quod non eſt alterius ſacrificii commemoratio & repraeſentatio, ſed ad formalem ſuam rationem requirit actualem rei offerendae occiſionem: *Relativum ſeu Commemorativum*, quod eſt alterius ſacrificii nuda commemoratio & repraeſentatio, rei oblatae novam occiſionem, ad formalem ſuam rationem, non requirens. Neque aliud in miſſa, quam relativum ſacrificium docet aſſeritque Concilium trid. Seſſ. XXII. c. 1. & can. 3. Cui adde auctores modo allegatos, nec non Additam. V. R. Wicelii p. 303. Eccium in Hiſt. A. C. Chytraei p. 234. & in Amica tractat. inter partes, ibid. p. 248. Cochlaeum apud Andr. Fabricium in Harm. Conf. aug. 407. Sidonium homil. 3. & 4. de Miſſa, Le Févre 168. Kunckel. 682. Vt adeo Concilio trid. *ſacrificium proprie & vere dictum* ſit & dicatur illud, quod eſt repraeſentativum, ceu bene obſervant Walenb. tom. 2. p. 364. & Le Févre l. c. dum Ieſus Chriſtus ibi vere adeſt, & praeſentatur Deo ſub hac mortis ſpecie vel imagine. Boſſuet. ex eod. Concil. p. 80. Sane Irenaeus, Tertullianus, & Cyprianus, mentionem faciunt *oblationis*, Gregorius nazianzenus *incruenti ſacrificii*, ſicut ex Centuriis magdeb. obſervat auctor Des Reflex. ſur les differ. de la relig. part. 1. p. 151. | Iudicetur iam, an hoc ſenſu concedere liceat, vel non liceat, S. euchariſtiam eſſe ſacrificium vere & proprie dictum, cum caeteroquin & Pontificii doceant, 1. *Chriſtum de novo non occidi*, nec occidi poſſe. 2. Verum Chriſti corpus, & verum eiusdem ſanguinem in miſſa ***realiter eſſe praeſentia.*** 3. ***In reali hac praeſentia Chriſti***, non vero in transſubſtantiatione, fundari ſacrificium miſſae. 4. S. euchariſtiam, vel potius ***actum conſecrationis***, ***eatenus ſolum eſſe ſacrificium***, quatenus per illam efficitur, ut pro ipſo corpore & ſanguine Chriſti, realiter ibi praeſentibus, cruen-

cum

tum illius sacrificium, quod in cruce pro nobis oblatum est, repraesentetur & commemoretur. 5. In missa *non esse sacrificii in cruce oblati reiterationem*, sed commemorationem 6. *Sacerdotes non in suis ipsorum personis Deo offerre sacrificium missae*, quasi successores essent Christi in sacerdotio, sed eos id peragere, ut instrumenta & ministros Christi, quorum manibus & opera Christus, ut causa principalis, se ipse Patri offerat coelesti. 7. Sacerdotes missificantes *non esse creatores creatoris sui.* 8. Sacrificium missae *uni tantum Deo*, neutiquam vero Sanctis offerri licere. 9. Sacrificium missae *non remittere per se aut propria virtute peccata*, sed Christi merito. 10. Oblationem in missa, *non independenter a Christo*, homines reconciliare, & omni benedictionis genere cumulare. Concil. trid. Sess. XXII. c. 1. & 3. Galenus Catech. 135. 141. Walenb. tom. 2. 362. 365. Kunckel 735. 703. Vehe in Assert. dogm. controvers. tr. 8. c. 8. Volus. 120. 124. 127. Gerh. C. C. 1240. Bossuet. D. C. E. c. 3. p. 8. & c. 4. p. 14. P. Dionys. Werl. in Explicat. missae P. 1. & 2. Liranus, Concil. colon. Cassander & Barnes. apud G. Forbes. p. 454. Neque etiam pro credendis habent 1. Sacrificium missae *esse sacrificium absolutum*. 2. *ad essentiam huius sacrificii pertinere plures actiones*, quam solam consecrationem. Veron. l. c. & autor Comp. Veron. p. 107. 3. Equidem Guil. Forbesius cum Andr. Riveto existimant, Vazquezii sententiam de sacrificio absoluto & relativo, quodque etiam hoc sit sacrificium vere & proprie dictum, *non satis solidam esse* eo, quod, posito, de quo tamen maxime quaeratur, Christum contineri sub speciebus, nunquam vel fuis persuasurus sit, *rem illam, quae nullo modo in se immutatur, etsi praesens sit, vere & proprie in sacrificium offerri ob repraesentationem* aliquam mortis praeteritae eiusdem illius rei:

us rei: neque etiam per Christi vivi & gloriosi praesentiam in eucharistia videri, *quomodo significetur, Deum esse autorem vitae & mortis*: sed quid opus est, de hoc dubitare, cum Veronius, Walenburchii, P. de Marca, Bossuetus, Le Févre, & complures alii iudicio non destituti viri, sibi hoc passi fuerint persuaderi, & utroque premant pollice? Nec difficiles se praebent in concedenda, quoad rem praesentem, *sacrificii proprie dicti* appellatione, alii quoq; Reformati, ut Molinaeus in Nov. Pap. p. 980. Vt adeo, si res ipsa, quae sacrificio missae intelligitur, negari non potest, tantummodo maneat controversia *de nomine veri ac proprie dicti sacrificii*, prout colligit Le Févre p. 177. & ex nostratibus venerabilis A. L. in Methodo expositor. Vide etiam Pierce p. 242. & Wicel. in Via reg. qui plane sanam affert declarationem, quando scribit: *Orthodoxis plane persuasum est, non coenam tantum*, verum una cum coena oblationem *in ecclesia a principio inde ad nos usque extitisse. Hinc profluxit* sacrificii *vocabulum, pio tamen non minus sensu, quam usu. Cui si quid impietatis procedente tempore per versutiam callidi serpentis, ac ministerium mente corruptorum quorundam hominum accessit, nos culpari non meremur. Si quid inest impium, si iniquum, si falsum, quod posteritas temeraria invexit, iudicamus resecandum & abiiciendum, non ferendum esse*. p. 51. Denique notetur, Sam. Parkero, Episcopo oxoniensi, religionem fuisse, sacrificium missae habere pro *idololatrico*, ceu referunt Acta erud. A. 1688. p. 569. Et Philippus Melanchthon quamvis sub initium sententiae suae de missa existimet, *hunc unum nodum de missa, esse inexplicabilem, & in hoc articulo moderationem reperire valde difficile esse*; mox tamen meliorem spem concipit, *si Pontifex constitueret, ut nemo cogeretur ad privatas missas, & Reges curarent de tollendis abusibus deliberari, & ec-*

& ecclesiam ab illis liberari: immo sperat, inter bonos & pios de hoc etiam conveniri posse. Tom. IV. p. 828. 829. 832.

In missa, tanquam externo & visibili sacrificio] Missa dicitur *sacrificium* 1. *visibile*, quia sub visibilibus signis Christus immolatur ab ecclesia, Concil. trid. Sess. 22. c. 1. vel, ut Gropperus loquitur apud Chemnitium E. C. T. 335, quia missa est visibilis repraesentatio sacrificii Christi. 2. *externum*, quia consistit in rebus seu factis, ut est tractatio & distributio, & in verbis, i. e. puris sanctisque precibus. Cassand. 1005. 3. *mysticum*, quia Ecclesiae ministri, corpus Christi offerunt per mysticam repraesentationem & commemorationem sacrificii semel peracti. Cassand. apud Gul. Forbes. 456. 457. 4. *spirituale*, ad differentiam priscorum in lege praescriptorum sacrificiorum, & quia in hoc praesens victima sola fide conspicitur. Bossuet. D C. E. 80.

Propter dona a communicantibus oblata] Oblatio prima & secunda appellatur *sacrificium.* Gessel. P. 1. H. E. 218.

Sacrificium repraesentativum] Esse repraesentativum, non inducit impropriam rationem sacrificii. Walenb. T. 2. 364. S. Cyprianus ep. 63. n. 11. scribit, *illum sacerdotem vice Christi vere fungi, qui id, quod Christus facit, imitatur, & sacrificium verum & plenum tunc offerre in ecclesia Deo patri, si sic incipiat offerre, secundum quod ipsum Christum videat obtulisse.*

Non esse creatores creatoris sui] Etiamsi contraria propositio reperiatur in Hussi operibus, & in Liturgia Lutetiae Paris. edita, sub tit. de Dignitate sacerdotum; prout allegat Casp. Olevianus im kurtzen Bericht/wie sich ein Christ aufs aller einfältigste aus allem Streit des H. Abendmahls entrichten könne/p. 4. & G. Calixt. in Actis cum seren. Ernesto L. H. 145.

Vide] Qui tamen asserit *iterationem sacrificii Christi*, sed tantum mysticam, quae priori nihil addat, nisi continuationem & perpetuitatem quandam, usque ad finem mundi, Tr. 8. c. 9.

Non satis solidam esse] Guil. Forbesio p. 460. videtur, *sententiam de veritate & proprietate sacrificii corporis dominici*, quam multi hodie Romanenses tuentur, *ut ut falsa sit, minime tamen haereseos aut erroris impii cum fide pugnantis damnandam esse.* Bossuetus autem

 in

in D. C. E. p. 82. statuit, *omnem hanc concertationem redigi ad controversiam de reali corporis Christi praesentia*, & hac admissa, non negari posse sacrificium missae.

* * *

De Sacrificio missae propitiatorio.

Missa non est sacrificium *propitiatorium* vere ac proprie sic dictum, nec *impetratorium* omnis generis beneficiorum, nec *rite offertur etiam pro defunctis*, quia 1. non est sacrificium proprie dictum. 2. non requiritur nova oblatio propitiatoria, Hebr. 10, 1. 11. 12. 3. applicatio meriti Christi non fit per novum aliquod propitiatorium sacrificium, sed per verbum & sacramenta ex parte Dei, per fidem ex parte nostra. 4. sacra coena instituta est ad commemorationem Christi, Luc. 22, 19. non autem in propitiationem pro peccatis: in hunc enim finem sanguis Christi in ara crucis effusus est, Matth. 26, 8. 5. scriptura soli sacrificio Christi in cruce praestito hunc honorem tribuit, quod sit expiatio pro totius mundi peccatis. Esa. 63, 3. 1. Ioh. 2, 2. 6. in missa non fit effusio sanguinis, sine qua non fit propitiatio pro peccatis. Heb. 9, 22. 7. purgatorium, cui innititur missa pro defunctis, nullum est. 8. Christus instituit sacramentum euchar. pro vivis, qui id possunt accipere. 9. Apostoli non celebrarunt missam pro defunctis. 10. nulla extat promissio, quod missae fructus & effectus ad defunctos se extendat. Gerh. C. C. 1221. 1224. Chemnit. P. 2. 346. G. Calixt. C. D. P. 39. Sed videamus, quid ecclesia romano-catholica de hoc credat, & quomodo id explicent eius doctores. In concil. trid. Sess. 22. c. 2. docetur, *sacrificium missae vere propitiatorium esse*, nec solum pro fidelium vivorum peccatis, poenis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus, sed & *pro defunctis* in Christo, nondum ad plenum purgatis, rite ex Apostolorum traditione offerri,

cru-

cruentaeque oblationis fructus per incruentam uberrime percipi ; & anathema dicitur contrarium sentientibus in can. 1. & 3. ac fidem profitens tridentinam ait, se profiteri, in missa offerri Deo verum, proprium, ***propitiatorium sacrificium, pro vivis & defunctis***. Cur autem statuunt sacrificium hoc *propitiatorium*? Quia in ***eo idem ille Christus continetur, & incruente immolatur***, qui in ara crucis semel se ipse cruente obtulit, per ipsumque hoc sacrificium fit, ut, si cum vero corde, & recta fide, cum metu & reverentia, contriti ac poenitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur & gratiam inveniamus in auxilio opportuno, ut loquuntur Tridentini c. 2. l. c. Cur ***impetratorium*** omnis generis beneficiorum? Quia, licet scripturae diserte & expresse id non dicant, *Patres* tamen ***unanimi consensu scripturas sic intellexerunt, & liturgiae omnes veteres*** non semel, inter oblationem, orandum praecipiunt pro pace, pro copia fructuum, & pro aliis id genus temporalibus beneficiis, ut nemini ignotum est. Vide Gul. Forbes. p. 463. nec non Bellarm. l. 2. de Missa c. 3. Cur propitiatorium aeque ***pro defunctis*** ac viventibus? Quia ***Christus est salvator omnium hominum.*** Sidon. homil. 12. de Missa p. 64. & ***una eademq; est hostia***, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui se ipse in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa: quae sunt verba semel atque iterum allegati cap. 2. Conc. trid. de Sacrificio missae. Quae omnia uberius & dilucidius explicantur a Cassandro in Consultat. *Corpus Christi*, inquit ille, ***hic offerri & quidem*** sacrificium fieri pro vivis & mortuis, & pro communi totius orbis salute, *semper vetus ecclesia confessa est. Manifestum est enim, veterem illam ecclesiam ita semper sensisse, corpus & sanguinem Christi semel in cruce oblata, ad salutem totius mundi, victimam esse*

 perpe-

perpetuam, quae semel oblata consumi non potest, sed efficax manet ad remissionem quotidianorum delictorum. Quare & Christus in coelis perpetuum habens sacerdotium, quotidie hanc perennem victimam pro nobis quodammodo offert, *quando apud Patrem interpellat pro nobis. Itaque ecclesiae ministri, idem illud corpus Christi, ex ipsius mandato quotidie offerunt, per mysticam repraesentationem & commemorationem sacrificii semel peracti, cuius sacrificii perpetuam victimam, in coelis ad dextram Patris assistentem, in sacra mensa praesentem habent*, per quam Deo Patri supplicant, ut virtutem & gratiam huius perennis victimae, ecclesiae suae, ad omnes corporis & animae necessitates, efficacem & salutarem esse velit; *& quia* virtus huius sacrificii ad vivos pariter & mortuos pertinet, *pro iis quoque offerri sacrificium dicitur, pro quibus virtus huius sacrificii efficax esse rogatur.* Non igitur hic novum est sacrificium: *nam & eadem hic est hostia, quae in cruce oblata fuit, & sacrificii illius in cruce peracti in mysterio commemoratio, & continuati in coelis sacerdotii & sacrificii Christi in imagine repraesentatio*, quo non efficitur nova propitiatio & remissio peccatorum; *sed ea, quae semel sufficienter in cruce facta est, nobis quoque efficax esse postulatur. Itaque veteres in hoc mystico sacrificio, non tam peractae semel in cruce oblationis, cuius hic memoria celebratur, quam* perpetui sacerdotii & iugis sacrificii, *quod quotidie in coelis sempiternus sacerdos offert, rationem habuerunt, cuius hic imago per solennes ministrorum preces exprimitur. Quapropter hoc sacrificium* pro communi omnium salute fieri *dicitur*, sed incruentum, *&, ut Tertullianus loquitur*, pura prece. pag. 998. *Cum igitur haec victima semel oblata sit pro communi totius orbis salute, tam vivorum quam mortuorum, & ad eam salutem quotidie efficiendam, perpetuam virtutem obtineat, nihil est absurdi, si in sacra hac actione*

one

one pro vivis & mortuis, & communi omnium ſalute offerri *dicatur, quando non ſolum pro iis oblata* commemoratur, *verum etiam ſolenni prece pro iis omnibus efficax & ſalutaris eſſe* poſtulatur. *Itaque hoc modo ſacrificare, eſt preces & gratiarum actiones, ad impetrandam virtutem propoſitae illius perennis victimae, Deo patri offerre.—Atque hac ratione, hoc ſacrificium, quatenus ſacerdotis pia ſupplicatione peragitur, non modo euchariſticum, ſed etiam* propitiatorium *dici poſſit*, non quidem ut efficiens propitiationem, *quod ſacrificio crucis proprium eſt*, ſed ut eam iam factam impetrans: *quomodo* oratio, *cuius hoc ſacrificium ſpecies eſt, propitiatoria dici poteſt.* p. 1000. Similiter, quoad ultimum hoc, ſcribit Bellarminus l. 2. de Miſſa. c. 5. *Sacrificium ſimile eſt orationi, quod attinet ad efficientiam: oratio enim non ſolum prodeſt oranti, ſed etiam iis, pro quibus oratur. Vnde manducatio euchariſtiae, quae fit a ſacerdote, ut eſt ſacramenti ſuſceptio, ſoli ſumenti prodeſt; ut autem eſt ſacrificii conſummatio, prodeſt illis omnibus, pro quibus oblatum eſt ſacrificium.* Sed pergamus in audiendo Caſſandro. *In ea oblatione corporis & ſanguinis Chriſti ſe redemtum eſſe agnoſcebat, & memoriam paſſionis eius cum gratiarum actione celebrare profitebatur* (populus,) *atque hanc oblationem* non pro aliis offerre fas erat, quam qui in corpore Chriſti eſſe putabantur: *& qua ratione, voti & confeſſionis interioris ſymbolum erat, non pro ſe tantum homines*, ſed pro aliis quoque abſentibus, tam mortuis quam vivis, *qui in eiusdem corporis communione erant, offerre conſueverant: quorum & offerentium, & pro quibus offerebatur, nomina poſtea in ſacra prece recitabantur: hinc eſt apud Tertullianum*, de Exhortat. caſtit. c. 11. & de Monogam. c. 10. *quod maritus pro anima uxoris annuas oblationes reddebat, & pro eius ſpiritu poſtulabat, & contra uxor, annuis diebus dormitionis mariti offerebat, ani-*

mae eius refrigerium adpostulans. p. 1001. Precatio pro spiritibus defunctorum, *quam omnes totius orbis, tam orientis quam occidentis, ecclesiae in usu habent, minime quenquam movere debet: est enim plena pietatis, qua ecclesia omnibus suis membris in Christo quiescentibus, locum refrigerii, & quietis, & pacis, postulat.* p. 1003. *Deinde est sacrificium corporis Christi, in quo primum consideratur res oblata, hoc est, ipsum* corpus Christi, *quod unicum est, perpetuum, &* propitiatorium sacrificium, *non quidem quatenus hic a terreno sacerdote in altari quotidie offertur in mortis commemorationem, sed* quatenus a summo & aeterno sacerdote in ara crucis semel oblatum est in mortem. p. 1004. *In hac quoque actione* (Ecclesiae, quae prece, fide & devotione constat,) universum corpus Christi mystico hoc sacrificio veri corporis Christi redemtum colligitur, & capiti suo coniungitur & adunatur, *ad quod corpus pertinent vivi pariter & mortui: quare pro his omnibus offerri quoque dicitur, quin & pro illis oblatum* commemoratur, *& per illud Deo patri* commendantur. *Huc pertinet commemoratio vivorum & mortuorum in canone.* Pro vivis fit deprecatio. Mortuorum duo sunt genera: *alii, de quorum salute & gloria constat, ut Apostoli & martyres; pro quibus offertur per gratiarum actionem, & honorificam commemorationem: alii sunt, de quorum salute bene speratur, pro quibus offerri dicitur, quando in ipso sacrificio* pro ipsis oratur. p. 1005. Huic autori iunge Catech. rom. Fabricii p. 318. 319. Sidon. p. 29. 43. Kunckel. 681. & Bossueti D. C. E. qui sic scribit: ***Christum sacrae mensae in hac mortis imagine assistentem, atque apparentem Deo, pro nobis intercedere*** credimus, ***Patrique mortem, quam pro sua tulit ecclesia, perpetuo exhibere. Eo sensu dicimus***, Christum se Deo pro nobis in eucharistia offerre. ***Non aliter putamus oblatione illa fieri, ut magis magisque nobis propitius sit Deus:***

us: ideoque propitiatorium *vocamus*. p. 79. Cavendum etiam, ne Pontificiis imputetur, quasi doceant, 1) *non dari remissionem peccatorum, nisi in sacrificio missae.* Kunckel. 682. 739. 2) *novam hic propitiationem effici & remissionem peccatorum.* Cassand. 999. Sidon. p. 11. 17. 19. 20. 3) *supplementi aliquid salutis nostrae, pretio* a Christo soluto, velut imperfecto, adiici. Conc. trid. c. 2. l. c. Bossuet. 82. 4) missam immediate, & *sine poenitentia ac fide*, adeoque *ex opere operato*, propitiare peccatores. Conc. trid. Sess. 22. c. 2. Catech. rom. Fabricii p. 319. Sidonius serm. de S. Eucharistia p. 7. Galenus catech. 134. p. 424. Cassand. 991. Bellarm. l. 2. de Missa c. 27. Walenb. tom. 2. p. 33. Kunckel. 682. Grotius in Annot. ad Consult. Cassandri, art. de Missa p. 318. P. Dionys. W. Meß-ber. P. 1. c. 2. 3. Quanquam certo sensu non male dicatur, eucharistiam seu missam *valere ex opere operato*, id est, per se bonum ac salutiferum esse opus, propter Christi institutionem, omnibus, qui ea rite & ad Christi institutionem utuntur, etiamsi & sacerdos & sumens fide sint destituti, quum efficacia sacramentorum non ab opere operantis (vel ministri, vel accipientis) dependeat, sed ab opere operato seu praestito secundum normam ac regulam institutionis Christi: sicut se explicant Cassand. & Walenburchii loc. cit. ac Volus. 120. nec id possunt improbare inter Protestantes Chemnit. E. C. T. part. 2. p. 215. Gerh. C. C. 1227. Hildebr. Theol. dogm. 582. Fabricius Syst. theol. 468. Bucer. in Def. christ. reformat. c. 101. &, qui Bucerum allegat, Gul. Forbes. p. 465. Sed nec porro Pontificiis tribuendum, quasi tradant, 1) coenam dominicam *institutam esse, ut in eius celebratione implorentur sancti.* Bellarm. l. 2. de Missa c. 8. 2.) sacrificium in missa *offerri, aut offerendam esse sanctis.* Conc. trid. Sess. 22. c. 3. Catech. rom. 316. Neque etiam, ut cre-

ut credenda, ab illis proponuntur, 1. Sacrificium missae *eo modo esse propitiatorium*, sicut sacrificium crucis. 2. *Effectum eius aliter conferri, quam per impetrationem.* 3. *Eo semper certa lege obtineri aut impetrari auxilium gratiae* ad iustificationem, & bona temporalia, aut remissionem poenae in viventibus. 4. *Pro defunctis oblatum, infallibiliter operari* remissionem poenae. 5. *Aliter id bisce prodesse posse*, quam remittendo poenam temporalem. Veron. R. F. C. c. 2. §. 14. & Autor Comp. Veron, 108. Quid vero? an sano sensu utrumque concedi queat, videlicet sacrificium eucharistiae (dextre intellectum) & *propitiatorium esse, & prodesse defunctis?* Guil. Forbesius quidem nullus dubitat, proque priori in partes suas vocat Is. Casaubonum, Am. Polanum, & Graecos. p. 460. Quibus Le Févre adiungit Walaeum & Le Blanc p. 162. & seq. Immo etiam concedit Forbesius, idem illud esse *impetratorium* omnis generis beneficiorum, ac pro iis etiam rite offerri: & hanc sententiam illustrat autoritate Whitei, Episcopi eliensis, Zanchii, & Fieldi. p. 463. Bene autem pieque desiderat optimus Cassander, ad avertendum missarum abusum, quae magno quidem numero, sed summa saepe cum irreverentia a vilissimis & improbissimis hominibus & celebrantur & audiuntur, immo etiam quaestus tantum & vitae tolerandae causa celebrantur a quibusdam, ut *missae minore numero, sed maiore reverentia celebrentur, neq; plures sacerdotes ordinentur, quam quibus ad ministerium ecclesiasticum opus est.* p. 994. Quo etiam tendit Decretum Concilii trid. de observandis & evitandis in celebratione missae, in quo praecipitur, ut ordinarii locorum Episcopi, ea omnia prohibere, atque e medio tollere sedulo curent ac studeant, quae vel *avaritia*, idolorum servitus, vel *irreve-*

reverentia, quae ab impietate vix feiuncta esse poteſt, vel *ſuperſtitio*, verae pietatis falſa imitatrix, induxit. Seſſ. XXII. p. 245.

Annuis diebus dormitionis] Concil. cabilon. c. 39. cuius verba allegantur ab Vrſino in Comp. chronol. de Eccleſ. german. orig. & progr. p. 172.

Epiſcopi elienſis] Lancel. Andreae.

* * *

Miſſas privatas ſeu potius ſolitarias, Gregorio magno *peculiares* dictas, in quibus ſolus ſacerdos celebrans communicat, improbant eccleſiae noſtrae eo, quod illae pugnent cum inſtitutione S. coenae facta a Chriſto, cum Apoſtolorum ſcriptis, cum exemplo apoſtolicae eccleſiae, cum canonibus eccleſiaſticis, & cum veteri poſt Apoſtolorum tempora eccleſia. Conf. aug. artic. 3. Abuſ. & Apologia eiusdem ad huncartic. Chemnit. E.C.T. part. 2. p. 364. Gerh. C. C. 1225. & L. de S. Coena §. 172. Non eſt igitur quaeſtio, an liceat in privato loco, ſive tempore perſecutionis, ſive in alio neceſſitatis caſu, e. g. apud aegrotum, aut die profeſto, vel coram paucis communicantibus, vel denique in minori altari, ſacram coenam peragere, ſed de hoc quaeritur, an illa recte celebretur, ſi non adſint, quibus diſpenſetur. Et hoc eſt, quod negatur. Tridentini quidem Patres, eas non damnant, ſed *probant & commendant* eo, quod vere *communes* cenſeri debeant, partim quod *in eis populus ſpiritualiter communicet*, partim *quod a publico eccleſiae miniſtro*, non pro ſe tantum, *ſed pro omnibus fidelibus*, qui ad corpus Chriſti pertinent, celebretur. Vide Voluſ. 64. Sed hae rationes non ſatis ſunt ſolidae: non prior, quia, licet ſpiritualis communicatio requiratur a quovis, qui digne vult uti ſacra coena ſeu ſacramentali communione, non tamen ab hac debet ſeparari, ſed cogitan- *De Miſſis ſolitariis.*

dum, celebrationem S. coenae, ex Christi institutione, requirere communicationem & distributionem corporis & sanguinis dominici: & ubi hoc non fit, fieri tamen posset, ibi non rite observari institutionem Domini: nec posterior, quia etiam concionator, & baptizans, funguntur publico ecclesiae ministerio, neque tamen vel illi licet, sibi soli concionari, vel huic, se solum baptizare, pro omnibus fidelibus, ut bene observat Chemnitius l. c. Quanto melius fecissent Patres illi conscripti, si abrogatis eiusmodi missis solitariis, veteris ecclesiae morem in ecclesiam revocassent, votumque suum, *quo optabant, ut in singulis missis fideles adstantes, non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam eucharistiae perceptione communicarent, quo ad eos huius sanctissimi sacrificii fructus uberior perveniret,* in effectum deduxissent, prohibentes, ne sine communicantibus missa celebretur! Cassander autor est, morem solitarias missas celebrandi maxime in monasteriis obtinuisse, eundum tamen, non modo quamprimum inolevisset, sed omni etiam postea tempore viris piis ac gravibus, ut Patribus concilii nannetensis ac papiensis, Odoni cameracensi, Walafrido straboni, Ioh. Hoffmeistero, improbatum, nec licuisse sacerdoti sine diacono celebrare olim, atque hunc de illius manu eucharistiam accepisse. In missis igitur, ait, quae quotidie in collegiis seu monasteriis recitantur, optandum, ut, loco plurium missarum, quae passim per varia altaria saepe satis negligenter fiunt, ***una tantummodo celebretur***, in qua viri religioni peculiariter consecrati, communionem sacram perciperent, maxime ii, quorum ministerio presbyter sacra faciens utitur, hoc est, diaconus & subdiaconus. Atque ita fatetur tandem, secutus praememoratum Hoffmeisterum aliosque abusuum osores, ***melius & divino instituto & con-***

& consuetudini ecclesiae convenientius esse, ut in omni missa, praesentibus aliquot, vel ex clero, vel ex populo, sacramenta distribuantur. In Consult. p. 995. Cui adde sis Wicelii V. R. p. 56. & 58. & Elench. Abus. p. 122. Et quamvis praedictus Cassander solitarias istas missas aliquo modo palliare sustineat, negans, sacerdotem, qui solus in missa sumere velit sacramentum, invitum prohibendum, aut actionem illam sacrilegii esse accusandam, cum talis sacerdos 1. *paratus sit ad distributionem* sacramenti, si quis modo id expectat, neque 2. suo privato, sed *publico ecclesiae & populi nomine participare sacramentum* dicendus sit; mox tamen repetit, quod dixerat, putare se, *convenientius & tutius esse*, ut missae ad priscum & apostolicum morem, cum communicatione & distributione, instituantur p. 998. Vide etiam eiusdem Liturgica p. 68. & praefat. in Ord. rom. de Officio missae p. 95. ubi ostendit, *facta consecratione secutam esse distributionem*; *& hunc morem esse antiquissimum, eumque pios ac eruditos viros publica auctoritate restitutum cupere*. Tandem adde scripta, conringianae editioni V. R. Wicelii subiuncta p. 303. 122. Volusius putat, facile nobis concessum iri ab Ecclesia romana celebrationem eucharistiae, in qua praeter sacerdotem etiam alii de ea participent, modo nos ipsorum solitarias missas non condemnemus. In Aur. pac. rel. p. 68.

Loco plurium missarum] De variis missarum generibus (erant enim *missae Quotidianae, Peculiares & privatae, Solitariae, Praesanctificatorum, Bisaciatae, Trisaciatae, Quadrisaciatae*) vide Cassandrum in praefat. Ord. rom. de Sacrif. missae p. 96.

Wicelii V. R. p. 56.] Verba eius haec, sunt probe notanda: *Particulares missulae non congruunt cum institutione coenae, nec cum traditione paulina, nec merentur* liturgiae *nomen, nec habent robur ex evangelio, nec ex ecclesia testimonium aut exemplum, nec sanctorum Pa-*

trum (de antiquis loquor) consensionem firmam, nec beatorum martyrum aut homologetarum adstipulationem, nec denique oecumenicorum conciliorum veterum approbationem ullam: sed nuperis seculis adinverit haec vana hominum superstitio & hypocrisis, ignorantia & φιλαργυρία, hoc est, amor pecuniae.

* * *

De Canone missae. DE Canone missae (qui est solennis precandi formula & regula, qua iam olim latina ecclesia in celebratione & consecratione mysteriorum uti consuevit, prout quidem eum describit Cassander in Consult. p. 1001. Cum qua confer etiam p. 127.) in Concilio trid. Sess. XXII. c. 4. sic docetur: *Cum sancta sancte administrari conveniat, sitque hoc omnium sanctissimum sacrificium, Ecclesia catholica, ut digne reverenterque offerretur, ac perciperetur, sacrum Canonem* multis ante seculis *instituit, ita* ab omni errore purum, *ut nihil in eo contineatur, quod non maxime sanctitatem ac pietatem quandam redoleat, mentesque offerentium ad Deum erigat: is enim constat cum* ex verbis Domini, *tum* ex Apostolorum traditionibus, *ac sanctorum quoque* Pontificum piis institutionibus. Et in can. VI. anathemate eum volunt percussum, *qui dixerit, canonem missae errores continere.* Quaestio igitur non est de eo, an recitatio canonis, sub ea quidem forma, quam habet, sit *simpliciter necessaria* ad legitimam S. coenae administrationem: ipsi enim docent Pontificii, veram esse consecrationem, quae solis fit verbis institutionis Domini, nec Apostolos in celebratione eucharistiae quidquam aliud legisse, nisi forte psalmos, vel, ut S. Gregorius l. 7. epist. 63. scribit, solam orationem dominicam ad consecrationem addidisse. Bellarm. l. 4. de Sacram. euchar. c. 13. & 15. Cassander in Liturg. p. 12. 37. 46. Gerh. C. C. 1237. Neque *cogit ecclesia rom.* ut omnes canonem missae, prout in

in Ordine rom. exstat, ***tanquam necessarium omnino ad eucharistiam consecrandam***, fervent. Bellarm. l. 2. de Missa c. 18. Cassand. in Liturg. p. 12. Sed de hoc quaeritur, an illa, cum per multa tamen secula obtinuerit in ecclesia, abroganda sit, ***propter errores fundamentales***, qui in canone deprehendantur. Et hoc est, quod negant Pontificii. Vbi notandum, ***canonis*** vocem hoc loco modo late sumi, pro 6. orationibus canonis, cum oratione dominica & sequentibus orationibus; modo stricte, pro 6. duntaxat orationibus canonis, ita ut excludantur dominica & seqq. orationes. Vlterius notandum, quomodo Pontificii se explicent, & quidem quoad primam orationem, 1. Verba illa, ***Memento Domine***, &, ***Communicantes & memoriam venerantes***, non esse diversas orationes, sed partes primae orationis, & primam hanc orationem continere nomina cum eorum, pro quibus offertur, tum illorum, in quorum honorem vel commemorationem offertur sacrificium. 2. Panem & vinum ante consecrationem appellari ***sacrificia***, quia sunt materia sacrificii, & iam dedicata ac parata, ut ex iis fiat sacrificium: ***sancta & illibata***, quia iam dedicata & destinata ad usum sacrum, atq; pura etiam & sancta intentione offeruntur ab ecclesia. Bossuet in Explicat. difficultat. in precibus missae, prout referunt celeberrimi collectores Actor. erudit. A. 1690. p. 4. Gessel. part. 1. H. E. 218. 3. Phraseos istius, ***nos offerre panem Deo***, sensum hunc esse, nos offerre Deo panem consecrandum, Gregor. de Valentia de Reb. fid. hodie controv. 565. 4. ***Offerri pro redemtione fidelium & devotorum***, non quod nunc demum facienda sit redemtio ab omni malo culpae & poenae per solutionem pretii sufficientis, quippe a Christo semel praestita, sed quod istius redemtionis Christi & repraesentatio & applicatio fiat in eucharistia, item quod ea redi-

dimantur seu praeserventur a peccatis futuris, liberandi ac redimendi tandem ab omnibus huius vitae aerumnis. 5. Si participium, *communicantes*, refertur ad mortuos, sensum esse, quod vivi cum iis communionem habeant, per societatem & coniunctionem in corpore Christi mystico; sin vero, ut vero videtur similius, ad vivos, indicari, quod offerant inter se uniti & coniuncti. 6. Vt oblatio duplex est, una rei consecrandae, altera consecratae, ita acceptationem esse duplicem: & hinc primae acceptationi postponi benedictionem, secundae autem praeponi ac praemitti. 7. Sicut Deus per metaphoram dicitur *oblivisci nostri*, quando nos non iuvat, ita eundem dici *nostri meminisse*, quando nos iuvare incipit, & sic saepe loqui ipsam scripturam. 8. Cum dicitur, *Pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt*, non esse correctionem, sed disjunctivam sententiam, propter duos ordines eorum, quos sacerdos Deo commendat; alios enim esse absententes, *pro quibus offertur*, alios praesentes, qui simul cum sacerdote *offerunt*, adstando & consentiendo. Vide Liturg. Iacobi ap. Gessel. part. 1. H. E. 218. 9. Eucharistiam dici *sacrificium laudis*, quia per illam Deus magnopere laudatur, & gratiae illi aguntur pro summis eius in nos beneficiis: certe sic laudandum & gratiarum actione prosequendum esse. 10. Per vota in verbis, *Reddunt tibi vota sua aeterno Deo*, non intelligi missas votivas, quae data pecunia celebrari iubentur, sed pia desideria, & oblationem adstantis populi, cum dicantur in omnibus missis non votivis, etiam ab iis, qui pro missae celebratione pecuniam nunquam vel accipiunt, vel acceperunt. 11. Veteres non in liturgia, sed in concionibus ad populum, & in lectionibus, quae decantantur in horis canonicis, *martyres depraedicasse*. 13. *Sanctos*

Eos hic invocari, non per ipſam oblationem, ita ut eis oblatio offeratur, nec per preces ad eos, ſed ad Deum directas, petendo, ut intercedentibus Sanctis nos iuvet; neque tamen propterea everti aut impediri Chriſti, eiusque paſſionis & mortis commemorationem, atque aliter per Chriſti interceſſionem & merita, & aliter per Sanctorum merita & preces, ipſos a Deo miſericordiam expectare & petere; nam per Chriſti merita immediate a Deo miſericordiam peti, per Sanctorum autem merita & preces mediate, mediante ſcilicet eodem Chriſto. Vide etiam Gul. Forbeſ. 234. 324. & Boſſuet. D. C. E. c. 4. p. 14. Quoad ſecundam, 1. Sacerdotem non orare, ut per oblationem panis & vini liberemur ab aeterna damnatione, ſed *ut Deus ipſam oblationem panis & vini accipiat*, ut materiam futuri ſacrificii, eamque benedicat & ſanctificet, nec precari, ut orationes adiunctae tres *impleantur* per oblationem panis & vini, ſed ut impleantur *per eundem Chriſtum dominum noſtrum.* 2. De eadem oblatione ſermonem eſſe in prima, ſecunda, & tertia oratione canonis, videlicet de *oblatione panis & vini conſecrandi.* Quoad tertiam, 1. Non *orari* pro Chriſto, ſed *pro pane & vino conſecrando*, neque peti, ut Deus benedicat & ſanctificet corpus & ſanguinem Chriſti, ſed panem & vinum. 2. Ex verbis, *Benedictam, adſcriptam, ratam, rationabilem, acceptabilemque facere digneris*; tria legi apud Ambroſium lib. 4 de Sacram. c. 5. Petere igitur ſe a Deo, ut ipſe oblationem iſtam conſecrando, *benedictam* ex profana efficiat; eandem adprobando, faciat *adſcriptam*, id eſt, adſcribat & numeret inter dona, quae ipſi probantur; confirmando, *ratam* efficiat, id eſt, ſtabilem & firmam, ut fructum certum & perpetuum ad ipſos referat; *rationabilem* quoque faciat, ut non

ſolum

ſolum bona, ſed etiam bene, rationabiliter ac prudenter offerant, ac ſit rationabile obſequium ipſorum; denique *acceptabilem* faciat, id eſt, ita undique bene ſe habentem, non ſolum ex parte doni, ſed etiam ex parte miniſtri offerentis, ut digna ſit, quae a Deo acceptetur. Quoad quartam, 1. Verba, *Supra quae propitio ac ſereno vultu reſpicere digneris*, haberi etiam apud Ambroſium (vel quicunque alius auctor eſt) l. 4. de Sacram. c. 6. neque iis ſacerdotem orare pro Chriſti reconciliatione apud Patrem, ſed pro ſua potius & adſtantis populi infirmitate. Nempe quicquid humilitatis in precibus iſtis deprehenditur, referendum eſſe ad oblationem ſui ipſius & eccleſiae, quam ſacerdos facit. Boſſuet. in Actis erud. A. 1690. p. 7. 2. Non fieri comparationem inter ſacrificium euchariſticum, & ſacrificium Abelis & Abrahae abſolute, ſed tantum *ratione fidei & devotionis*, petique, ut Deus faxit, quo tanta fide ac devotione ſacrificium hoc offerant, quanta Abel & Abraham obtulerunt, & proinde ut *ex parte miniſtri offerentis*, non minus placeat Deo ſacrificium hoc, quam illorum placuit. 3. Non ſe dicere, *Melchiſedecum* panem & vinum ſacrificaſſe, ſed in genere, *obtuliſſe*, ſcilicet ſacrificium aliquod, idque ex ſententia communi Patrum eccleſiae. 4. *Altare coeleſte*, quo rogantur per manus S. angeli perferri ſacra munera, non eſſe concipiendum corporale, ſed *ſpirituale*, quod vel Chriſtum ſignificet, per quem ad Deum orationes & oblationes noſtrae aſcendunt, vel altare dici *eſſe in coelo*, quia in coelo recipiuntur ſacrificia, quae vero Deo immolantur in terris. Irenaeus l. 4. c. 34. Geſſel. part. 1. H. E. 218. *Deferri* autem *ſacrificia hominum ad Deum per manus angeli*, quatenus angelorum interceſſione iuvatur & Deo commendatur obſequium & cultus, quem

quem homines facra celebrando exhibere defiderant. De quo vide Gul. Forbef. 270. & Boffuet. in Actis erudit. anno 1690 *p.* 7. Quoad quintam, 1. Orari pro defunctis, qui dormiunt in fomno pacis, ut *Deus illis indulgeat locum refrigerii, lucis, & pacis*, id eft, ut illi, qui de falute fua fecuri funt, ad eius confummationem perveniant, etiamfi interea ad tempus afflictionibus & purgationibus (nam hic putant fubintelligi purgatorium. Quanquam ifta locutione veteres non purgatorium refpexerint, fed ftatum animarum feparatarum, optantes iis *refrigerium* propter aeftum defiderii, quo refurrectionem & gloriae plenitudinem anhelarent; *lumen*, h. e. lumen beatae vifionis; *& pacem*, h. e. ab omni, etiam damni, malo immunitatem, ut ex G. I. Voffio Gul. Forbefius bene docet p. 252) exerceantur. 2. Vfum *offerendi pro defunctis* fatis effe antiquum, prout conftet ex teftimoniis Tertulliani. Quoad fextam, 1. *Confortium fanctorum*, effe confortium Chrifti. 2. Verba haec, *Per quem haec omnia femper dona creas*, nusquam inveniri in liturgiis, vel apud expofitores, ante confecrationem pofita, iisque breviffime commemorari omnia beneficia divina circa hoc facramentum, inchoando a prima productione materiae, unde illud conficitur. Itaque dici, a Deo per Chriftum hoc facramentum *creari*, ratione materiae, unde illud conficitur; *fanctificari*, cum dedicatur per primam oblationem ad facramentum conficiendum; *vivificari*, cum efficitur myfterium vitae, & Chriftus, qui eft vita noftra, facramentaliter praefens fiftitur; *benedici*, cum benedictionis eum effectum confequitur, ut uniat caput cum membris; denique *nobis praeftari*, cum ad fumendum, ut ex eo vitam hauriamus, datur ac porrigitur. Quod iam ea fpectat, quae fequuntur canonem proprie &

ſtricte dictum, dubiis & abſurdis, quae ipſis movemus, ſic occurrunt, ut dicant, 1. Non ſe intelligere, corpus & ſanguinem Domini in propria ſpecie *commiſceri*; id enim ſe ſcire fieri non poſſe, niſi Chriſtus iterum vulneretur, ſed in pane & vino. 2. In hac commixtione novam fieri *conſecrationem*, dum ſpecies illae, quae diviſae Chriſti mortem repraeſentabant, nunc inter ſe coniunctae reſurrectionem Domini repraeſentant. 3. Commixtionem & conſecrationem dici *fieri in noſtram ſalutem*, non quod ipſa actio commiſcendi & conſecrandi, homines ſalvet, ſed quia res ipſae commixtae & conſecratae, dum devote ab iis ſumuntur, multum proſunt ad ſalutem. 4. *Iulium papam* diſt. 2. de Conſecrat. c. 7. non *prohibuiſſe* iſtam commixtionem, de qua ſermo eſt in canone. 5. Sacerdotem non dicere, ſe non habere fidem, ſed *ſe agnoſcere ſe peccatorem*. 6. In oratione, quae finita miſſa fit, & incipit, *Placeat tibi, ſancta Trinitas*, (vide Luth. tom. 2. opp. lat. witteb. 424.) non repraeſentationem noſtram, ſed ſacrificium corporis Domini, re ipſa oblatum, Domino commendari, ut illud benignus accipiat, & hominibus propitiabile eſſe concedat. 7. Neque ſacrificium hoc *placere Deo ſine bono motu utentis*. Vide Gul. Durandi Rationale divin. officior. l. 4. c. 1. & ſeqq. Bellarm. l. 2. de Miſſa c. 21. & ſeqq. Sidonii Explicat. can. & myſter. in miſſa, atque eiusdem Conciones 15. de S. Miſſa, Marqu. Leonis Catech. 314. Caſſandrum p. 127. 1001. Gropperi Inſtitut. cathol. p. 662. Caſal. de Ver. ſacr. Chriſt. ritib. p. 75. Ioh. Philippi, Epiſcopi bambergenſis, Chriſtl. Betbüchlein p. 49. Walenb. T. 2. 35. 365. Kunckel 919. Catech. hildeſ. 49. Coron. Inſtitut. cathol. l. 3. c. 49. p. 658. Petrum de Marca in Diſſert. poſthumis p. 112. Boſſueti Explicat. difficultat. quarund. in precat. miſſae, in Actis erudit. A. 1690. p. 1. Gregor. de Valentia tom. 4. Comment. in Summam D. Thomae,

mae, 1368. Quando igitur iam ex Luthero de Abroganda missa privata, & Eiusdem abominatione, (tom. 2. oper. lat. witteb. p. 272. & 420.) Chemnitii E. C. T. part. 2. 359. & Gerh. C. C. 1236. obiicitur, 1. *Totum canonem eo spectare, ut eucharistiae sacramentum mutetur in sacrificium propitiatorium pro vivis & mortuis Deo offerendum*: respondent negando; agnoscere enim se in eucharistiae celebratione aeque sacramentum, ac sacrificium. 2. *Eundem confirmare transsubstantiationem & ἀρτολατρείαν*, seu *cultum panis*: respondent, se concedere quidem prius, sed negare posterius. Quanquam confirmatio transsubstantiationis non tam verbis canonis, quam interpretationi eorum, qui animum ista doctrina iam imburum afferunt, tribuenda sit. Valuit enim canon ante, quam transsubstantiatio haberetur pro articulo fidei. 3. *Stabilire purgatorium*: respondent quidem affirmando, & intelligunt purgatorium punitivum. Sed rursus committunt petitionem eius, quod est in principio, atque ita sensum aliquem dant canonis, ut alius aeque commode, immo commodius inde possit erui, si dicatur cum Cassandro, precationem pro spiritibus defunctorum, qua ecclesia omnibus suis membris in Christo quiescentibus, etiamsi de statu illarum animarum non constet, *locum refrigerii & quietis ac pacis* adprecatur, esse plenam pietatis eo, quod sit testimonium charitatis erga defunctos, & professio fidei de immortalitate animarum, & futura resurrectione. p. 1003. 4. *Falsum esse, quod constet canon ex verbis Domini, & Apostolorum traditionibus*: respondent, prius patere ex verbis institutionis, quae memorantur a tribus Evangelistis; posterius ex repetitione eorum verborum, facta a Paulo 1. Cor. 11. Verba autem ista recitantur in canone. Et fuerit traditio apostolica, adiungi iis debere orationem domini-

minicam. 5. Dici quidem in Concilio trid. canonem multis ante feculis institutum esse, illa autem tam *multa fecula non numerari*: respondent, ipsum Chemnit dicere p. 356. compositionem istam canonis, quam nunc habemus, natam esse feculo sexto; ac *talem aliquam* (sunt verba Cassandri) *in celebrandis mysteriis formam, in omnibus totius orbis ecclesiis usurpatam fuisse, ex monumentis antiquissimarum & variarum ecclesiarum hodienum extantibus, manifeste constat: nam tametsi in ordine harum precum non nihil ecclesiae variabant, tamen in rebus ipsis summus semper* (inde ab illo tempore) *fuit consensus.* p. 1002. 6. *Eum frustulatim seu per partes a romanis Pontificibus fuisse compositum*: respondent concedendo, usq; ad Gregorium I. cuius tempore scholasticus quidam praesentem ei applicavit formam. 7. Tantum *latina, adeoque populo ignota lingua constare*: respondent, dicere quidem Concilium trid. Sess. XXII. c. 8. *non videri expedire, ut missa vulgari passim lingua celebretur*: interim pastoribus mandare, & singulis curam animarum gerentibus, ut frequenter inter missarum celebrationem, vel per se vel per alios, ex iis, quae in missa leguntur, aliquid *exponant*, atque inter caetera, sanctissimi huius sacrificii mysterium aliquod *declarent*, diebus praesertim dominicis, & festis. Et hoc erat desiderium Cassandri in Consult. p. 995, si impetrari non posset, ut vulgari ubivis lingua, sacra peragantur; item Ferdinandi Imp. Catharinae Mediceae, Wicelii, in scriptis Viaehuius ultimi Regiae a Conringio additis p. 205. 303. 123. nec non auctoris du Protestant pacifique, qui se vocat Leon De la Guitonniere p. 187. Sunt autem sine dubio hodienum multi pii & sapientes viri, quibus aeque, ut modo citatis, videatur omnino expedire, & populo utile esse, ut, ad morem veteris ecclesiae, eo linguae idiomate, quod communicantibus

&

& audientibus usitatum est, liturgia & alia sacra passim celebrentur. Vide testimonia collecta a Gerh. in C. C. 1230. & a Cassandro in Liturg. p. 86. Interim sciunt, non ex mandato divino, neque propter absolutam necessitatem, sed ex mandato, aut potius iudicio ecclesiae romanae, retineri ac retinendam esse in his sacris latinae usum: quem tamen eadem ecclesia facile, si velit, mutare possit, & antiquum morem, a quo peregrina exulat lingua, anhelantibus aeque ac applaudentibus populis restituere. Ex hisce omnibus iam colligit Cassander, canonem ab impietatis & sacrilegii crimine, immo & novitatis vitio, satis vindicatum esse: *nil* enim (quae eius verba sunt) *in eo continetur, quod non antiquitatis sententiae consentaneum sit; immo in eo, tanquam compendio, omnia, quae ad huius sacrosancti mysterii perfectionem attinent, continentur. Nam primum populi oblationes Deo commendantur; porro Dei nomen invocatur, symbola oblata verbis Domini consecrantur, mors Domini commendatur, vivorum & mortuorum memoria agitur, & pro tota ecclesia, & totius orbis incolumitate, Deo preces offeruntur.* p. 1001. Provocat etiam ad testimonium Lutheri, tom. 2. Oper. latin. witteberg. p. 272. dicentis, *sanum canoni huic sensum attribui posse*, eum videlicet, quem veteres Patres, qui eo usi sunt, intellexerunt. p. 1004. Sicut autem hic canon obscurus nonnullis visus est, dubiaque iis peperit, ob multiplicem, & diversam nominum *sacrificii*, & *oblationis* usurpationem, p. 1004. Luther. ap. Chytraeum in Hist. A. C. 277. 293. ita, cur aliis in superstitionem, aliis in contemtum adductus sit, in causa potissimum est, iudice eodem Cassandro, *mutatio prisci ritus*, ad quem nonnullis locis canonis verba alludunt. Quapropter ut ab utroque, h. e. superstitione & contemtu, vindicetur, opus est, (eius-

 dem

dem vestigia adhuc legimus) ut ***quaedam ad priscum morem***, ex ipsius canonis praescripto, ***revocentur***, vel certe, ad priscum morem referenda esse, nonnulla canonis verba ***intelligantur***, videlicet, ut dona & munera a populo offerantur, & aliqui semper adsint, qui una cum ipso sacerdote haec laudis sacrificia offerant, & sacramenta participent. p. 1002. Atque utinam piis hisce desideriis & salutaribus consiliis sapientis optimique Cassandri satisfacerent illi, qui & possunt, & debent! Sic enim spes esset, convenientem huic controversiae medicinam afferri posse; immo nullum esset dubium. Vtinam etiam ad normam simplicitatis apostolicae sacra liturgia revocaretur, sicut doctissimus atque integerrimus presbyter & monachus ordinis S. Benedicti e congrat. S. Mauri, Nicolaus Le Nourry, in insigni suo ad Bibliothecam maximam veterum Patrum & antiquorum scriptorũ ecclesiasticorum, doctissimisq; collectoribus Actor. erudit. Suppl. tom. II. p. 527. laudato Apparatu p. 39. fatetur, *iuxta plerosque cum antiquos tum recentiores, Apostolorum liturgiam non nisi simplicissimam fuisse, sola oratione dominica, & forte verbis S. coenae institutionis circumscriptam, non autem eos duplici liturgiae genere usos, uno brevissimo, temporibus persecutionis adhibito, altero longe proliziori, quo usi fuerint, cum per otii intervalla liceret.*

Apud Ambrosium l. 4. de Sacram. c. 5.] Hi libri a nonnullis quidem non agnoscuntur pro foetu Ambrosii, aut insigniter creduntur esse interpolati, teste Card. Bona de Reb. liturg. l. 1. c. 7. §. 4. Interim sub eius nomine citantur etiam a Chemnitio E. C. T. part. 2. p. 360. & Hildebrando Theol. dogm. 728.

Olim canon publice fuit dictus, non secrete. Hildebr. in Rituali orantium p. 44. 69. Gessel. Hist. S. part. 2. p. 538. In Liturgia autem, quae S. Chrysostomo (quo iure, quave iniuria, videatur Chemnit. E. C. T. part. 3. 649. Cocus in Censura p. 329. Rivet. Crit.

Crit. S. l. 4. c. 3. Cave Hist. lit. 179. Du Pin Nouv. Biblioth. tom. 3. p. 38.) tribuitur, *Secretae* fit mentio, apud Cassandrum in Liturg. p. 17.

* * *

SAnctos, h. e. cum angelos, tum homines beate defunctos, sive ex consuetudine, sive per romani Pontificis canonizationem, Sanctorum numero insertos, non esse religiose invocandos, nostratium thesis est. Quam ut explicent, & statum controversiae rite ponant, aiunt, non esse quaestionem, 1. an sancti *sint honorandi*: nec 2. an sancti *in genere pro nobis intercedant*: nec 3. an *salutationem angelicam* recitare liceat: nec 4. de nuda sanctorum *nominatione*: vel 5. de nuda sanctorum *praedicatione*: vel 6. de nuda sanctorum *compellatione*, qua sancti monentur, ut pro ecclesia in terris adhuc militante orent: nec 7. de coelesti sanctorum *gloria & beatitudine*, an pie in Domino defuncti, coelesti beatitudine & gloria cum Christo in coelis fruantur: nec 8. de *reverentia humana & civili*, quam exhibemus alicui, ratione peculiaris eminentiae & dominii; aut de *cultu christiano*, quem spiritualibus in Christo fratribus exhibemus, fraterna charitate alii ad alios amandos & honorandos propensi; sed de *cultu religioso, proprie dicto, & de cultu subiectionis ratione dominii*, quorum uterque soli Deo debetur, quia religio nos vero & soli Deo adstringit, isque solus noster est dominus. Interim sanctis non se denegare *honorem moralis reverentiae*, qui debetur personis excellentibus, ratione virtutis, status, vel alterius alicuius dignitatis. Videatur Conf. aug. art. 21. & eius Apologia ad eundem art. item Artic. smalcald. p. 310. Chemnit. E. C. T. part. 3. 573. Gerh. C. C. 993. & L. de Morte §. 370. Fabricius *De Invocatione sanctorum.*

cius Syst. theol. 629. Dreier in Controverſ. cum Pontific. 878. Conringii Animadverſio Novenae antonianae, & Diſcuſſio Philanthonis, & Ioh. Mich. Lang in Exam. Hyperduliae marianae. Non difficile autem erit, iudicium ferre de hac controverſia, ſi attendatur ad doctrinam romanae eccleſiae, prout illa in ſcriptis non Doctorum particularium, ſed ſymbolicis proponitur, & diſcrimen fiat inter hanc ipſam doctrinam, & abuſus, qui in praxi apud rudes clericos & ſimplicem popellum conſpiciuntur. Quid igitur docet tridentinum Concilium de *ſanctorum interceſſione & invocatione*? Nihil aliud, quam hoc: Sanctos una cum Chriſto regnantes, *orationes ſuas pro hominibus offerre, bonum atque utile eſſe, ſuppliciter eos invocare*, (ſeu voce vel mente iis ſupplicare) & ob beneficia impetranda a Deo per filium eius Ieſum Chriſtum, dominum noſtrum, qui ſolus nobis redemtor & ſalvator eſt, *ad eorum orationes, opem, auxiliumque confugere.* Seſſ. 25. decreto de Invocatione & venerat. ſanctorum p. 507. Et in Profeſſione fidei trid. dicitur, *Sanctos una cum Chriſto regnantes, venerandos atque invocandos eſſe, eosque orationes Deo pro nobis offerre.* Apparet igitur, ex Concilii illius mente, *Sanctos invocare*, nihil aliud eſſe, quam ad eorum confugere preces, ut beneficia per Chriſtum a Deo impetrentur. Boſſuet. D. C. E. c. 4. p. 13. Sic etiam exponunt Graeci in Confeſſ. orient. eccl. a doctiſſimo Norrmanno latine reddita p. 317. & ſeqq. Ac porro notandum, non doceri a dicto Concilio, 1) Sanctos eſſe *adorandos*. Quanquam vox *adorationis*, pro varia eius acceptione, & quatenus adorationi divinae, ſeu ei, quae ſoli Deo competit, contradiſtinguitur, a Catholico-romanis etiam in praeſenti materia, ſicut & a Concilio nicaeno II, uſurpetur. Walenb. T. 2. 258. 205. 664. Boſ-

Boſſuet. D. C. E. c. 3. 2) *Singulos fideles vi praecepti*, ſive divini ſive humani, ad ſanctorum invocationem teneri: quamvis enim in citato Concilii trident. loco dicatur, *illos impie ſentire, qui negant, Sanctos invocandos eſſe*; & in Profeſſ. fid. cathol. *Sanctos una cum Chriſto regnantes, venerandos atque invocandos eſſe*; ea tamen verba non niſi *de bono & utili* intelligenda, & hinc invocationem ſanctorum non eſſe ad ſalutem neceſſariam, docent egregii romanae eccleſiae doctores, Walenb. T. 2. 10. 205. 232. 267. 269. P. Dionyſ. Werlenſ. in Philanth. 351. Kunckel 357. 360. Veronius R. F. C. c. 2. §. 7. p. 23. & autor Comp. Veron 47. Perronius Cardinalis & plures alii apud Le Févre p. 212. Id quod agnoſcit, & pluribus teſtimoniis confirmat Guil. Forbeſius p. 289. Quibus adde Amyraldum apud Le Févre p. 215. 3.) Cultum, qui Sanctis defertur, eſſe *religioſum*, & ſic, aliove ſpecifico nomine, ut *duliae* vel *hyperduliae*, appellandum eſſe. Veron. c. 2. §. 9. autor Comp. Verón. p. 70. Walenb. T. 2. p. 9. 205. 664. Le Févre 190. Si tamen Pontificiorum quidam cultum iſtum vocant *religioſum*, aut etiam *divinum*, non eo ſic dicere ſenſu videri volunt, quo cultus religioſus & divinus debetur ac tribuitur Deo, quippe qui per ſe & immediate colitur & honoratur, ſed quia Sanctorum cultum pro actu religionis imperato & mediato habent, eumque illis dant non propter ipſos, ſed propter Deum, qui eos efficit ſanctos. Azor. apud Guil. Forbeſ. 293. Boſſuet. D. C. E. c. 3. p. 9. Le Févre 184. *Nos dicimus*, inquiunt Walenburchii T. 2. p. 9. *duplicem eſſe* actum religionis, *alterum* elicitum ſeu immediatum, *alterum* imperatum ſeu mediatum. *De actibus elicitis & immediatis non eſt ulla contentio, quin ſoli Deo ſint tribuendi. De actibus autem imperatis & mediatis legitur Iac. 1, 27.* Religio apud Deum, viſitare

 pupil-

pupillos & viduas in tribulatione eorum. Confer Gerhardi C.C. 1031. & Dreieri Controverf. cum Pontif. p. 878. Porro oftendunt Walenburchii, & ex iis auctor Compendii Veron. p. 73. vocem *religiofi*, eive aequipollentes alias, ab ipfis etiam Proteftantibus, extra cultum veri & fummi Dei adhibitas paffim fuiffe, atque etiam nunc interdum adhiberi. Quibus addere licet Chemnitium, qui part. IV. E. C. T. p. 663. ait, *funera piorum* in V. T. religiofe in monumentis condita & affervata fuiffe; Phil. Melanchthonem, qui tom. IV. operum p. 713. *facramenta Confirmationis, Coniugii, & Extremae unctionis* agnofcit valde utilia & falubria, modo tamen religiofe & pie adminiftrentur & accipiantur; Vrb. Regium, qui in Form. caute loq. fcribit de *Sanctis*: *Horum certe memoria femper in ecclefia religiofe celebrata fuit.* c. 16. §. 10. & Holzfufium, qui in differt. de Praedeftinat. p. 12. eandem vocem ufurpat de *faciendo discrimine variae acceptionis vocabuli praedeftinationis*: nempe vocabulo ifto non ftricte, fed late fumto. Atqui non alio fenfu id hac in materia praetendunt fumere Pontificii, ut Walenburchii l. c. & P. Dionyf. Werl. in Philanth. vindic. p. 32. diferte profitentur. Hinc adducta Regii verba in Corp. doctr. Iulio fic leguntur translata in vernaculam noftram: Derfelbigen Gedächtnis ift allezeit in der Kirchen ehrlich gehalten worden. Denique dicunt Walenburchii, fe diftinguere *honorem Sanctorum ab honore divino*, a quo infinite differt, & ab *honore civili*, tanquam eum, qui hominibus tribuitur propter gratiam fupernaturalem & gloriam, & confequenter obiectum habeat longe excellentius, quam honos civilis: verum, quia de nomine non eft litigandum, perinde fibi effe, fi quis eum honorem vocare velit *honorem obfervantiae chriftianae*, vel honorem *propter*

pter dona supernaturalia, vel alio commodiore nomine. p. 9. 207. 209. 664. 4) Sanctos ***invocandos esse, ut deos.*** Bellarm. l. 1. de Beatit. sanctor. c. 15. 16. Dionys. Werl. in Philanth. 259. 263. 5) Eosdem ***occultarum cogitationum notitiam habere***, atque ***in coelo audire preces***, quae ad illos fiunt a viventibus in terra. Veron. R. F. C. c. 2. §. 7. nam satis putant esse, si preces hominum cognoscant, non ut sunt in mentibus eorum, sed ut sunt in Deo, quem videant, & qui eas ipsis ostendat. Bellarm. l. 1. de Beatit. sanctor. c. 16. 6.) ***Esse mediatores hominum***, & non solum Christum. Veron. l. c. Catech. rom. A. Fabricii 461. Quodsi vero ***mediatores*** dicuntur, scilicet orationis ac intercessionis respectu, tunc late & improprie nomen ***mediatoris*** sumitur, ut docent Hesselius, Espencaeus & Barnesius apud Gul. Forbesium p. 333. Walenb. T. 2. 213. Volus. in Aur. pac. rel. p. 3. 4. 78. Et vide rursus Forbesium p. 270. 7) Invocandos esse, ut, ***tanquam auctores divinorum beneficiorum***, gloriam vel gratiam, aliaque ad beatitudinem media concedant. Veron. l. c. n. 3. Bellarm. l. 1. de Sanctorum beatitud. c. 17. p. 292. Adeo ut, si quando beneficia divina ab iis petuntur, non tamen alio quam intercessionis modo id intelligendum veniat. Bossuet. D. C. E. c. 4. p. 12. 8) Sanctos esse ***immediatos intercessores*** apud Deum: nam quicquid Sancti hominibus impetrant, id per Christum eos impetrare aiunt. Bellarm. ibid. 9) Sanctos, ***qui invocantur, esse sanctos & beatos***, v. g. Laurentium, Vincentium, Gervasium &c. exceptis iis, qui tales in scriptura nobis exhibentur: inter quos est Stephanus, de quo dicitur, eum ***obdormivisse in Domino***, Act. 7, 59. 60. Veron. l. c. Walenb. T. 2. 218. 10) ***In canonizationibus Sanctorum***, Papam, aut generalia etiam Concilia, esse infallibilia. Veron. l. c. & auctor

tor Defensionis ecclesiae (qui non est Ant. Arnaldus, sed, uti fertur, Antecurtius, cancellar. Vniversit. parisiensis) contra Ioh. Claudii Defens. reformat. c. 5. & in Actis erudit. A. 1690. p. 22. Immo olim Episcopi singularum provinciarum, cum suo clero & populi testimonio, canonizandi potestatem exercebant, & viros sanctos in δίπτυχα, id est, geminas tabulas ecclesiae referebant. Richer. l. 3. Hist. concil. general. c. 5. p. 543. Caeterum negant Pontificii, ante ***tempora Gregorii M. non extare mentionem invocationis Sanctorum***; in omnibus hymnis & litaniis Papistarum, ***nullam unquam fieri Christi mentionem***; ipsos ex sententia ecclesiae romanae, rogare virginem Mariam, ***ut filium iubeat facere***, quod petunt. Cassand. in Consultat. p. 964. Bellarm. l. 1. de Beat. Sanct. c. 16. ***Sanctorum intercessioni aut meritis ita esse fidendum***, ut debita poenitentia neglecta, christianae preces ad Deum & Christum non fundantur. Walenb. tom. 2. 213. Volus. 49. Cassand. 970. *religionem in illo sanctorum cultu omnem* reponendam esse. Bossuet p. 24. *Ex quibus omnibus patet*, (inferunt iidem Walenburchii) *non esse quaestionem fidei*, quo modo aut qua ratione ***pro nobis Sancti intercedant***: ***sed, an sancti***, sive angeli, sive homines cum Deo viventes, orationes suas non tantum pro nobis in genere, sed etiam pro singulis seu speciatim offerant, aut pro nobis etiam singulis intercedant. Quamvis autem talis sanctorum invocatio, quae *compellatio* seu *adoratio* est, (vide Gul. Forbes. 300.) qua nempe angeli & sancti monentur atque invitantur, ut precantibus velint esse comprecatores, quomodo a piis hic viventibus petimus, ut pro nobis apud Deum intercedant, suasque cum nostris coniungant preces, & iisdem salutem nostram sedulo commendent, nec *impietatis*, nec *idololatriae* accusari queat, cum in honore illo, quem San-

Sanctis mente praestant, nihil omnino fit, quo illos supra creatarum conditionem rerum efferant, Gul. Forbes. 299. Parker in E. C. T. & in Actis erudit. A. 1688. p. 569 G. Calixt. C. D. P. 47. & in disp. de Statu anim. separ. §. 30. eiusque filius, Frid. Vlricus, in Memoria filii Ioh. Friderici, §. 14. Dreier. in Controv. cum Pontific. 878. Fabricius Syst. theol. 633, 636. Hildebr. theol. dogmat. 192. Amoenit. nostr. theol. 430. Bossuet. D. C. E. c. 3. p. 10. & c. 4. p. 14. 15. 17. ac Le Févre 204. quin potius fatendum sit, consuetudinem istam, qua Sancti ad comprecandum invitantur roganturque, esse satis antiquam, cum circa A. C. 370. antistites ecclesiae populo ad sanctorum invocationem publice praeire coeperint, fatentibus Dallaeo apud Bossuetum in D. C. E. p. 9. Gerh. Ioh. Vossio disp. histor. 2. de hoc argumento, & Gerh. Titio tract. de Phras. vet. eccl. Doctor. p. 188 atque Hildebrando in Theol. dogmat. p. 193. ac in Graecia quidem primi, vel e primis, funem hunc duxerint Basilius, Gregorius nyssenus, & Gregorius nazianzenus; eo tamen incertior est precatio eiusmodi, quo obscurior nobis est status animarum piorum a corporibus separatarum, & num clare Deum videant. Gul. Forbes. 278. Bene autem faceret Ecclesia romana, si eas precum formulas, quibus bona temporalia & coelestia a Sanctis petuntur, & unde rudis plebs facile occasionem idololatriae nancisci potest, item eos libros, qui non fine periculo seductionis leguntur, v. g. *B. virginis Psalterium*, *Amphitheatrum honoris* (vel *horroris* potius: de quibus vide Gul. Forbes. 338.) aliosque similes, nec non superbos illos B. Mariae titulos, quibus appellatur *Regina coeli*, *Mater misericordiae*, *Vita & spes nostra*, *Lux ecclesiae*, *Advocata*, *& Mediatrix* (licet enim haec omnia commodam interpretationem ad-

 mittant,

mittant, ea tamen non semper omnibus, praesertim rudibus & imperitis, occurrit, ut pie iudicat Cassander in Consultat. p. 970.) aboleret, atque, ex supra allegato Concilii trid. decreto, *omnem superstitionem in sanctorum invocatione tolleret.* Quam igitur? Liceat dicere verbis Erasmi: *Superstitionem interpretor*, quum omnia petuntur a divis, *quasi Christus sit mortuus, aut quum hoc animo divorum opem imploramus, quasi sint* exorabiliores Deo, *aut quum* a singulis peculiaria *quaedam petimus, quasi hoc possit praestare Catharina, quod non potest Barbara, aut quum illos inclamamus, non ut intercessores, sed* ut autores eorum beneficiorum, *quae nobis largitur Deus.* in Epist. ad Sadoletum, p. 984. item quum homines etiam non mali *certos sibi Sanctos, tanquam patronos & tutores, deligunt, atque in eorum meritis & intercessione plus, quam in Christi merito, fiduciam ponunt*, atque adeo, unico illo advocationis Christi officio obscurato, Sanctos illos, & inprimis Virginem matrem, in illius locum substituunt; quum nonnulli *meritis Sanctorum sanctificandi & redimendi vim tribuunt*, quae tamen soli Christo, Deo & homini, propria est; quum, veteribus & compertis Sanctis propemodum neglectis, *novos & incognitos* ardentius & impensius colunt, de quorum sanctitate obscurius constat, & nonnulli per revelationes tantum innotuerunt, immo & eos colunt, de quibus, *an unquam in rerum natura fuerint*, merito dubitatur: quumque *divinos honores sanctis attribunt*, ut si templa, arae, sacrificia, sacerdotia, vota, festi dies, non tantum memoriae, ut veteres loquebantur, sed honori & cultui sanctorum consecrata putantur. Cassand. 970. 971. Titius Ostens. summar. p. 141. Quid autem? *Etsi bonum sit*, inquit I. Barnesius in Pacifico Rom. cathol. *quandoque rogare Sanctos, ut Deum pro nobis orent ex affectu humanitatis,* quo

quo ipsi in nos feruntur, tamen utilius eſt, *Deum religioſe orare. Et de hac re moneri deberet populus, ne plus religionis putent eſſe in rogandis Sanctis, quam in orando Deo.* Sic etiam Ioh. Hofmeiſterus, multis e Patrum ſcriptis de Invocatione Sanctorum teſtimoniis coacervatis, tandem ſententia illa, quae extat in lib. 2. c. 2. de Viſitatione infirmor. (qui libri Auguſtino adſcribuntur) concludit, ac dicit: *Tutius & iucundius loquor ad meum Ieſum, quam ad aliquem ſanctorum ſpirituum Dei. Plus debet mihi Chriſtus, quam alicui coeleſtium ſpirituum.* Vide plures huius ſententiae auctores apud Forbeſ. p. 332. &, qui unum nobiſcum votum ſeu deſiderium habent, Calixtum C. D. P. p. 46. & Hildebrandum Theol. dogm. 192.

Sanctos non eſſe invocandos, noſtratium theſis eſt.] Status controverſiae hic eſt duntaxat: An invocatio angelorum & ſanctorum *ſit licita?* inquiunt Walenb. tom. 2. p. 232.

* * *

De Cultu imaginum. QVod de imaginum cultu docet Eccleſia romana, hoc ipſum eſt: Imagines Chriſti, B. virginis Mariae & aliorum Sanctorum, in templis praeſertim, ***habendas & retinendas***, (hoc eſt, ut interpretantur Walenburchii tom. 2. 255. 257. & autor Comp. Veron. p. 64. *licite haberi & retineri*) eisque ***debitum honorem & venerationem impertiendam***, quoniam honos, qui eis exhibetur, referatur ad prototypa, quae illae repraeſentant: ita ut per imagines, quas oſculantur, & coram quibus caput aperiunt, & procumbunt, Chriſtum adorent, & Sanctos, quorum illae ſimilitudinem gerunt, venerentur. Concil. trid. Seſſ. XXV. p. 507. Catech. rom. 466. Idemque aſſeritur in Prof. fid. rom. p. 452. Minime vero credendum ab ea proponitur, 1. Facere & habere licere ***imagines Dei, aut ſanctiſſimae Trinitatis.***

tis 2. Imagines Christi aut sanctorum *esse adorandas.* Multo minus 3. imagines Dei adorandas esse *latria.* 4. Imagines *eadem veneratione cum exemplari* honorandas esse. 5. Cultum imaginibus delatum, esse religiosum, seu, ut Card. De Richelieu in Methodi l. 3. c. 5. loquitur, *proprie religiosum.* 6. *Aliquam iis inesse divinitatem vel virtutem,* propter quam sint colendae. 7. *Ab eis quid esse petendum.* 8. *Fiduciam in iis esse figendam,* velut olim fiebat a gentibus, quae in idolis spem suam collocabant. Veron. R. F.C. c. 2. §. 9. autor Comp. Veron. p. 64. Concil. trid. l. c. Walenb. tom. 2. 258. 260. Le Fèvre 234. Bellarm. l. 2. de Imaginibus sanctorum c. 8. Sic etiam Graeci in Confess. eccl. orient. latine reddita per Norrmannum p. 327. Si autem interroges, qualis sit ille honos, qui defertur imaginibus? respondent Walenburchii: *Non esse bonorem uni & soli Deo debitum.* Si amplius urgeas, respondet Episc. condomensis: *Non tam imaginem volumus, quam coram imagine apostolum aut martyrem bonorare.* D. C. E. p. 20. respondet Werlensis cum Coriolano: *Non imaginem esse obiectum adorationis, seu venerationis, sed eum, quem repraesentat, adeoque* imaginem non per se & proprie, *sed improprie, per accidens. & materialiter tantum bonorari.* in Philanth. 189. respondent iterum Walenburchii: *Sacramentorum memoriam in benedictione esse; & imagines sanctorum, esse memorias prototyporum.* Materiam imaginis nullum ex se mereri honorem; nec a forma imaginis aliquid esse petendum, vel in ea collocandam divinitatem, virtutem aut fiduciam; *& tamen coram bominibus licite bonorari sanctos, ipsasque imagines propter sanctos; sanctos vero propter gratiam & gloriam, quam Deus iis contulit.* Sicut princeps afficitur contumelia, quando eius imago eam patitur, propter rela-

relationem inter imaginem Principis & ipsum Principem: sic honorandas esse imagines *propter relationem ad sanctos*, quorum memoriam hominibus in hac terra viventibus exhibent, ita ut iste honor terminetur per imagines ad ipsos Sanctos, eorundemque sanctitatem. T. 2. p. 13. Iidem intelligere se aiunt ***eum gradum respectus & honoris, qui debitus est instrumentis omnibus religionis***, sicut personis & rebus ecclesiae, presbyteris, calicibus, libris sacris, qui omnes vocantur *venerabiles*. T. 2. 258. Fatentur etiam, ***nullum esse praeceptum*** seu mandatum divinum aut ecclesiasticum, habendi, retinendi, aut honorandi imagines cuiuscunque sancti: nec esse quaestionem inter suae ecclesiae homines & nostrates, an ***Iudaeis licitum vel illicitum fuerit***, pingere Deum in forma hominis? item an iidem ***habuerint imagines in sua synagoga***? neque etiam quaeri ***de circumstantiis, aut particularibus determinationibus ad talem aut alium honoris ac venerationis modum***, v. g. an imagines in excelsiori loco, aut in altari, aut alio consimili in ecclesia loco erigi possint, vel debeant? an ornandae & pingendae, & quidem tali modo? an in processionibus circumferendae? an cerei coram eis accendendi? an genuflexionibus venerandae? cuius auctoritate pingi, ornari & erigi possint? Multo minus defendere volunt quosdam *abusus*, ob negligentiam superiorum, aut temporum iniuriam, in veneratione vel ornatu imaginum introductos, quos Synodus tridentina tolli iussit: sed quaestionem fidei aiunt esse, An ***licitum*** sit (praedicto modo) colere, honorare, aut venerari imagines sanctorum, sive angelorum, sive hominum cum Christo regnantium? p. 257. Nostrates autem & Reformati longe aliter formant statum huius controversiae, dicentes, quaeri, an *necessario & religiose* sint colendae

imagines? *Non est quaestio*, scribit Gerhardus, *de habendis*, sed religiose colendis imaginibus. *Haberi posse imagines non solum extra templa, sed in templis, concedimus; sed religiose colendas esse imagines, negamus. Neque quaestio est de civili vel ceremoniali aliquo cultu externae alicuius honorificentiae seu reverentiae, quali templa & alia, quae in templis asservari solent, ac cultui divino inserviunt, vasa seu utensilia, reverenter & εὐσχημόνως habere ac tractare solemus, sed* de cultu religioso, *qualis in papatu exercetur adorando, compellando, salutando, sacrificando, amplexando, osculando* &c. C. C. p. 1038. Eandem de Pontificiis sententiam habet Dallaeus, quod nempe praetendant ***cultum & servitium religiosum***; atque ideo eum damnat, ut idololatricum, lib. de Imaginib. p. 376. Sicut etiam supponit, cultum imaginum *mandari* ab ecclesia rom. & praescribi, ut necessarium. p. 172. In quibus ei praeivit Chemnitius, qui & alia tribuit ecclesiae romanae, quasi ab ipsa definita, & ad credendum, vel agendum proposita aut praecepta. *Pontificii*, inquit ille, *in tridentino decreto* prorsus necessitatem faciunt *de imaginibus in templo babendis & retinendis*, tanquam parte non postrema religionis, pietatis & cultus divini: *immo docent, imaginibus honorem, atque adeo cultum exhibendum, & quidem* eodem cultu, qui rei per imagines significatae debetur, venerandas; *ut, si sit Dei vel Christi imago, eam cultu λατρείας* & adorationis, sicut Deum ipsum, *venerandam; si Mariae, cultu ὑπερδουλείας; si sanctorum, cultu δουλείας, sicut Antonius ex* Thoma *docet, & sicut ex* pseudosynodo nicena *postea ostendemus. Immo Pontificiorum templa tantum non clamitant, imagines in illis auro, argento, gemmis, serico honorari*, votis, *cereis, suffitu, anathematis, oblationibus*, templis, aris, festis, *ceremoniis, salutationibus, incurvationibus, genuflexionibus, expansi-* one

one manuum, apertione capitis, immo precibus & invocationibus *coli, & in publicis supplicationibus circumferri.* E.C.T. part. 4. p. 673. Haec autem si conferantur cum iis, quae supra recensuimus ex sententia Pontificiorum, patebit, tantum abesse, ut sint omnia ex romanae doctrina ecclesiae, ut potius Walenburchii cum Veronio utrumque pollicem premant doctrinae Dallaei, & Aubertini, fatentes cum illo, debitum imaginibus honorem, quem Concilium requirit tridentinum, intelligendum esse *de eo gradu respectus & honoris, qui debitus est instrumentis omnibus religionis*; & cum hoc, intelligendam esse eiusmodi *venerationem, quae nec est honor civilis, nec adoratio Deo debita.* T. 2. 258. Inde etiam porro sequitur, venerationem imaginum, quae secundum istam explicationem instituitur, non posse dici *idololatricam*: nam qui eam sic vocant, supponunt, latriae cultum ex mente Romanensium deferendum esse imaginibus, contra quem tamen illi protestantur, eumque de fide esse inficiantur. Vide Volus. A. P. R. p. 75. Certe Petrus Martyr (Vermilius) non audet eam accusare idololatriae, sed *stipulae & ligno accenset*, in Loc. commun. p. 623. Eiusdem sententiae est Parkerus in Actis erudit. A. 1683. p. 573. Neque etiam Synodus nicena II. adorationem latriae imaginibus Christi & Sanctorum decrevit, sed *adorationem bonorariam*, h. e. ut Chemnitius interpretatur p. 696. exhibitionem honoris seu reverentiae, quae fit externo aliquo gestu, vel inclinatione capitis, vel genuflexione, vel amplexu, osculo, vel huiusmodi. Vide Coriolani Summam conciliorum p. 390. Walenb. tom. 2. 259. Dreier. Controv. Pontif. 953. 961. & Dorschei Collat. ad Concil. francoford. p. 73. Et Tharasius in epist. ad Imperatores, prout in Act. VII. refertur, scripsit,

imagines ita adorandas esse, ut sint osculandae & amandae. Hinc Legati Pontificis rom. in fine V. Actionis ita concludunt: *Iustum censemus, ut in medium nostri veneranda imago afferatur, quam* osculantes *sancti vos sacerdotes, quid de ea fieri debeat, pronuncietis.* Hoc recitans Chemnitius, ait: *Et factum est ita, ac non multo post secuta est definitio synodi*, esse adorandas *imagines.* p. 700. scilicet, quia *osculationem*, *complexum & adorationem idem esse* statuebant, prout ipsimet interpretabantur Patres Synodi francoford. ex relatione eiusdem Chemnitii. p. 701. Interim considerandum est, quod *initio praedicati evangelii* aliquamdiu, & quidem in seculum usque quartum, inter Christianos non fuerit imaginum usus; quod *picturae* longe prius, quam statuae, in ecclesiam admissae; (nam tempore S. Augustini & Gregorii nondum prostabant simulacra, & per Germaniam ne quidem sec. XII.) quod usus picturarum ad aedificationem imperitorum, ut nescientes literas, in parietibus saltem videndo legerent, quae in codicibus legere nequirent, (quem usum vocant *historicum*) *a Gregorio I.* fuerit probatus, improbata vero earum adoratio; quod *Galli aeque ac Germani adorationi religiosae* & cultui divino imaginum, quam in Synodo nicena II. adstructam esse credebant, *mascule se opposuerint in Synodo francofordiensi*; quod sec. XII. tempore Friderici barbarossae, Alemannis sacrarum imaginum adoratio interdicta fuerit; quod omnis *imaginum adoratio intra annos quadringentos circiter* ex Italia, & cum primis Roma, in Germaniam nostram & Galliam, ut & Britanniam, per monachos mendicantes primum videatur pervenisse; quodq; hunc cultum, qui Deo per imagines exhibetur, *non satis castum & convenientem esse Deo*, sed a superstitiosis hominibus excogitatum,

ratum, ex paganis quoque prudentissimi animadverterint. Cassand. 974. & Chemn. p. 683. Conring. Discuss. Philanth. 93. & in Demonstrat. subiuncta p. 329. Itaque *fortasse optandum esset, ut maiores nostri huc usque in prisca illa antecessorum suorum sententia de non colendis imaginibus perstitissent: manifestius enim est, quam ut multis verbis explicari debeat, imaginum & simulacrorum cultum* nimium invaluisse, *& affectioni seu potius superstitioni populi plus satis indultum esse, ita ut ad summam adorationem, quae vel a paganis exhiberi simulacris consuevit, & ad extremam vanitatem, quam ethnici in suis simulacris & imaginibus effingendis & exornandis admiserunt, nil a nostris reliqui factum esse videatur:* quae sunt verba optimi Cassandri p. 978. Et ne solus sibi hac in re sapere videatur, aliquot citat prudentes in ecclesia viros, qui & ipsi modum aliquem huic rei ponendum, & superstitioni occurrendum censuerunt, ut Gul. Durantem, Billetum, Gersonem, Durandum, Robertum Holkot, Bielem, & Sidonium. Equidem recte dicitur, populum in superstitionem non incidere, si rationem adorationis ac veri cultus attenderet, aut si ignoret, informationem humiliter acciperet; sed (si licet pergere cum Cassandro) *utinam illi, a quibus haec informatio accipienda esset, non* ipsi superstitionum auctores *essent, vel certe eas in animis simplicium hominum aliquando* quaestus causa *non nutrirent.* p. 980. Verum quia non tam votis, quam remediis malo occurrendum est, suadet vir prudens, *ut piorum Principum & fidelium Episcoporum seu pastorum communi cura, omnis superstitio hac in re vitetur, & imagines* pro rerum gestarum monumentis, *non autem pro cultus instrumentis, habeantur, & populus* ad cultum verae imaginis Dei, *i. e. hominis ad Dei imaginem conditi, (qui cultus consistit in egenorum subventione) perducatur atque in-*

vitetur, p. 980. Nempe hoc illud eſt, quod noſtrates dicunt, non omnium Pontificiorum praxin in cultu imaginum ſaniori rom. eccleſiae doctrinae reſpondere, atque ideo illam correctione omnino opus habere. Videantur Fabricius Syſt. theol. 347. & Conring. Diſcuſſ. Philanth. 210. 250. Huc etiam videtur reſpicere G. Calixtus, ſcribens: *Etiamſi Chriſtus imagine exprimi queat, & per hanc conſpectam memoria Chriſti in animis hominum excitata*, ipſe apud imaginem adorari; *qui tamen coram imagine procubuerit, intuentibus ſcandalum & ſpeciem iconolatriae praebebit.* In C. D. P. p. 47. Et paulo ante poſuerat: *Imaginum eam rationem haberi ſatis eſt*, ne irreverenter & ignominioſe tractentur, *vel abiiciantur*: cultus alius, qui poſitivus ſit, *iis non competit.* Id quod haud ingratum poteſt eſſe illis Pontificiorum, qui imaginibus negant competere honorem per ſe, proprie, & formaliter, ut ſupra audivimus: ſed alii tamen cum noſtrates, tum Reformati, nec poſitivum, ut ex praedictis conſtat, cultum imaginibus denegatum eunt.

Imagines licite haberi & retineri] In Catech. rom. Andr. Fabricii ad quaeſtionem: *Quibus praeſertim modis per imagines poteſt divinum Numen violari?* reſpondetur: *Duplici potiſſimum ratione, quod ad hoc* (ſecundum decalogi) *praeceptum attinet, Dei maieſtatem vehementer laedi, perſpicuum eſt: altera, ſi idola & imagines*, tanquam deus, colantur, *aut credatur* ineſſe in his aliqua divinitas vel virtus, *propter quam ſint colendae, vel quod* ab eis aliquid ſit petendum, *vel quod* fiducia ſit in imaginibus figenda, *veluti olim fiebat a gentibus, quae in idolis ſpem ſuam collocabant, quod paſſim ſacrae literae reprehendunt: altera, ſi quis conetur* divinitatis formam aliquo artificio effingere, *quaſi corporeis oculis conſpici, vel coloribus aut figuris exprimi poſſit*, p. 463. Et quaeſtioni: *Quis eſt legitimus in eccleſia imaginum uſus?* haec ſubiungitur reſponſio: *Nonſolum* licere *in eccleſia imagines habere, & illis honorem & cultum exhibere, oſtendet parochus, cum honos, qui illis exhibetur, referatur ad prototypa; verum etiam maximo fidelium bono ad hunc*

hunc usque diem factum declarabit; ut ex Damascenilibro, quem de Imaginibus condidit, & VII Synodo, quae est II Nicaena, intelligitur. Verum quia sanctissimum quodque institutum hostis humani generis suis fraudibus & fallaciis depravare contendit, si quid forte a populo hac in re peccatum fuerit, parochus, tridentini Concilii decretum secutus, quoad eius fieri poterit, studebit corrigere: *ac decretum quidem ipsum, cum res tulerit*, populo interpretabitur, *tum rudes, & qui imaginum ipsarum institutum ignorant, docebit*, imagines factas ad utriusque testamenti cognoscendam historiam, atque eius memoriam identidem renovandam: *qua divinarum rerum memoria excitati, ad colendum atque amandum ipsum Deum vehementius inflammemur. Sanctorum quoque imagines in templis positas demonstrabit, ut &* colantur, & exemplo moniti, *ad eorum vitam ac mores nos ipsos conformemus.* p. 466. Audiamus etiam Hugonem Grotium, qui de imaginibus sacris sequens fert iudicium: *Ad imagines quod attinet, primum* pictas ne Hebraeis quidem generaliter fuisse interdictas, *ad decalogum ostendimus, cuius praecepto secundo Hebraei vetantur ullas facere* imagines exstantes, *quovis in loco. Iosephus*: Οὐδ᾽ ἐξεῖναι ἐν τῇ πόλει δείκηλον τίθεσθαι, Nullum in urbe sinunt poni simulacrum. *Et alibi*: Οὐδὲ Θεοῦ τι δείκηλον, οὐχ ὅπως ἀνδρὸς, οὐ κατὰ τὸν ναὸν μόνον, ἀλλ᾽ ἐν εἰκαίῳ τινὶ τόπῳ δίδοσθαι θεμιτόν, Nec Dei nec hominis simulacrum ponere illis licet, non modo non in templo, sed nec in profano loco. *Tacitus*: Nulla simulacra urbibus suis, nedum templis sunt. *Alterum, quod eodem praecepto illis vetatur, est, ne ullum* signum honoris *exhibeant apud imagines. Neutrum naturale esse & perpetuum, satis apparet Cherubinorum argumento, apud quos summus sacerdos, post anniversarium sacrum, Deum venerabatur. Positiva autem illa, quae fuere in lege veteri, & nihil ad mores pertinentia, sed Iudaeos separantia a gentium institutis, nihil obligant Christianos, non magis quam lex sabbathi, quae & ipsa in decalogo est posita. Propterea Christus cum perpetuo mansura praecepta repetit, horum nullam facit mentionem. Cum vero multae superstitiones occasione imaginum irrepserint, neque eas tollere, ut voluit, potuerit Synod. tridentina, ac Iudaei & Muhametistae earum aspectu multum avertantur a christianismo, & Graeci pictas tantum tabulas habeant, primum ex usu sit* auferri Dei imagines, *quod Episcopi quidam fecere, & communiter fieri placuerat in colloquio*

loquio possiaceno, Christi vero & sanctorum imagines, ubi receptae non sunt, non poni; quin & auferri e publicis locis, ubi sine offensa plebis id fieri potest, *repositis in earum locum tabulis historias sacras continentibus: id si non potest, gnaviter doceri populum*, usum imaginum unicum esse memoriam revocare: nullam autem in iis esse vim divinam aut beneficam, *quod & Synodus tridentina recte monet. Sollicite vero cavendum, ne, quamvis sub favorabili obtentu, paganorum in hac re mores in christianismum reducantur: nec defendenda, quae* Scholasticis, *magis se vulgo, quam par erat, accommodantibus, improvide exciderunt.* In Annot. ad Consultat. Cassandri p. 313.

Prudentes in ecclesia viros] Quibus omnino accensendus est Georg. Wicelius, cuius haec sunt verba: *Versatur etiam abusus* circa statuas marianas, *quibusdam in locis. Quas cum non nesciant Episcopi* prope adorari, *maxime vero ad carmen illud lucrosum iuxta ac incomparabile Petri de Compostella, dissimulant, nec sculptile submovent, in quo creditur inhabitare numen, ceu in Apollinis delphici statua. Ad quod scilicet numen, sive sit sculptile sive fusile, terra marique confugiunt, opemque expetunt, qui non credunt, in Israël esse Deum, & puri Nabalitae, qui dicunt in corde suo*: Non est &c. *qui citius crediderint Cottae ciceroniano, neganti deos esse, horumque curam de mortalibus, quam Balbo, deos esse asseveranti. Quod illi de diis, hoc nos de Deo sentimus. Corroboratur hodie per* Marisstellanos, *ante id genus sculptilia religiose procumbentes. Hi nisi venissent, illa de nimis sero occasu periclitabantur. Hic quaeritur, hic colitur Maria votis, invocationibus, observationibus, genuflexionibus, manuum complicationibus, pectorum tusionibus, pretiosissimis ornatibus, floridissimis coronationibus atque sparsionibus, mellitissimis instrumentorum musicorum sonis, candelarum incensionibus, & fixis in has statuas oculis concurrentium filiorum Evae.* Nunquid isthaec est enormis dyslatria? *Iehu videt, ne stomachum* hyperdulo *moveam. Παρθενολατρεία est apertissima; καὶ λάθρα σκιάζουσι τὸ ἄγαλμα τῆς κόρης, hoc est,* summa contumelia virginem matrem afficiunt. *Sub dio invocari Mariam in adversis, evangelium non patitur: & sub tecto patiatur invocari in sculptilibus?* &c. In Elencho Abus. p. 126.

Imagines templis, aris, festis coli] Contrarium habet Gul. Durantes in Rat. div. offic. l. 4. c. 39. p. 159.

IN

IN controversia de reliquiarum veneratione ante omnia sciendum, quid per reliquias hoc in loco intelligatur. Nempe *reliquiarum* nomine veniunt non tantum sanctorum corpora, eorumque particulae, sed etiam vestes, aut alia, quibus usi fuerant. Etiam terra sepulcris eorum imposita, reliquiis annumeratur. Et crux, in qua Christus pependit, propter contactum sacri corporis & sanguinis, inter pretiosissimas reliquias habetur a Pontificiis, sicut ex Stapletono, Costero & Bellarmino refert Gerh. C. C. 1031. De statu autem huius controversiae idem, quod de imaginibus sanctorum, facere oportet iudicium: idem enim de reliquiis, ac de imaginibus sanctorum, pronuntiat Concilium trid. Confessio fidei trid. & Catech. rom. *eas* scilicet *venerandas esse*, h. e. ut Walenburchii interpretantur, *licitum esse* eas colere, honorari ac venerari. T. 2. p. 12. 249. Itaque, ut recte iidem annotant, convenit inter Romano-catholicos & Protestantes, 1. Corpora parentum nostrorum, aut eorum, qui pie vixerunt, & sancte mortui sunt, *posse conservari*, nec esse necessum, eadem aut comburere, aut inhumata relinquere. 2. *Aliquem honorem* iisdem corporibus posse deferri, h. e. christiano more & honorabili loco sepeliri. 3. Sanctorum corpora, aut reliquias non *eo cultus genere* debere honorari, qui soli Deo debitus, eique proprius est. 4. Reliquias, aut sanctorum corpora, non esse *invocanda*. 5. Nullam in iis latere *virtutem*, per quam nobis ex se beneficium aliquod, aut

De Veneratione reliquiarum.

 favo-

favorem concilient. 6. Sanctorum reliquias non esse *contemnendas*, vel *irreverenter aut irreligiose tractandas*, sed potius in pretio habendas. 7. Nullum esse *praeceptum* divinum aut ecclesiasticum, quod obliget fideles, colere aut venerari reliquias sanctorum. Confer Chemn. E. C. T part. 4. 662 Gerh. C. C. 103'. ac Titium de Phras. vet. Eccl. Dd. 206. Et porro notandum 1. Doctiores & prudentiores Pontificios non hic disputare de *circumstantiis huius cultus*, an corpora, cineres, seu ossa Sanctorum ex sepulcris eruenda, & in loco edito, e. g. in summo altari, aut alibi collocanda; an accensis cereis honoranda; an auro, argento, serico, gemmis exornanda; an reliquiae in processionibus & supplicationibus publicis sint circumferendae, populoque christiano, ad tangendum, osculandum vel saltem spectandum, ostentandae ac proponendae; an dividendae in partes, & portandae sint in collo ex devotione: sed de ipso reliquiarum cultu secundum se, seu de honore earum in genere. 2. Eos non *orare vel adorare* reliquias, sed ipsos Sanctos, quorum sunt reliquiae, venerari & invocare. 3. Nec dimicare *de veritate harum aut illarum reliquiarum*, neque de earundem *approbatione*; sed tantum quaerere de veneratione earum reliquiarum, quas certo constat esse veras. 4. Multo minus agere de quibusdam *abusibus*, qui irrepere possunt, quique ex negligentia superiorum, contra mandatum Concilii trid. Sess. XXV. (ubi dicitur: *Omnis superstitio in reliquiarum veneratione tollatur, omnis turpis quaestus eliminetur.* p 508.) nec dum sublati sunt: *nec enim dubium est, quin inordinatus quorundam zelus, non tantum Protestantes, sed etiam Catholicos graviter offendat*, aiunt pietate non minus quam eruditione illustrissimi Walenb. tom. 2. 250. Quibus adde Bellarm. l 2. de Reliqu. Sanct. c. 3. ac Le Févre p. 227. Minime

nime omnium reticendum est, quod ab Ecclesia romana non proponatur credendum, reliquias venerandas *cultu religioso*, (videlicet stricte sumto hoc vocabulo, & prout significat actum religionis elicitum & immediatum) aut *eadem veneratione cum exemplari* afficiendas; aut has vel illas reliquias, quae in hoc vel illo templo coluntur, *esse huius vel illius sancti*, cuius tanquam reliquiae proponuntur colendae. Veron. R. F. C. c. 2. §. 9. autor Comp. Veron. p. 67. & Le Févre 228. Quorum ultimus, Bellarminum l. c. sequens, *Nos confitemur*, ait, *quod honor, qui reliquiis exhibetur, debeat esse minor illo, qui defertur sanctis: & nemo de eo dubitat*. Mart. Peresius scribit apud Carpzov. in Isag. in libr. symbol. p. 542. *reliquiarum praecipuum honorem* & cultum sanctorum, in recta de eorum gratia & virtutibus *opinione* pariter, & in morum ac vitae eorum *imitatione* consistere. In lib. de Sacr. tradition. part. 3. de Venerat. reliquiar. Et Bossuetus de Cultu imaginum: *Non alia causa*, inquit, *utimur imaginibus, quam* ut animum ad coelum tollamus, *ubi aut Christum aut Sanctos, in iisque ipsum Deum, sanctitatis omnis & gratiae auctorem, veneremur*. Hisce verbis statim subiungit sequentia: *Eodem sensu accipiendus est honos, quem prima Ecclesiae imitati tempora* (respicit autem, ut videtur, ad epist. Ecclesiae smyrnensis, exstantem apud Euseb. l. 4. H. E. c. 15.) *sacris reliquiis exhibemus: neque enim, si perpenderent adversarii, sanctorum nos corpora* respicere, ut victimas, *olim Deo martyrio vel poenitentia consecratas, crederent, nos honore eis hoc animo exhibito, ab honore ipsi Deo exhibendo dimoveri*. D. C. E. p. 21. Cavendum itaque, ne, quod Dallaeo obiicit Le Févre p. 228, dicamus, Pontificios ex sententia Ecclesiae romanae *religiose* colere reliquias, easque *proprie adorare*, adeoque statum controversiae hunc esse, an reliquiae Sanctorum religiose

 sint

ſint colendae & adorandae ad eum modum, quo Deus adoratur & religioſe colitur. Vide Gerh. C. C. 1031. & Titium de Phraſ. vet. Eccl. Dd. p. 194. Sed &, ſi prima Eccleſiae tempora velint imitari Pontificii, obſervent id, quod fecerunt Smyrnenſes cum corpore S. Polycarpi, & *oſſa* martyrum aliorumque pie defunctorum, *gemmis pretioſiſſimis cariora & quovis auro puriora, ubi decet, condant*, aut condita ſuis in locis relinquant, &, miſſa omni ſuperſtitione, ibidem *memorias* martyrum, ſeu ſanctorum, *cum hilaritate & gaudio celebrent, tum in memoriam eorum, qui glorioſo certamine perfuncti ſunt, tum ad poſteros huiusmodi exemplis erudiendos & confirmandos.* Euſeb. l. c. Sic Melanchthon ſcribit: *Poteſt iniri ratio, quomodo iuſti honores ſanctorum retineri poſſint, ſcilicet ſi feriae aliquae retineantur, in quibus populo ſanctorum hiſtoriae & exempla prudenter proponantur.* Caeterum ſicuti non negamus, olim ad loca martyrum, reliquiis inſignia, & miracula eſſe facta, & vota nuncupata, & peregrinationes illuc ſuſceptas, quod Auguſtini & Paulini teſtimoniis probat Caſſander p. 972. ita prudenti utilique eiusdem Caſſandri conſilio, quod recenſioni variorum circa reliquias abuſuum ſubiungit, diſputationem hanc concludimus. Sic autem illud ſe habet: *Cum verae & compertae reliquiae, praeſertim in his provinciis perpaucae ſint, & multae ex iis, quae oſtentantur, non temere ſuſpectae haberi poſſint, atque illarum frequentatio & veneratio non multum pietati, plurimum vero ſuperſtitioni vel quaeſtui ſerviant, multo conſultius videtur, ut* ab omni reliquiarum oſtentatione abſtineatur, *& populus* ad veras ſanctorum reliquias colendas, *i. e. exempla pietatis & virtutum, quae in ſcriptis, vel ab ipſis vel de ipſis, extant, imitanda provocetur.*

De

* * *

DE coniugio Clericorum, quod illis, sive ex peculiari voto, sive ex maiorum traditione seu lege ecclesiastica, inire non licet, sentiunt nostrates, id eis liberum esse relinquendum, nec promiscue omnes cum Monachos, tum speciatim sic dictos Clericos coelibatui esse mancipandos, neque etiam votum castitatis servandum esse illis, qui id emiserint, si ad eius observantiam se deprehendant ineptos. Vt autem controversiae huius status recte intelligatur, sciendum, non esse quaestionem, 1. an coelibatus purus & castus, *in personis ad eum idoneis* approbandus sit. 2. an quis *firmo animi proposito* coelibatum eligere possit. 3. an quis continentiam *promittere possit ecclesiae, tanquam πάρεργον accedens ad aliud:* quod viduas in ordinem diaconissarum electas fecisse, quidam interpretes statuunt ad 1. Tim. 5, 11. quippe quae, ob ministerium ecclesiae, promittebant viduitatem, seu, se velle manere viduas, nec animum ad coniugium applicaturas, 4. an *iure divino* coniugium sacerdotibus sit prohibitum: nam pauci inter adversarios rem hanc ad ius divinum revocant, quos Bellarm. & Gregorius de Valentia ipsi refutant; sed de *voto solenni* coelibatus. Dicunt igitur, neminem sub iuramento & execratione debere castitatem vovere absolute: quod enim absolute non est in alicuius potestate, id eum non posse absolute vovere, supposito etiam divino auxilio, quia nullam habeat absolutam promissionem, quod Deus bonum naturale & temporale, quale est continentia, ipsi velit dare, etiamsi vovens intendat, in relatione ad bonum spirituale, eo uti, quia ad hoc aliis mediis aeque facile possit pervenire. Quaestio etiam est de *omnibus ordinibus sacris.* Nam adversarii ordines distingu unt in maiores & minores. Ad maiores referunt

De Coniugio clericorum.

Sacerdotes (h. e. episcopos & presbyteros) Diaconos & Subdiaconos: minoribus adscribunt Lectores, Cantores, Acoluthos, Ostiarios, Exorcistas: quos verius *ministros ordinum* dixerint. Iam omnes quidem lege coelibatus teneri volunt, sed magis tamen maiores ordines. Paucis: Licitum esse coniugium etiam sacerdotibus, aiunt nostrates, quia verbum Dei iis non obstat, & in veteri etiam ecclesia sacerdotes fuerunt mariti. Aug. conf. art. 23. seu 2. de Abusibus, Apologia huius art. p. 236 Chemn. E. C. T. Part. 3. p. 487. Gerh. C. C. 907. G. Calixt. de Coniug. cler. p. 1. & seqq. Henr. Müller de ead. materia p. 1. & seqq. Ioh. Fabricius Syst. theol. p. 662. Dreier Controv. cum Pontific. 621 Vt adeo non attendendum sit, quod scribit I. G. L. de Minist. eccles. §. 330. *quaestionem esse de iure divino*, an iure divino coelibatus sacris ordinibus sit annexus: non enim Calixtus tantum p. 2. & Dreier l. c. rectius sentiunt, ac melius sententiam adversariorum proponunt, sed etiam ipse autor ille in seqq. testatur, non omnium Pontificiorum istam de iure divino esse sententiam, scribens: *Pontificii legem coelibatus sacrificulis imponunt, cuius originem* quidam ad ius divinum, *quidam ad ecclesiae h. e. Pontificis romani constitutionem referunt.* Neque etiam Pontificii docent, Vitam monasticam *esse de iure divino.* August. Gibbon de Burgo in Luth. Calvin. p. 308. *Esse statum perfectionis.* Il card. Sforza Pallavicino nell' Arte della perfett. christ. 496. Bellarm. l. de Monach. c. 2. p. 138. *Mereri iustificationem, & remissionem peccatorum*, & applicatam aliis, eos *salvare.* Bellarm. l. c. p. 144. Cassand. apud Gerh. C. C. 878. Professionem monasticam *baptismo esse vel anteponendam, vel aequandam.* Bellarm. ibid. *Mendicitatem*, aut simile opus non mandatum, *maioribus titulis, quam legem divinam*, esse ornandam. Ibid. *Legem Dei, tantum de ex-*

 ter-

ferna disciplina concionari. Ibid. & Cat. rom. Fabricii 525. *Coniugium esse pollutionem.* Bellarm. p. 145. *Coelibatum esse de substantia ordinis.* Cassander 989. Panormitanus apud H. Müller. de Coni. cler. p. 54. & Wicelium in V. R. 79 Negant etiam, 1) Coelibatum clericorum esse *coactum.* Qua de re sic scribit Volusius: *Nemo cogitur, qui hoc, quod Deo sancte promisit, servare adstringitur. Estne matrimonium Reformatorum ideo coactum, quia, postquam contractum & consummatum est, servari debet? Nemo dixerit. Cur igitur coelibatus libere susceptus, coactus illi* (Maresio) *dicitur?* In Aurora pac. relig. p. 40. Cui adde Concil. trid. Sess. 25. c. 18. p. 563. 2) *Nuptias esse necessarias iure divino*, seu legem de coniugio ineundo esse latam: nam dicta 1. Cor. 7, 2. 9. 1. Tim. 5, 14. de promissione interpretantur, & quidem apud illos, qui, cum soluti & liberi sint, incontinenter vivunt, ita ut flagitiis se polluant. Bellarm. 176. 3) *Coelibatum sordes ullas gignere*, scilicet ex se & sua natura: posse autem id fieri per accidens, si sordidorum mortalium genius, coelibem vitam sceleribus contaminet. Volus. p. 40. 4) *Absolute impediri aut prohiberi a se matrimonium*, cum tantum ex suppositione voti, seu quod quis voverit castitatem, prohibeatur. Aug. Gibb. de Burgo p. 310. 5) *Permitti, ut sacerdotes vel clerici, sint scortatores:* nam poenas, quibus eiusmodi transgressores afficiuntur, si innotescant, contrarium docere. Id. p. 32. Docent autem, 1. *Continentiam, & donum Dei esse, & in arbitrio ac potestate hominis positam.* Audiamus Bellarminum: *Est igitur observandum*, ait ille, *multa esse genera* donorum Dei. *Quaedam enim* dantur homini sine eius cooperatione *qualia sunt robur, sanitas, pulchritudo prophetiae, linguarum aut miraculorum genera, & omnes habitus, quos Deus infundit. Et haec stultum esset asserere, esse in nostra potestate, aut pendere*

ex

ex humana electione, ita ut possit ea habere, quicunque velit. Aliud genus doni consistit in auxilio divino, *sine quo non faceremus id, quod cum eo auxilio facimus. Sic enim credere, sperare, diligere, perseverare patientem esse, vincere tentationes, dicuntur & sunt verissima Dei dona, quia nisi Deus gratia sua nos praeveniret excitando, & adiuvaret dirigendo, protegendo, & cooperando, nihil boni faceremus: & tamen ista opera pendent ab electione humana, & sunt in nostra potestate, quia Deus, licet iuvet, non tamen cogit, neque necessitat: & licet homo sine Dei auxilio non possit quidquam boni facere, absolute tamen dicitur posse, quia sufficiens auxilium, ut quis operetur, aut saltem, ut possit maius auxilium petere, nunquam deest; alioqui non peccarent homines non credendo, non sperando, &c. Ad hoc genus donorum, continentiam pertinere dicimus. Ubi praeterea est notandum, quod, sicut circa fidem, poenitentiam, perseverantiam, aliosq; actus bonos, ita etiam circa continentiam duplex* gratia sive auxilium *distingui soleat: unum* sufficiens, *quod omnibus datur, saltem pro loco & tempore: quo auxilio non tam fit, ut operemur, quam* ut operari possimus; *aliud autem* efficax, *quo re ipsa operamur. Atque hoc posterius est donum singulare, quod non omnibus datur: solum enim illi donum fidei habent, qui re ipsa credunt; soli illi donum habent perseverantiae, qui re ipsa perseverant; soli illi donum habent continentiae, qui re ipsa continent, quos notum est non esse multos, nedum omnes. Et de hoc dicitur:* Non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est. Matth. 19, 11. *Et simul est verum, omnes, qui volunt, posse continere, quia sufficiens auxilium ad continendum, aut ad gratiam impetrandam, nulli denegatur. Sicut etiam de fide scriptum est:* Non omnium est fides. 2. *Thess.* 3, 2. *Itaque continentia sic est donum Dei, ut tamen sit in arbitrio & potestate hominis, praeveniente scil. & comitante gratia Dei.* Hactenus

tenus Bellarm. l. 2. de Monach. c. 31. p. 179. 2. *Tria esse genera tentationum carnis.* Vnum, quod ita tentat, *ut vincat.* Et hoc est pessimum genus ustionis. Alterum, quod ita tentat, *ut statim acriter repellatur*, ita ut intus iacula non penetrent, nec ulla mentis perturbatio oriatur. Et has tentationes non proprie vocari *ustiones*; & propter has non esse nuptias necessarias. Tertium, *cum quis nullo modo consentit*, licet iacula intus penetrent. Itaque asserunt, ab apostolo 1. Cor. 7, 2. vocari homines ad matrimonium non ob solas tentationes, sive sensum, sed *ob consensum libidinis*, & per *ustionem* non tentationes, *sed incontinentiam & flagitia* esse intelligenda, ut hic sit sensus verborum apostoli: Qui omnio decrevit, aut fornicari, aut nubere, is bene facit, si nubat, quia melius est nubere, quam uri, id est, quam fornicari. Nec interim male dici, *peius esse nubere, quam uri*, praesertim ei, quae habet votum solemne. Nam quae uritur, aut non peccare, si *ustio* solum tentationem significat: aut peccare solum contra temperantiam & contra votum, si fornicationem significat: quae vero nubit post solemne votum, peccare contra temperantiam, contra votum, & contra ipsum coniugium, cum sub nomine coniugii tegat perpetuum sacrilegium. Quae autem nubit post votum simplex, illam verum quidem matrimonium contrahere, aliquo tamen modo magis peccare, quam quae fornicatur, quia reddat se impotentem ad servandum votum: idq non facere eam, quae fornicatur. Bellarm. c. 30. p. 176. 178. 3. *Non minus donum Dei esse, credere, quam continere.* Ioh. 6, 44. Phil. 1, 29. 2. Thess. 3, 2. At nihilominus credere posse, qui volunt, & recte omnibus dari admonitionem ad fidem, & sine ulla temeritate promittere omnes in baptismo, se fidem christianam conservaturos usque ad mortem: igitur

 & con-

& continere posse omnes, qui volunt, & recte ipsos hortari omnes ad continentiam, qui castitatem vovent. Nec licere excipere, discrimen esse inter fidem & continentiam, quod illa necessaria sit ad salutem, haec non item. Nam potissimam causam, cur votum castitatis temerarium asseratur ab aliis, non esse, quia continentia non sit res necessaria, sed quia res impossibilis, sine peculiari Dei dono, quod non omnibus detur: alioqui multa non necessaria voveri posse. Hoc autem solum *interesse fidem inter & continentiam*, quod, qui explorans vires suas, non iudicat se habere sufficientes vires ad continendum, potest nubere, quia continentia non est necessaria ad salutem; quamvis etiam possit procurare vires maiores per orationem: qui autem iudicat, se non habere sufficientes vires ad perseverandum in fide & lege Christi, ei propterea non relinqui libertatem non amplectendi fidem & legem Christi, sed *debere* vires maiores a Deo petere; easque illam sine dubio acceptturum esse, si fideliter petiverit. p. 180. 4. *Si continere non possunt omnes, qui volunt, sequi, multis hominibus, nullum peccatum esse, fornicari aut moechari*: nam si quis, antequam uxorem ducat, aut in ipso etiam coniugio, dum coniux aliquamdiu abest, gravissime urgeatur stimulis carnis, & donum continentiae forte non habeat, eiusmodi homini aut fornicandum esse, aut Deum pro continentiae dono orandum. Deum igitur non magis denegaturum voventi donum continentiae, quam illi, qui vel extra coniugium vivit, vel in coniugio a coniuge separatus esse cogitur. Et quamvis specialis promissio divina non extet de coelibatus perpetui dono concedendo, sufficere tamen *generalem*, Luc. 11, 9. & Ioh. 14, 13. 14. Alioquin enim, si requireretur particularis promissio, nec fides, nec spes, nec dilectio, nec continen-

tia

tia coniugalis, nec alia virtus peti posset: nusquam enim extare promissiones horum donorum in particulari. Porro *generales promissiones requirere quidem certas conditiones:* non enim, quod quisque petit, semper impetrat, cum saepe contingat, minus utilia & minus bona peti, quae Deum nullo modo dare conveniat: sed conditionem, quae requiritur, non esse, ut res, quae petitur, sit necessaria ad salutem, vel imperata, sed esse, ut id, quod petimus, *sit secundum eius voluntatem:* sic enim docere Iohannem I. epist. 5, 14. Non solum autem esse secundum eius voluntatem id, quod est necessarium ad salutem, sed etiam id, quod est utile, & utilius, quam eius oppositum; neque id solum, quod ipse imperavit, sed etiam quod consuluit & laudavit, & cui praemium maximum promisit; & tale quid esse coelibatur. Id. p. 180. 5. Verba Christi Matth. 19, 11. *Non omnes capiunt verbum hoc*, hunc habere sensum: Non omnes intelligunt practice, id est, non admittunt, non persuadentur, non approbant, quod dictum est, *Non expedit nubere.* Adeoque, etiamsi omnes non habeant potentiam proximam vivendi in coelibatu, habere tamen eos *potentiam remotam*, & posse, si velint, precibus impetrare potentiam proximam, id est, vires ad continendum, sicut de fide dicitur Ioh. 6, 44. *Nemo potest ad me venire, nisi Pater traxerit eum.* Id. p. 181. Quanquam vero concedi tandem queat, summam illam difficultatem, seu, ut vocant, impossibilitatem se continendi, a prima, ut Cotonus loquitur in Instit. Cathol. p. 529, hominum dispositione atque nequitia manare, quod videlicet laborem & contentionem nullam adhibere velint in cupiditatibus frangendis, in tentationum impetu & impressione cohibenda, in externis occasionibus vitandis, & in ieiunii, orationis, ac secessus remediis op-

portune adhibendis; tamen inter ipsos Pontificios non tantum viri graves ac pii, verum etiam Principes & Monarchae, ut Albertus Dux Bavariae, Ferdinandus & Maximilianus II. Impp. & Carolus IX. Rex Galliarum apud H. Müllerum p. 52 & Conringium in scriptis Wicelii Viae Regiae subiunctis p. 206. & seqq iudicarunt, saltem sacerdotibus secularibus restituendum vel permittendum esse matrimonium, neque ad votum admittendos, nisi homines aetatis provectioris. Videatur Cassandri Consultat. p. 990. Wicel. in Via Reg. p. 77. & apud Calixt. de Coni. Cleric. 459. August. Gibb. de Burgo 312. citati a Gerh. in C. C. 915. Clichtovaeus, Espensaeus, M. Ant. De Dominis apud H. Müllerum p. 55. Panormitanus, Polydorus Virgilius, & Aenaeas Sylvius apud Calixt. de Coni. Cleric. p. 82. Iuvaret etiam, admittere quidem eos, qui post sufficiens virium suarum examen monasteria ingredi volunt, ad votum coelibatus, sed neutiquam ad votum *perpetui* coelibatus, aut certe eos non constringere *iuramento*, quemadmodum Episcopi in Germania, etiam post legem coelibatus latam, teste Flacio in Catal. test. verit. p. 994. promissionem illam seu professionem & votum coelibatus expresse & solenniter ab ordinandis non exegerunt: ut adeo iis, qui postea continere se nequeunt, *liceret valedicere vitae monasticae*, & castum matrimonium praeferre impuro coelibatui, (quandoquidem, secundum Panormitanum, & S. Augustinum, *etiam post votum licet contrahere.* Wicel. in Via Reg. p. 79. Grot. ad Cassandri Consultat. p. 323. Concil. trid. Seff. 25. c. 19. p. 565. Phil Melanchth. tom. 4. Opp. 831.) ad eum modum, quo *Conventuales apud Lutheranos* castitatem iurato promittunt, at interim libertatem habent exeundi e monasterio, quandocunque ipsis ita videtur, modo id prius Praesuli indicaverint.

Vide

Vide Statuta coenobii B. Virginis magdeb. num 13. in Vulpii Magnific. parthenopol. p. 74.

* * *

De Consiliis perfectionis. NEc Christus, nec Apostoli, teste Gerhardo, praescripserunt in evangelio nova consilia perfectionis. Vbi supponit, Pontificios, asserentes consilia evangelica, pugnare *pro perfectione absoluta seu plena*, quae consistat in exercitio istorum consiliorum, & pro *superogatione meritorum* in talibus operibus. C. C. 894. Chemnit. part. 2. LL. theol. de Discrim. praecept. & consil. p. 102. Nempe quando dicunt, posse hominem aliquid *supererogare*, sensum esse, eum non tantum perfecta obedientia mandata Dei implere, verum etiam plura, praestantiora, sublimiora, & difficiliora bona opera praestare posse. Chemn. 105. Audiamus iam sententiam Pontificiorum: *Consilium perfectionis*, ait Bellarminus, *est opus bonum a Christo nobis non imperatus, sed demonstratum; non mandatum, sed commendatum.* Differt a praecepto *ex parte materiae, ex parte subiecti, ex parte formae, & ex parte finis. Ex parte materiae, quia materia praecepti est facilior, consilii difficilior; materia praecepti bona est, consilii melior & perfectior. Ex parte subiecti, quod praeceptum commune sit omnium, consilium non item. Ex parte formae, quod praeceptum vi sua obliget, consilium* in arbitrio hominis *sit positum. Ex parte finis, quod praeceptum observatum habet poenam; consilium autem, si non servetur, nullam habet poenam, & si servetur, maius habet praemium.* lib. de Monach. cap. 7. cumque multa sint consilia evangelica, *praecipue tamen tria* esse asserit, Continentiam, Obedientiam, & Paupertatem. c. seq, quae *ad monasticae professionis perfectionem* pertinere dicuntur in Concil. trid. Sess. 25. c. 1. p. 510. Quaenam vero sunt reliqua cum consilia, tum opera in evangelio, ut Pontificii sta-

tuunt, laudata, quaeque ad divinam gloriam spectant, neque tamen praecipiuntur? Quartum est de *inimicis diligendis*, quintum *excellentis mansvetudinis*, sextum *misericordiae seu beneficentiae*, septimum *simplicitatis in sermone*, octavum *singularis patientiae*, nonum *evitationis occasionum ad peccandum*, decimum *coniunctionis actionis cum doctrina*, undecimum *depositionis solicitudinis*, duodecimum *fraternae correctionis*. Cotonus p. 523. Sed totus eius contextus legendus est, ne videatur praecepta omnibus data Christianis, confundere cum consiliis. Negant enim Pontificii, 1. se facere *confusionem praeceptorum & consiliorum*. 2. se *simpliciter praeponere consilia praeceptis*. 3. *monachos novam sibi pietatem finxisse*, cuius meditatione sint omnibus perfectiores 4. eosdem promittere, se consilia evangelica servaturos *de non iurando, de inimicis diligendis, de non appetenda vindicta*: nam manifestum esse discrimen, quod ponant praecepta inter & consilia, *& haec praeceptis praeponi tantum secundum quid*, 1. comparando singula consilia non cuicunque praecepto, sed praeceptis illis, quae versantur circa eandem materiam. Sic perfectius esse vendere omnia, & dare pauperibus, quam non furari. 2. comparando non consilia cum cum praeceptis, sed statum hominum servantium praecepta & consilia cum statu eorum, qui sola observant praecepta. Hinc Dominum dixisse affirmanti, se servasse omnia praecepta: *Si vis perfectus esse, vende omnia, quae habes, & da pauperibus.* 3. comparando consilia cum quolibet praecepto, etiam cum illo: *Diliges Dominum Deum tuum;* sed considerando in consiliis non opera externa consiliorum, sed caritatem, quam praesupponunt, & ad quam ducunt. Illo enim praecepto, *diliges Dominum Deum tuum*, non praecipi caritatem infinitam, sed certum quendam gradum, nimirum

mirum tantam caritatem, ut per eam nihil Deo aeques, vel anteponas. At maiorem gradum caritatis requiri, ut propter Deum renuncies omnibus opibus, & voluptatibus alioqui licitis; quin docere se cum B. Thoma & Gersone, *perfectionem* essentialiter consistere in obseruatione praeceptorum, *instrumentaliter in obseruatione consiliorum*, seu praecepta novae legis dari de his, quae sunt necessaria ad consequendum finem aeternae beatitudinis, *consilia de illis, per quae melius & expeditius homo finem consequi potest*: Monachos nihil novi finxisse; quum omnibus suis votis nihil aliud cupiant, *quam perfici in caritate*: atque *ista de non iurando, de inimicis diligendis, de non oppetenda vindicta, ad praecepta* pertinere, non vero, prout ita nude posita sunt, ad consilia. Bellarm. l. de Monach. c. 6. Ipsa etiam *consilia evangelia in praeceptis caritatis* erga Deum & proximum continentur, ut docet Estius in Comment. in lib. 3. Sentent. dist. 37. p. 125. Hoc amplius negant perfectionem absolutam: Nam *perfectio viae*, (verba haec sunt Estii) *quae competit nobis hominibus*, multum vitiorum atque defectuum habet admixtum, *ideoque nec secundum statum viatoris absolute perfecta est, quantumcunque aliquis, dum est in hoc statu, profecerit*. In libri 2. dist. 5. p. 40. Ad eundem modum Cardinalis Sortia Pallavicinus in libello italico, quem vocat *Artem perfectionis christianae*, quaerens, quaenam sit illa similitudo inter perfectionem Patris coelestis, & eam, ad quam ab ipsius Filio excitamur, respondet: *Ecce, sicut ille tam est perfectus, quam esse potest, & quantum convenit suae essentiae divinae, ita etiam nos debemus operam dare, ut evadamus perfecti*, quantum fieri potest per gratiam, a Deo nobis concessam, *& secundum eam mensuram, qua naturae divinae redditi sumus participes*. Vnicuique nostrum data est gratia secun-

ſecundum menſuram donationis Chriſti. — *Viterius datur* perfectio generalis & poſſibilis *omnibus differentiis licitarum profeſſionum, ſecundum quam dicitur, quod* Monaſterium *ſit* ſchola perfectionis, *& Epiſcopatus ſit ſtatus perfectionis. Vnde a Religioſo non requiritur, ut ille iam pervenerit ad hanc perfectionem, ſed ut ad eam adſpiret & contendat ductu Regulae ſuae, ſuorumque ſpiritualium Magiſtrorum, cum e contrario Epiſcopus, quoniam eius eſt, perfectionem docere alios, debeat illam ipſe habere ac poſſidere.* lib. 3. cap. ult. *Opera ſupererogationis* autem vocant, quae, ut Cotonus loquitur, non ſunt imperata, quibusque faciundis nemo niſi *ſuo arbitrio* adſtringitur, quaeque *ex maxima voluntatis libertate* & electione promanant. p. 121. *Neque ſic dicuntur, quod aliquid ſupra finem mandatis Chriſti praeſcriptum praeſtent, ſed quod ad finem illum conſequendum*, peculiarem quandam & expeditiorem viam *ingrediantur*, ait Caſſander in Conſult. p. 1007. & in praecedente pag. citat Chriſtianum Druitmarum, virum eruditiſſimum, quod de praeceptis monachorum & operibus ſupererogationis, ut vocantur, ita differat, ut dicat, ea omnia *tandere ad cuſtodiendam regulam Chriſti.* Vide Grot. ad Caſſandri Conſultat. p. 331. Et M. Ant. De Dominis dicit, *valde improprie* ea *vocari ſupererogatoria*, cum, quatenus ſunt ſuo modo, hoc eſt, *improprie meritoria*, omnia pro ipſo operante recipiant mercedem a Deo promiſſam, & nunquam tanta, quin eorum beneficio operans indigeat pro ſe ipſe, & pro ſe ipſe illis fruatur: *neque* ſuae religionis theologos opera haec ſupererogationis, ut meritorum ſunt, *aliis prodeſſe* aut praetendere aut aſſerere, niſi qui deſipiant nimium. l. 7. de Rep. Eccl c. 11. n. 261. Nempe, an opera ſupererogationis aliis etiam proſint, & applicari queant? *quaeſtio eſt ſcholaſtica*, minime vero articulus fidei Eccleſiae ro-

manae

manae, ut docet Veron. in R. F. C. c. 2. §. 1. n. 3. & auctor Compendii Veron. p. 26. Vbi etiam notandum, quod Veronius in num. praeced. scriptum reliquit, videlicet *Catholicos non ponere perfectionem in ieiuniis, coelibatu, votis monasticis &c. & non in charitate.* Cum igitur consilia evangelica, ex mente Romanensium, non inferant perfectionem absolutam, nec se efferant supra Dei legem seu praecepta, nec excedant liberum hominis arbitrium, nec nisi improprie & suo modo supererogatoria vocentur, quivis prudens perspiciet, facile hanc controversiam componi & cessare posse. Audiamus iudicia Chemnitii, Gerhardi, & Fabricii, parentis mei. *Si ita traderetur*, ait Chemnitius, (videlicet secundum Thomam, Gersonem, & Anshelmum) *doctrina de externis illis exercitiis, utcunque tolerari posset, scilicet, quod* per se non sint cultus vel merita, multo minus supra praecepta, *seu perfectio; sed pro diversitate donorum suscipi*, ut liberius & expeditius *iis, quae ad veram pietatem pertinent, vacari posset.* l. c. p. 103. Gerhardus his Chemnitii verbis a se citatis praemittit sequentia: *Si* (Pontificii) *consilia definirent* opera indifferentia, *quae pro ratione circumstantiarum bona vel mala, ac permitterent ea* cuiusque arbitrio, *non negaremus, dari quaedam consilia.* C. C. 894. *Quod attinet consilia evangelica*, (scribit Fabricius in Syst. theol.) *si ipsorum observatio non dicatur ipsa esse perfectio* (*hoc enim diminueret quid de perfectione legis*) *sed* perfectionis pararia, *tanquam instrumentum vel causa removens prohibentia a perfectione, possint & ipsa, iudicante ita Chemnitio, utcunque tolerari.* p. 421. Adde PerKinsi Cathol. Reformat. p. 195. At enim vero plane sic traditur doctrina de consiliis evangelicis, ut supra audivimus, & apud alios quoque scriptores ecclesiae rom. legi & cognosci potest.

* * *

De Primatu Pontificis romani.

Controversiam de primatu Pontificis romani, quam omnium primam vocat G. Calixtus in Resp. ad Theologorum moguntinorum Vindicias num. 138. nos ultimo iam loco tractamus, ac ponimus thesin istam Gerhardi: Pontifex rom. de iure divino non habet monarchicam potestatem in universam Ecclesiam. C. C. 564. Vbi non est in quaestione, 1. an Episcopis romanis, ob urbis celebritatem & antiquae fidei puritatem, primatus honoris & ordinis, inter sedes patriarchales, olim concessus fuerit. Gerh. ibid. Hülsem. Brev. auct. c. 22. th. 18. Fabricius Syst. theol. 441. 2. an Pontifex rom. in quasdam ecclesias, tanquam filias suas, habeat iurisdictionem & potestatem. Fabricius ibid. 3. an nos etiam velimus ipsi permittere superioritatem in Episcopos, quam alioquin habet iure humano, dummodo evangelium admitteret. De quo vide Chytraei Hist. Aug. conf. 280. 304. 310. 312. Melanchth. in subscript. Articul. smalcald. p. 338. & T. 4. Opp. p. 825. Vrb. Rheg. part. 3. Opp. lat. p. 9. I. Rivium de Abus. eccl. sub finem Locor. theol. Chemnitii p. 58. G. Calixtum in Considerat. & Epicrisi Colloquii thorun. §. 56. Quamvis enim Melanchthonis iudicium & subscriptionem elevare ac evertere nonnulli laborent, prudentiores tamen & ab affectuum perturbatione liberi iudicabunt, an verba ista Philippi Articulis smalcaldicis subscripta, & in tot Ecclesiarum libris symbolicis exstantia, auctoritatem & consensum publicum, vel quasi, non consecuta sint. Vide Carpzovii Isag. in lib. symbol. 894. Hildebr. Theol. dogm. 9:4. & Amoenit. nostras theol. 571. Sed hoc est in quaestione, an Pontifici romano *iure divino competat iurisdictio & potestas summa & absoluta in universam Ecclesiam christianam* per totum orbem dispersam, adeoque etiam

am *in reliquos Patriarchas*, ita ut sit universalis ecclesiae princeps, & absolutus monarcha, religionis & dogmatum *etiam extra concilium universale infallibilis iudex*, omnes, qui in ecclesia sunt, libere iudicans, ipse *a nemine*, ne dum a concilio generali, *iudicandus*, qui solus habeat ius *convocandi aut confirmandi concilia*, ac *ordinandi deponendique quosvis Episcopos*, & *cui appellationes universae ecclesiae*, iure divino competant, quin *Imperatoribus & Regibus* superior, ac *potestatem habens in eos eorumque bona*, sive directam, sive indirectam, ex qua etiam eos, si velit, atque ita videatur, *possit deponere*, eorumque *subditos a fide & observantia*, post factam dominorum depositionem, absolvere. Haec enim omnia comprehenduntur sub primatu Papae, si audimus Confess. aug. art. 7. de Abus. & Apol. eiusdem articuli, Articulos smalcald. de Papatu, item auctorem (qui est Phil. Melanchthon, docentibus Carpzovio Isag. 90. & Titio Ostens. summar. 37.) tractatus in Articulis smalcald. de Potestate & primatu Papae p. 340, Carpzov. in Isag. 737. 813. 905 Gerh. C. C. 565. 77. G. Calixti Digress. de Arte nova 324. Compellat. ad Acad. colon. & Iterat. compellat. p. 307 Responsum ad Vindic Mogunt. n. 97. 127. item Responsi part. alter. n. 2. Acta ipsum inter & Ser. Landgravium Hassiae Ernestum p. 184. & Consid. colloquii torun. n. 50. Titii Ostens. summar. p. 32. Castigat. Animadvers. Erberm. p. 40. & Tractat. de Phrasibus vet. eccl. Dd. c. 4. p. 39. Fabricii Syst. theol. 442. 455. Hülsem. Brev. auct. §. 17. Et sane haec non tantum Pontifices quidam affectarunt, cumprimis Gregorius VII. antea dictus Hildebrandus, sed & gnathones, quos G. Calixtus, ut pag. 241 observavimus, vocat *hildebrandicos*, Wicelius *neotericos* & *scholasticos*, Cassander *pseudocatholicos* & *papistas*, Du Pin *theologos romanae*

curiae placitis nimium additos, ei tribuerunt, tribuuntque. Verum talia pro credendis & articulis fidei minime habenda sunt, cum in Concilio trident. altum de iis sit silentium, & tantum dicatur, decreta de reformatione morum atque ecclesiastica disciplina, ita intelligenda esse, *ut salva semper maneat auctoritas sedis apostolicae*: quae verba sanum possunt habere sensum. Sess. VII de Reform. in initio, & Sess. XXV. c. 21. de Reform. Neque etiam aliud habet Professio fid. trid. quam hoc, *sanctam, catholicam, & apostolicam romanam Ecclesiam, omnium ecclesiarum matrem & magistram agnoscendam, romanoque Pontifici, beati Petri, Apostolorum principis, successori, ac Iesu Christi vicario, veram obedientiam spondendam & iurandam esse.* Quod sumtum est ex Conc. trid. Sess. VII. de Bapt. can. 3. Sess. XIV. c. 3. de Extr. unct. Sess. XXII. c. 8. de Sacrif. missae, & Sess. XXV. de Delectu ciborum, ieiuniis & dieb. fest. p. 627. Explicatius autem in Concilii florent. decreto IV. quod hoc est: *Definimus, S. apostolicam Sedem & rom. Pontificem* in universum orbem tenere primatum, *& ipsum Pontificem rom. successorem esse B. Petri, principis Apostolorum, & verum Christi vicarium, totiusque ecclesiae caput & omnium Christianorum patrem & doctorem existere, & ipsi in B. Petro*, pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam, *a Christo plenam potestatem traditam esse* (quod secundum doctrinam Du Pin in Hist eccl. disc. ita intelligendum, quod Papa curam gerat ecclesiae universae, sed *distributim*, non collectim sumtae, p. 428. seu quod, propter amplitudinem sedis, habeat quandam super universam ecclesiam inspectionem, sed tantum, ut canones ubique observari procuret. Et sic aliquo modo dici posse *universae ecclesiae oeconomum.* p. 423.) *quemadmodum etiam in gestis oecumenicorum conciliorum & in sacris canonibus continetur.* Hoc ergo

ergo, ait Veronius, est de fide, quia propositum est a Concilio universali, in quo Graeci & Latini consederunt, & exactissime potestas haec fuit, a Graecis praesertim, discussa: sed nihil aliud est de fide. Itaque de fide non est, 1) Papam docentem aliquid *in concilio particulari*, *aut synodo provinciali*, dum extra universale concilium docet, esse iudicem supremum controversiarum fidei, aut esse infallibilem; aut, quod sic forte definitur, esse de fide catholica, nisi aliunde constet de sensu totius ecclesiae. 2) *Esse supra concilium universale.* 3) Habere *indirectam in regna temporalia potestatem*, ita ut, in ordine ad bonum spirituale, ea uni auferre, & alteri conferre possit. Veron. R. F. C. c. 2. §. 15. 16. autor Comp. Veron. 129. autor Defens. eccles. c. 5. & in Act. erud. A. 1690. p. 22. Caeterum Walenburchii profitentur, *Christum I. esse caput ecclesiae, qui solus per internum gratiae influxum eam regat, nec in hoc vicarium agnoscat; vocari autem Papam* caput ecclesiae, *in quantum eius pastor & rector a Christo constitutus sit.* T. 2. p. 7. *Sufficit*, inquit Bossuetus, (& hanc Episcopi explicationem approbat eminentissimus cardinalis, Sigism. Chigi, in epistola, quae aliis testimoniis gallicanae editionis inserta est, p. 53. immo ipse Papa, p. 64. 85.) *agnoscere* caput & pastorem a Deo constitutum, *ut gregem omnem in vias eius dirigat: ea vero de quibus in scholis quaeri* (e. g. de infallibilitate & temporali potestate Pontificis, ut indicat Pacificus Lugenfeind in Discuss. Iur. fecial. div. pufendorfiani p. 22.) *omnes norunt, hic commemorare nihil attinet, cum e fide catholica non sint.* c. 21 p. 112. Adde Le Févre p. 66. Volus. 53. 54. Ex professo autem, modesteque & candide materiam hanc tractavit Lud. Ellies Du Pin in Hist. discipl. eccles. & quidem dissert IV. V. VI. VII. ostendens, & ante & post concilium trid. graves & corda-

tos fuisse scriptores & doctores, qui excessivae isti & supra modum pontificiae doctrinae contradixerint, e. g. Gersonem, Petrum de Alliaco, Almainum, Iohannem Maiorem, Richerium, Vigorium, Ioh. Launoium, Petrum de Marca, autorem libri de Antiquis & maioribus Episcoporum caussis, Gerbasium, & hodie communiter contradicere Theogos gallicanae ecclesiae, (quos G. Calixtus in Resp. ad Vindic. Moguntin. n. 136. appellat *politice-catholicos*) docentes, *in Ecclesia iure divino esse quandam monarchiam*, h. e. in ea primum esse romanum Pontificem; attamen Christum immediate ac per se *claves toti Ecclesiae collectim sumtae dedisse*, & subiectum, ut loquuntur, immediatum potestatis ecclesiasticae non esse Papam aut Praelatos, sed totam Ecclesiam, ita tamen, *ut per Praelatos ius clavium exerceatur*, non per solum Pontificem, licet hic primus sit inter eos, qui ius illud illud habent; atque hinc *statum ecclesiae monarchicum esse*, *regimen aristocratcum*, seu ecclesiam monarchiam esse aristocratico regimine temperatam. Et romani quidem Pontificis primatum esse ideo de iure divino, quia *Petrus a Christo collegii apostolici primus sit institutus*, & hinc non modo primo collocetur ordine, ut Luc. 6, 14. sed & *primus* expresse dicatur Matth. 10, 2 Mar. 3, 16. (pag. 311. non autem recte probari S. Petri primatum ex Math. 16, 18. 19. & Ioh. 21, 17. pag. 304. 310.) eo consilio, ut ad huius rei exemplum semper Ecclesia primum aliquem agnosceret Episcopum. Cum ergo constet, romanum Pontificem omnium primum semper habitum fuisse, haud dubium esse, quin ad eum ille primatus iure successionis pervenerit: distinguendam interim esse *successionem romani Pontificis*, & *rationem successionis*, illam esse ex Christi instituto, hanc non item, id est, ex instituto Christi esse, aliquem esse primum in ecclesia

clesia, at romanae urbis Episcopum esse primum, non esse ex instituto Christi, sed ex facto Petri, & ecclesiae consensione, sicut, Episcopos esse in Ecclesia, sit ex iure divino & instituto Christi: verum licet non sit de iure divino, rom. Pontificem, qua romanus est, esse primum, *de iure tamen divino esse*, *eum esse primum*, *quatenus succedit Petro*, ut enim dicatur iure divino primus, sufficere, ut habeatur successor Petri, cum ipsa successio in primatu S. Petri, cuicunque tandem Episcopo competat, sit de iure divino, utpote cum in Ecclesia debeat semper *aliquis ordo servari*, ut a Christo institutum est: igitur dato, quod romanus Pontifex sit nunc, fueritque semper habitus successor Petri in primatu, neminem negare debere, dici posse, ipsum iure divino primatum habere; & licet negaretur, romanum Pontificem Petro in episcopatu succedere, negari tamen non posse, eum succedete in primatu. Si autem quaeratur, cur potissimum romana ecclesia sit electa, quae primatum obtineret, responderi posse, id factum, *quia romana urbs erat prima*, nec aliam congruentiorem rationem videri dari posse. Caeterum *plura in romano Pontifice distinguenda esse*, 1. quod sit primus episcoporum. 2. quod sit metropolitanus & patriarcha. 3. quod aliquas habeat praerogativas, & aliqua iura sibi peculiariter concessa. 4. quod habeat potestatem temporalem in patrimonium S. Petri. Primum habere eum, ut iam dictum est, praesertim ex instituto Christi; secundum & tertium ex consuetudine & canonibus, ob urbis & ecclesiae dignitatem; quartum ex donatione Pipini & Caroli magni, partim iure gentium & praescriptionis, more aliorum Principum politicorum. Ex hoc primatu rom. Pontificis fluere multas praerogativas, quae ipsi non secus, ac primatui, iure divino competant, ut 1. Curam habere,

re, *ut per universum orbem canones observentur*, utque fides illibata custodiatur. 2. *Ad concilium generale Episcopos convocare posse*, (quod quidem etiam interdum fecerint Imperatores, sed ad preces rom. Pontificum) atque in eos, si legitime vocati adesse renuerint, velut in ecclesiae desertores, *excommunicationis ferre sententiam.* 3 Licet rom. Pontificis *definitiones de fide & moribus*, non sint omnino infallibiles, esse tamen magni apud omnes momenti, & universam spectare ecclesiam. 4 Quamvis rom. Pontifex non sit solus omnium controversiarum iudex, esse tamen *eius praecipuas in iudicando partes*, nec quidquam in ecclesia magni momenti definiri par esse, quod non ad ipsum referatur, vel de quo non consulatur. 5. Rom. Pontificem *a legibus, etiam a Conciliis generalibus latis, sapienter dispensare posse* eo in casu, quo Concilium ipsum dispensaret, eumque leges generales posse condere, & toti ecclesiae observandas proponere, sed quae non habeant vim, nisi sint promulgatae & receptae communi omnium consensu. 6. *πρωτοδρίαι in Conciliis* seu *primum locum*, ipsi quidem ex convenientia deberi, sed non ex necessitate, quandoquidem primis tribus conciliis generalibus non praefuerit. Negant autem, eum *esse supra Concilia*, aut *a nemine iudicari posse*: negant, eum *ius ordinationum habuisse extra patriarchatus sui limites*, & esse *infallibilem*: negant, eum ius habere *deponendorum Regum*, & *subiectorum a sacramento fidei* absolvendorum, *regnorumque* aut transferendorum, aut cuilibet occupanti tradendorum: negant, *solum Papam posse deponere Episcopos*, & *convocare Concilia*, ac *necesse esse ab ipso illa confirmari*, ut robur habeant. p. 333. negant denique, *causas maiores Episcoporum diiudicandas* a solo Papa, ad eumque pertinere *appellationes*. p. 96. & Papam, vel etiam Ecclesiam, *novos posse condere articulos fidei*: nam illud

illud omne & solum est de fide catholica, quod est revelatum in verbo Dei, & propositum omnibus ab ecclesia catholica, fide divina credendum. Videantur Veronius R. F. C. c. 1. §. 1. autor Comp Veron. p. 14. Walenburchii T. 1. 616. & T. 2. p. 1. 121. 122. 157. Bossuet D. C. E. c. 19. p. 100. Le Févre p. 254. Legi etiam merentur, quae proponuntur in Discussione Apologetici rivetiani, & allegata extant in Gesselii Hist. sacrae parte 2. p. 822. ubi ostenditur, Papae omnipotentiam & in Ecclesia & in Imperii rebus, nec genuinis ecclesiae rom. filiis, nec ipsis etiam Papis, qui modestiae laude sunt conspicui, nec limites sui muneris transsiliunt, probari. Adde M. Anton. De Dominis, qui lib. 7. de Rep. eccles. c. 11. n. 4. ostendit, *controversiam de papatu, quae mere practica est, iam factam esse speculativam.* Et inter alia ait: *Quodsi controversiam hanc discuti romani Pontifices in conciliis legitimis aliquando voluissent aut vellent, plenam definitionem contra se audissent, vel audirent.* Cum ergo haec omnia, quae tantopere improbantur nostratibus, removeant a primatu Pontificis romani, totius (at quam vasti, quamque florentis!) regni gallicani aliarumque etiam provinciarum theologi moderatiores, atque adeo partes nostras ipsimet defendant, quid quaeso remanet tandem in hac materia controversi? Nihil ferme nisi hoc, *primatum romani Pontificis esse de iure divino.* Quod si intelligitur *de primatu honoris & ordinis ratione successionis in sede apostolica*, (ut hactenus explicuit Du Pin) eo minus habebit difficultatis, quo certius est 1. ex dictis scripturae supra allegatis, S. Petrum primo inter Apostolos, ubi enumerantur, loco commemorari, & *primum* expresse appellari, ratione ordinis & dignitatis, ut Ioh. Olearius & Theodoric. Hackspan. in Annot. ad Matth. 10, 2. praeter Du Pinium p. 312. explicant. 2. Deum esse amatorem ordi-

ordinis, & directionis, quae fit secundum ordinem, & ad eius conservationem; atque adeo, quicquid ad conservandum bonum ordinem & confusionem evitandam facit, suo modo ad ius divinum reduci, & inde denominationem accipere prosse. Vide Gregor. naz. orat. 26. T. I. opp. 448. Du Pin 311. Le Févre 255. & Amoenit. nostras theol. 571. Antequam vero colophon huic disputationi imponatur, duorum praestantium virorum iudicia in medium afferam, suavem moderationem & moderatam suavitatem redolentia. Primum est Phil. Melanchthonis, viri encomio nostro maioris: *Concedunt nostri*, ait ille in Consil. Regi Galliarum dato, *politiam ecclesiasticam rem licitam esse, quod videlicet sint aliqui Episcopi, qui praesint pluribus ecclesiis: item quod romanus Pontifex praeest omnibus Episcopis. Hanc canonicam politiam, ut ego existimo, nemo prudens improbat, neque improbare debet, si intra fines suos maneat, h.e. Pontifex & Episcopi non abutantur auctoritate sua, ad opprimendum doctrinam. Quare quod ad hunc articulum attinet de Superioritate pontificia, & de Episcoporum toritate, non est dissensio, & facile possunt retinere auctoritatem suam rom. Pontifex & caeteri Episcopi. Opus est enim in ecclesia gubernatoribus, qui vocatos ad ministeria ecclesiastica explorent & ordinent, & iudicia ecclesiastica exerceant, & inspiciant doctrinam sacerdotum. Et ut maxime nulli essent Episcopi, tamen creari tales oportet. Tantum optamus, ut hi, qui nunc sunt Episcopi, inspiciant doctrinam, & sanam doctrinam curent in ecclesiis sibi commissis fideliter tradi. Hoc si facerent, nemo deberet obedientiam recusare.* Prodesset etiam, *meo iudicio, illa monarchia rom. Pontificis ad hoc, ut doctrinae consensus retineretur in multis nationibus. Quare facile potest constitui concordia in hoc articulo de superioritate Episcoporum, si de caeteris articulis conveniri poterit.* Tom. IV. Oper. pag. 825.

Alte-

Alterum est Petri Iurieu, Ministri sedanensis, sic scribentis: *Interim, modo evitentur duo haec extrema, tyrannis & anarchia, affirmari potest, nullam regiminis ecclesiastici speciem intentioni Dei esse contrariam, ita ut illa non possit praecise institui & exerceri, quam hoc modo.* Et post aliquot paginas: *De reliquo*, inquit ille, *sive haec autoritas sit in manibus unius aut plurium, sive hoc regimen sit monarchicum, aut democraticum, vel aristocraticum, nihil interest: omnia illa sunt ex intentione Dei, & secundum suae ordinem providentiae.* In tract. de Potest. eccles. epist. 2. p. 84. prout citat Le Févre p. 269. Quibus adde, quod pacifici quidam Protestantes in epist. ad Clerum gallicanum statuant, *magnum etiam illum articulum* de Potestate Pontificis, *obstaculo non futurum, abiudicata ei iam publice a Gallis infallibilitate, & asserta Concilii supra eum auctoritate.* In Actis Erudit. A. 1685. p. 507. Denique supersedemus respondere argumentis, quae pro *infallibilitate* Pontificis, pro *superioritate eius supra Concilia*, & pro *potestate eiusdem in Reges eorumque regna* afferri solent, cum iis abunde satisfactum sit a laudato Du Pin, & quidem primi generis argumentis, p. 366. secundi, p. 421. tertii, p. 479. *Ardentibus* autem *votis* (ut cordati ac pii Erasmi verbis, quae habet in Annotat. in Matth. 11, 30. p. 339, controversiam hanc obsignem) *assidue pulsandus est Christus, ut suis vicariis mentem inspiret loco dignam, ut omisso suae gloriae, suae voluptatis, sui lucri studio*, studeant gloriae lucroque Christi, *malintque Christum late regnare legibus evangelicis, quam se in angusto tyrannidem obtinere decretis humanis.* Immo faxit Deus opt. max. ut tota haec Controversiarum pontificiarum tractatio, quae studio veritatis & sincero pacis amore a nobis suscepta est, pacem & concordiam Ecclesiarum misere scissarum aliquo modo promoveat, & Magistratus christiani,

Nnn 2 missis

miſſis compoſitisque ſaeviſſimis ac pernicioſiſſimis bellis, curam & ſtudium ſuum in ſalutari iſto collocent opere, quo contentionibus, odiis, pugnis, condemnationibus, & perſecutionibus finis tandem imponatur, Eccleſiarumque doctores & antiſtites φιλονεικίαν καὶ φιλαρχίαν, id eſt, *contendendi ac dominandi libidinem* deponant, neque in ſe quidquam deſiderari patiantur, quo in Eccleſias pax & concordia, qua nihil ſuavius, nihil incundius, nihil chriſtianae religioni convenientius, poſſit reduci, firmiterque ſtabitiri.

Romanam eccleſiam, omnium eccleſiarum matrem & magiſtram agnoſcendam] Hoc praedicatum ei tribuitur in Concilii trid. locis p. 452. a nobis citatis ſed impugnatur a Georgio Calixto in Actis ſereniſſimi Erneſti p. 123.

Negant eum ius habere deponendorum Regum, & ſubiectorum *a ſacramento fidei abſolvendorum*, regnorumque *aut transferendorum, aut cuilibet occupanti tradendorum*] Negat etiam P. Petrus Wittfelt, S. I. in Reſp. molli contra Wilh. Hülſium, p. 69. 70. 71. & quidem hanc ob cauſam, quod dogmata iſta non ſint Eccleſiae, ſed hominum particularium.

Iudicia eruditorum de Pontificiis. NIhil igitur iam ſupereſt, quam ut, pro methodi noſtrae modo ac ratione, indicemus eruditorum de Pontificiis iudicia, & libros, qui contra illos ſunt ſcripti ac publicati. Hic autem Proteſtantes, ne vel in exceſſu, vel in defectu peccarent, inde usque ab initio reformationis ſolicite diſtinxerunt, atque hodienum diſtinguunt inter *curiam & eccleſiam romanam*, ſeu, quod idem eſt, inter *papatum & coetum fidelium*, qui in medio etiam papatu collectus fuit olim, hodieque colligitur, docentes, fuiſſe & eſſe in papatu, qui doctrinae chriſtianae e capitibus catecheſeos hauſtae aſſentientes, atque in Chriſtum credentes, fideique ſuae ſacramentorum, in quan-

quantum haberi possunt, usum, & pietatem vitae coniungentes, ad salutem aeternam pervenerint, atque perveniant. Hoc discrimine observato, dicit Confessio augustana in praefat. p. 5. *quod omnes* (in utraque parte dissidentes) *sub uno Christo simus & militemus*; & in epilogo art. 21. p. 19. quod *nostra doctrina non discrepet a scripturis, vel ab ecclesia catholica, vel ab ecclesia romana, quatenus ex scriptoribus nota est*; Apologia Aug. conf art de Iustificat. p. 141 & 236. quod *non statim censendum sit, Romanam ecclesiam sentire, quicquid Papa aut Cardinales, aut Episcopi, aut theologi quidam, aut monachi probant*; & p. 142. quod *manserit apud aliquos pios semper cognitio Christi*; p 277. 281. quod *non accusemus omnes: arbitrari enim nos, passim aliquos viros bonos in monasteriis esse, qui de humanis cultibus & factitiis moderate sentiant, nec probent saevitiam, quam exercent hypocritae apud ipsos.* Lutherus tom. 4. ien. germ. p. 310. quod *sub papatu multum boni christiani; immo omne bonum christianum sit.* Similia habet tom. 6. p. 92. Et tomo 7. p. 171 *quod eos*, qui secum confitentur, Christum a Patre esse missum, ut morte nos ei reconciliaret, & gratiam nobis acquireret, agnoscat *pro caris suis fratribus, & membris christianae ecclesiae*; Phil. Melanchthon in Repetit. Aug. conf. c. de Ecclesia, p. 603 libror. normal. noriberg. *quod fuerint, sint, & futuri sint ecclesia Dei, homines retinentes fundamentum, etiamsi alii plus, alii minus lucis habuerint, habeant, & habituri sint.* Et in Consil. de moder. controv. tom. 4. p. 832. quod *facilis sit diiudicatio omnium controversiarum; tantum articulum de Missa habere aliquid difficultatis: sed tamen sperare se, inter bonos & pios de omnibus conveniri posse*; Wicelius in V. R. p. 30. quod distinguendum sit *inter ecclesiasticos & scholasticos, inter palaeotericos & neotericos*; Cassander de Offic. pii viri p. 92.

 quod

quod inter Romano-Catholicos *alii sint* pseudocatholici *&* papistae, *qui Pontificem romanum tantum non Deum faciunt, eiusque auctoritatem non modo supra totam ecclesiam, sed supra ipsam scripturam divinam efferunt, & sententiam eius divinis oraculis parem, imo infallibilem fidei regulam constituunt; alii tales*, *qui* suae parti ex animo non addicti, *quicquid rectum & catholicae fidei & observationi consentaneum est, amplectuntur; quae vero his contraria, & modum mediumque (ut in contentionibus fit) excedentia deprehenduntur, declinantes, veram, sinceram & divinis literis, catholicaeque ecclesiae traditioni congruentem pacem & concordiam omnibus votis exoptant, & ad eam conciliandam omnem suam operam & studium conferre parati sunt.* Quodque de retentione fundamenti dictum est, de eo plura reperiri & legi possunt apud Aeg. Hunnium tom. I. oper. p. 1268. & seq. Leonh. Hutterum L. de Eccl. p. 529. I. Gerhardum L. de Eccles. §. 166. 177. Hülsem. Brev. auct. c. 17. th. 17. & Scherzerum in Annotat. p. 1255. Calov. in Syncret. 338. G. Calixtum in Appar. theol. §. 76. in Refutat. Welleri, Mm, S. Cathol. & apostol. eccles. eiusque oecumen. concil. Symbol. & confess. Welleri ac Hülsemanni Refutationi subiunctis lit. F, in Epicr. in Colloq. thorun. §. 3. 4. 9. 18. in Digress. de Arte nova, 289. 309. 318. in Actis ser. Landgr. Ernesti, 90. F. V. Calixtum in Demonstr. liquidiss. 178. & Resp. ad Thes. antisyncret. 104. Titium de Phras. vet. eccl. Dd. in praef. & p. 104. Ioach. Hildebrandum in Theol. dogmat. c. 22. §. 17. I. Fabricium in Syst. theol. 446. I. Conr. Dürrium in disp. de Haeret. §. 92. 96. & Isag. in lib. norm. norib. 67. 89. 90. 142. I. Wolfg. Textorem in tract. de Vera & var. rat. status Germ. mod. p. 666. I. Brunnem. in Iure eccles. 120. & ad h. l. illustrem Stryckium p. 152. Sam. L. B. De Pufendorf in I. F. D. 48. Matth. Bochartum in Diallact. 77. Ioh. Dal-

Dallaeum in tract. de Fide in script. fundata, apud Bossuet. D. C. E c. 2. p. 4 Mos. Amyraldum in Apol. p. 9. Ios. Castim in Manud in viam pac. eccles. 124. immo etiam ipsum Ruarum Epist. Part. 1. p. 9. Neque forte ingratum erit lectoribus, si clarissimi, & candido moderatissimoque Titio nostro in l. c. insigniter & pro merito laudati Dürrii, professoris altorfini, meique olim praeceptoris, ac postea in professionis sacrae munere praecessoris, hac de re epistolam hactenus ineditam communicavero. Illa autem ad M. F. anno 1669. d. 15. Martii perscripta, sic se habet:

Magnifice &c. *I. C. Dürrii episto-la.*

Domine & Patrone obsequiose colende.

Gravi non minus & pio, quam oppido jucundo colloquio, quod ante paucos dies mihi indulsisti, tantum pristinae tuae erga me benevolentiae pondus addidisti, ut, quam primum a te discederem, statim in animum induxerim, per epistolam pertexere coeptam sermonis telam, cujus multa pars erat ardua, & quae hodie inter disceptantium calamos & linguas acerrime agitatur, controversia: *Virum Pontificii per errores suos & corruptelas*, a quarum servitute nos Dei & majorum nostrorum beneficio conscientias integras & incolumes gerimus, *fundamentum fidei*, ut loquimur, *evertant*? Liceat ergo, quaeso, bona cum tua pace rem istam difficilem altius repetere, & amussitato tuo iudicio considerandam subiicere.

Principio, ut omnis ambiguitatibus via intercludatur, levato velo rem agam, &, cum terminus iste complexus, *fundamentum fidei*, homonymiae sit obnoxius, & non tantum *fundamentum* sit vocabulum metaphoricum, sed & *fides* accipiatur iam pro fide miraculosa, iam pro historica, vel generali, potissimum vero pro fide promissionum, quae significatio propria est articulo redemptionis & iustificationis seu reconciliationis, quod praeclare observavit Chemnitius in opere incomparabili Exam. parte 1. p. 159 & cum porro iunctim sumtae istae voces, varias obtineant significationes, quas ex nostratibus collegi ante hos annos quinque in Distinctionibus theologi-

logicis hackspanianis, p. 193. impraesentiarum per *fundamentum fidei* intelliguntur dogmata religionis christianae, quorum vel notitia vel praxis praescripta, ex ordinatione & voluntate divina, omni homini salutem aeternam consequi cupienti necessaria est. Dico signate & de industria, *vel notitia vel praxis*, ut innuam, fundamentum fidei vel articulos fidei (hactenus enim hi duo termini ἰσοδυναμοῦντες sunto) a nostratibus dupliciter explicari & accipi, (1) pro sola notitia dogmatum, essentiam Dei & opera ejus gratiosa concernentium: quo respectu non tantum vet. ecclesiae Doctores & eos secuti Scholastici, (quorum sententiae ab aliis collectae sunt) sed etiam multi nostratium iam dudum docuerunt, articulos fidei contineri in symbolo apostolico. Pauca tamen, velut per saturam, colligam, ut in Locis meis communibus sese offerunt. B. Lutherus tom. VI. ien. germ. p. 536. *Symbolum apostolicum breviter & nervose complectitur articulos fidei.* Idem in Majori catechismo p. 72. Dodec. noriberg. Wir wollen den gantzen Glauben kürtzlich fassen in drey Haupt-Artickel nach den dreyen Personen der Gottheit: dahin alles/ was wir glauben/ gerichtet ist. &c. Vrbanus Regius tom. 3. op. lat. p. 10. *In articulis fidei vel symbolo videntur nobis* (Papistæ: de iis enim loquitur) *esse concordes* Martinus Chemnitius part. I. Exam. pag. 67. in tertio genere Tradit. postquam recitasset ex Irenaeo symbolum apostolicum, subjicit hanc ἐπίκρισιν: *Hæc est vera & vetus Apostolorum traditio, quae nihil tradit extra & praeter scripturam, sed complectitur summam totius scripturae.* Ambros. Reudenius. D. & Prof. ienensis, in Catech. theol. pag. 49. *Symbolum apostolicum est brevissima comprehensio articulorum fidei christianae, quae Ecclesiam a reliquis sectis omnibus accurate distinguit.* D. Gerhardus in Exeg. L. de Scriptura S. §. 531. *Articuli fidei, quorum cognitio omnibus ad salutem necessaria est, verbis claris & perspicuis in scriptura traduntur, quorum summa in Symbolo apostolico, quod Patres regulam fidei saepius vocant, breviter repetitur.* D. Brochmandus in Syst. theol. t. 1. p. 5. *Symbolum Apostolorum, est omnium articulorum fidei compendiaria comprehensio.* Superat hodieque, & vescitur aura aetherea venerandus Acad. tubingensis Cancellarius, D. Wagnerus. Is in Oratione parentali, qua celebrat D. Melchiorem Nicolai, antecessorem suum, memorat inter alia de beato viro, quod paulo ante obitum

fili-

filiam symbolum apostolicum recitare jusserit, tanquam *exactam fidei & confessionis tesseram, & compendiosam animae fidelis sub agone confessionem*. Plura subministrare possem ejusdem commatis ex supellectile mea, nisi silvam lignis, solem facibus juvare videri possem. (2) Negari & illud nequit, quod ibidem nostrates Theologi saepe terminum *articulorum fidei* ultra symbolum apostolicum extenderint etiam ad ea dogmata, quae non tam assensum, quam praxin & actionem hominis christiani, ad salutem aeternam contendentis, ex ordinatione divina dirigant. Atque huc respicientes praeter symbolum apostolicum in, numerum articulorum fidei christianae retulerunt etiam Decalogum & Orationem dominicam. De B. Luthero res nimis certa est ex Dodec. script. Ecclesiae nostrae norib. p. 5. Wir wollens für dem gemeinen Hauffen bey den dreyen Stücken (der christlichen Lehr) bleiben lassen. Haud paulo disertius idem p. seq. 7. Weil in diesen dreyen Stücken kürtzlich / gröblich und auffs einfältigste verfasset ist alles / was wir in der Schrifft haben. Dann die lieben Vätter rc. Vnde Zacharias Schilterus, prof. lips. in Explicat. catech. Luth. p. 16. partes istas a Luthero *trinum perfectum* appellari solitas esse scribit. Nec aliter intelligi debent, quae scribit discipulus Lutheri utique γνήσιος, Vrbanus Regius, in Catech. minori p. 83. ubi ad quaestionem propositam: *Quae igitur christianum scire oportet?* respondet: *Tria, nempe Legem Dei seu X. praecepta, Articulos fidei, & Orationem dominicam: in his ferme comprehenditur, velut in summa, quicquid sacrae literae docent.* (3) Notandum & illud est, quod itidem inculcat Lutherus p. 7. Wann diese drey Stück gefasset sind / gehöret sich / daß man wisse zu sagen von unsern Sacramenten (so Christus selbst eingesetzt hat) der Tauffe / und des H. Leibs und Bluts Christi. rc. Quod si ergo doctrinam sacramentorum (quam tamen minus necessariam esse, quam priores tres partes, discimus non solum ex locis allegatis beati Lutheri, sed etiam ex Chemnitii part. 2. Exam. concil. tridentini p. 213. 310. 319. & Iohannis Gerhardi Conf. cathol. L. de Eccl. p. 728. ubi eadem prorsus Chemnitii verba habentur) addamus tribus dictis magis necessariis partibus, tum vero *articuli fidei erunt dogmata in Catechismo nostro comprehensa*, praesertim si addamus illud sextum caput *de Potestate clavium*. Et hoc sensu catechumeni nostri interrogati,

quid ſit Catechiſmus? recte reſpondent: *Catechiſmum eſſe brevem epitomen doctrinae chriſtianae, in Prophetarum & Apoſtolorum libris comprehenſae.* Atque ſic *Articulorum fidei* nomine venire poſſunt non tantum ea, quibus aſſenſum praebere iubemur, ſed etiam ea, quae a Deo praeſtanda nobis imponuntur, qualia ſunt, ſecundum regulam decalogi vitam inſtituere, Deum invocare, & ſacramentis ab eodem inſtitutis uti. Hæc prorſus videtur fuiſſe ſententia D. Balth. Meiſneri, quando in diſp. de Diſſenſu Luth. & Calvin. th. 9. ſcripſit: *Articuli fidei fundamentales ad quinque capita revocari poſſunt: Decalogum, Symbolum apoſtolorum, Orationem dominicam, Sacramentum baptiſmi, & Sacramentum altaris.* Hæc talia ſi quis apud animum expendat, non poteſt utique difficilis eſſe amplius quaeſtio, propter quam hodie tanti fluctus in ſimpulo cientur, ubi tamen Delio natatore profecto non eſt opus: *Qui, & quot ſint articuli fidei?* Nam erudito, qui accuratius diſtinguere poteſt credenda ab agendis, reſpondeo, eos eſſe unice illos, qui in ſymbolo apoſtolico continentur; neque enim alia cognitu neceſſaria ad ſalutem Deus ordinavit, vel vetus Eccleſia agnovit, uti infinitis teſtimoniis comprobari poteſt. Si chriſtianus alius indoctus & ſimplex requirat a me omnium ſibi a Deo praeſcriptorũ mediorũ, ad ſalutem quovis modo neceſſariorum, in brevi ſumma comprehenſorum ſeriem, tutiſſime, credo, ei indicaverim V. vel VI. capita doctrinae chriſtianae in Catechiſmo comprehenſae. Nempe finis eſt menſura mediorum. Quoniam igitur homines non poſſunt aliomodo ſalvari ex Dei praeſcripto, quam ſi credant in Patrem, Filium & Spiritum ſanctum, ſi vitæ ſanctimoniae ſecundum normam decalogi, pro virili a Deo conceſſa, ſtudeant, ſi eum invocent, ſi ſacramentis utantur, quis dubitet, *articulos fidei fundamentales* iſta dogmata appellari poſſe, quatenus ſcil. & credenda & agenda homini chriſtiano neceſſaria in illis comprehenduntur? Non ignoro, eſſe, qui catalogum Articulorum fidei multo laxiorem recenſeant, adeo ut in iſtum numerum referant non tantum doctrinam *de Magiſtratu politico*, ſed etiam *de Miniſterio eccleſiaſtico*, de *Circumciſione*, de *Paſchate*, de *Legibus ceremonialibus*, ſed quam id ſit ἀκύρως & abſurde dictum, nemo non intelligit.

Nunc

Nunc ut ad principalem quaestionem e diverticulo redeam, duobus saltem propositis argumentis affirmativam evincere conabor. Eorum primum est: Q. retinent dogmata homini christiano vitam aeternam consequi cupienti necessaria, illi retinent fundamentum fidei. Atqui *Pontificii retinent dogmata homini christiano necessaria.* Ergo Pontificii retinent fundamentum fidei. Major constat ex B. Luthero, ex Schiltero, ex Vrb. Regio supra laudatis. Minor probatur experientia, & praeterea ex B. Sauberti nostri Epit. Examinis L. de Eccles. p. 98. & 99. ubi quidem κατὰ πόδα secutum esse B. virum Hafenrefferum in LL. l. 3. Loc. 6. de Eccles. p. 360. iam dudum deprehendi. Idem etiam prorsus iam sub finem superioris seculi docuisse Hunnium, constat ex Dispp. theol. disp. 27. th. 56. Alterum argumentum esto hoc: Quicunque coetus est vera ecclesia, ille retinet fidei fundamentum integrum. *Atqui ecclesia sub papatu est talis coetus, qui est vera ecclesia.* Ergo ecclesia sub Papatu retinet fundamentum fidei integrum. Major, ni fallor, ex terminis patet: implicat enim contradictionem, aliquem coetum esse veram ecclesiam, & tamen non habere omnia ad salutem absolute necessaria dogmata. Minor probatur 1) exinde, quia alias sequeretur, coetum illum fidelium ante Lutherum, sub papatus jugo gementem, non fuisse veram ecclesiam, adeoque salute aeterna majores nostros excidisse, imo hodieque Christianos in papatu ejusdem non esse participes, qui sacra ista colunt: quod quam dirum dictu sit, quamque a christiana charitate, quae optima quaeque sperat, alienum, quaevis pia mens facile intelligit. 2) Probatur ex fundamento B. Lutheri, quo semel atque iterum usus est ad ostendendum, sub papatu fuisse veram ecclesiam, ceu constat ex Tom. 4. ien. germ. p. 320. & T. 7. p. 426. item ex aureo ejus Commentario in ep. ad Gal. c. 1. p. 25. ubi inter alia ita loquitur: *Vbi verbum & sacramenta substantialiter manent, ibi est sancta ecclesia, non obstante, quod antichristus ibi regnet, qui sedet non in stabulo daemonum, non in hara porcorum, non in turba infidelium, sed in nobilissimo & sanctissimo loco, videlicet in templo Dei. Ergo oportet templum Dei esse, regnantibus etiam tyrannis spiritualibus, & illud conservari sub ipsis.* Manifestum est, respicere B. virum ad locum 2. Thess. 2, 4. Nec ignotum est illud B. Aegid. Hunnii in Quaest. & respons. de Ecclesia tom. 1. 1270.

1371. *In medio papatu fuit ecclesia, etiamsi papatus ipse non esset ecclesia.* Haud paulo clarius Jos. Stegmannus in Photinianismo disp. 52. p. 603. *Coetus vocatorum in papatu spectatur vel ut aliquid divinum habens, nempe praedicationem verbi & administrationem sacramentorum, quamvis corruptam, vel ut humanis superstitionibus & idolomaniis penitus est infectus. Priori modo est ecclesia aliqua vera, posteriori modo plane falsa est.* Et sane quis negaverit, Deum in illo loco colligere coetum vere fidelium sibique adplacentium, & ad vitam aeternam reapse aliquando pervenientium, *ubi docentur Decalogus, Symbolum apostolicum, Oratio dominica, Baptismus, Historia passionis, Pericopae evangeliorum & epistolarum dominicalium?* ut loquitur B. Saubertus L. supra cit. Verbum Dei retinet utique suam efficaciam, a quocunque demum, atque adeo ab improbo etiam sacrificulo, praedicetur. Quod si incredulitas hominum fidem Dei non facit irritam, Rom. 3. 3. ergo nec improbitas hominum papisticorum, doctrinam christianam in aucupium pecuniae & mundanae existimationis usurpantium, imo veritatem in iniustitia detinentium, Rom. 1. 18. vim convertendi animos hominum & ad salutem aeternam perducendi, verbo Dei detrahet. *Praedicatur* enim *Christus* non tantum ex charitate, sed etiam *ex invidia & contentione*, Phil. 1, 15. 16. 17.

Et haec quidem ita sic satis clara & certa, nî penitus fallor, existunt; nisi quod fortasse superest, ut dubia & difficultates circa hanc rem moveri solitas, quarumque nonnulla occasio nuper a Magnif. tua mihi subministrata est, considerem. Ac 1) quidem dubitari posfit, quomodo absolvi queant ab eversione articulorum fidei fundamentalium Pontificii, cum tamen fundamentalem utique *articulum de Iustificatione* hominis peccatoris coram Deo suis, quae sibi fingunt, bonorum *operum meritis*, ire destructum videantur. Respondeo: Atqui etiam *scriptores ecclesiastici, dum certaminibus de aliis articulis occupati sunt, saepe non ea, qua decet, diligentia & circumspectione tractant doctrinam iustificationis*, ut ait Chemnitius part. 2. LL. p. 217. *Veteres scriptores saepe non iusta diligentia & circumspectione doctrinam iustificationis tractarunt. Saepe etiam, cum alio respicerent, multa incommode dicta ipsis exciderunt, quae occasionem praebuerunt, quod a puritate huius articuli paulatim longius discessum est. Extant autē valde*

Obi. 1.

valde multa, impropriè, incommodè & incircumſpectè de hoc articulo dicta in omnibus ſcriptoribus, ut facile poſſit texi longus catalogus : ita loquitur itid. Chemnitius part. 2. LL. p. 224. quibus ſimilia habentur pag. ſeq. 235. Et ſi Caſauboni, ſummi utique viri, hac ſaltem in parte autoritati locum relinquimus, *doctrina de iuſtificatione peccatoris, & cauſa meritoria ſalutis, primis Eccleſiae temporibus, & fere ante divini ingenii virum, B. Auguſtinum, vix ſatis dilucide fuit expoſita*, Exercit. in Baron. p. 2. Quod ſi iſtis ex eccleſiae flore proxime natis doctoribus veniam dare aequitas poſtulat, quidni eandem indulgebimus hominibus e faece Scholaſticorum emergentibus, de quibus ſimul ſcimus, quod *ex Hortulo animae, his, qui iam in agone mortis erant conſtituti, non inculcettur operum doctrina, non alia conſequendae ſalutis adminicula falſa, quae olim attendebantur, ſed ad unius & ſolius Ieſu Chriſti fiduciam, & meritum paſſionis eius, peculiaribus hanc ad rem conceptis & elaboratis quaeſtionibus homines deducantur*? quae quidem verba ſunt toties laudati Hunnii volum. diſp. d. 27. th. 57. & in Quæſt. & reſp. de Eccl. Chr. p. 87. 88. (tom. 1. Opp. p. 1290. 1291.) & Comment. in Matth. p. 560. Quibus prorſus *σύμφωνα* ſunt, quae affert ex Bernhardo, Anshelmo, aliis, B. Chemnitius Exam. part. 1. p. 143. & ſeq. Ex quibus & ſimilibus aliis, quae ex Gerhardi Conf. catholica, ſi opus eſſet, adferri poſſent, liquido conſtat, quam vera ſint, quae ſcripta ſunt in Apol. Conf. aug. p. 349. Dodec. *Etiamſi in eccleſia Pontifices, aut nonnulli Theologi ac Monachi docuerunt, remiſſionem peccatorum, gratiam & iuſtitiam per noſtra opera & novos cultus quaerere, qui obſcuraverunt Chriſti officium, & ex Chriſto non propitiatorem & iuſtificatorem, ſed tantum legislatorem fecerunt, manſit tamen apud aliquos pios ſemper cognitio Chriſti.* Atque ita ſe rem habere, non tantum libro peculiari oſtendit iam ſuperiori ſeculo Matth. Flacius, quem *Catalogum teſtium veritatis* appellat, ſed etiam poſt eum toties laudatus Hunnius in praefat. Quaeſt, & reſp. de Eccleſia, ubi ex omni aevo, quo Pontificum impietas invaluit, exhibet ſinceros doctores, qui ſe fermento pontificio oppoſuerunt, & doctrinam de iuſtificatione, iuxta cum aliis articulis fundamentalibus, ſartam tectam

Ooo 3 cuſto-

Ad unius & ſolius I. C. fiduciam & meritum paſſionis eius] Vide ipſius autoris huius, videl. Dürrii, diſp. de Haeret. §. 92.

custodierunt. Memoratu inprimis digna sunt, quae leguntur in illa praefatione p. 1249. *Quanquam non prorsus ex omnibus erroribus eluctari potuerunt, tamen dubium nullum est, quin iis ignorantiae temporibus Deus illis, ut reliquas infirmitates, ita & errores residuos clementer condonarit, ipsique, retento fundamento salutis, Iesu Christo, ad aeternam beatitudinem sint conservati.*

Obi. 2. Caeterum ex his ita expositis statim subnascitur altera difficultas: Quomodo integrum consistere possit apud Pontificios fundamentum de gratuita iustificatione cum doctrina *de meritis operum, quibus ipsi adscribant iustificationem*, si non primam, saltem secundam? Et possit hic aliquis opponere verba Apol. Conf. aug. p. 148, 355. *Pleraque istorum, quae adversarii nostri defendunt, fidem evertunt, ut quod damnant articulum de Remissione peccatorum, in quo dicimus, fide accipi remissionem peccatorum. Manifestus item & perniciosus error est, quod docent adversarii, mereri homines remissionem peccatorum dilectione erga Deum ante gratiam. Nam hoc quoq; est tollere fundamentum, hoc est, Christum.* Ecce, dum paulo ante dixerat Hunnius, retineri apud Pontificios fundamentum salutis, iam contra asseritur, idem illud tolli. Quid ergo? annon suppetit conciliatio in mundo? Respondeo cum B. Huttero Iren. cap. 13. non quemvis statim errorem facere haereticum, & fundamentum fidei evertere, sed eum tantum, qui directe in articulum aliquem fidei impingit, & pertinaciter defenditur. *Directe* autem dicit errorem impingere in fundamentum fidei 1. quando non in circumstantiam tantum aliquam, sed in ipsam substantiam articuli fidei, 2. quando non reductive per consequentias, sed *πρώτως*, immediate, & verbis & sensu, in articulum fidei & salutis impingit. *Indirecte* autem vocat impingere in fundamentum fidei, ac proinde fundamentum fidei non evertere, qui vel fidei in Christum, & articulis salutis, aliquid ex rebus alienis per circumstantias assuit, vel ex morum atq; ingeniorum humanorum importunitate aliquid defendit, quod vel cultum Dei quodammodo obscurat, vel remoratur. Consentit hisce B. Hunnius in lib. de Ecclesia tom. I. 1274. *Est igitur aliquod discrimen inter eum, qui directe & ex professo eiuscemodi cardinalem fidei articulum negat, & inter eum, qui articulum illum nondum negat, atque nihilominus talem errorem in alio quodam minus principali capite doctrinae fovet, ex quo* in

in alterius principalioris articuli abnegationem praeceps impelli, Deo permittente, queat. Et fieri potest, ut priores illi, qui inscii sibi viam parant ad errores atrociores, (dummodo eos nondum amplectantur) sint adhuc de ecclesia &c. Nunc expendamus, in quonam potissimum ratio formalis istius articuli fundamentalis de iustificatione consistat. In eo utique, quod Deus O. M. miserum peccatorem, agnitis suis peccatis, in gratiam recipit propter Christum mediatorem fide apprehensum. Atqui & Pontificii, iuxta Concilii sui tridentini ductum, nobiscum fatentur *causam efficientem iustificationis misericordem DEUM, qui gratuito abluit & sanctificat, signans & ungens spiritu promissionis sancto, qui est pignus haereditatis nostrae: meritoriam autem dilectissimum unigenitum suum, dominum nostrum Iesum Christum, qui, cum essemus inimici, propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, sua sanctissima passione in ligno crucis nobis iustificationem meruit, & pro nobis Deo patri satisfecit*, ut habent ipsissima verba tridentini Concilii; in quibus hactenus vix est, quod desiderari queat. Quod attinet autem causam instrumentalem, quam nos *solam fidem* esse dicimus, ipsi adiungunt Timorem, Spem, Charitatem, Poenitentiam; item rationem formalem, quam ipsi dicunt consistere in iustitia non imputata, sed inhaerente, vim tamen iustificationis a merito & sanguine Christi accipiente, hic sane salutiferam istam doctrinam vehementer ambiguitatibus, obscuritatibus & difficultatibus implicant & involvunt, ut, si phrases & verba attendamus, haud parum Christi merito detrahatur, & niminum operibus nostris tribuatur. Bene tamen res habet, quod non tantum in praxi, quam experientia testatur, a propriis meritis communiter confugere soleant ad passionem & meritum Christi, operum rara aut nulla, ut hodie quidem se habet Ecclesia pontificia, facta mentione, sed etiam ita moribundos consolari iubeant, ut unice in Christi satisfactione spem & praesidium salutis omne collocari velint. Ostendit hoc etiam ex veteribus & recentioribus Agendis, moguntina, coloniensi, trevirensi, würzburgensi, solide & ad oculum in aliquot scriptis G. Calixtus, productis in apricum ipsissimis verbis. Quod procul dubio considerans B. Hutterus L. de Eccles. p. 530. ita scripsit:

Tridentini Concilii] Sess. VI. cap. 7. *Non tantum in praxi*] Æg. Hunn. de Eccles. tom. 1. 1290. *Ex Agendis*] Vide p. 316. 317.

scripsit: *Taceo iam, quod moribundis & animam agentibus subinde ex* Hortulo animae *acclamabatur, ut omnem spem atque fiduciam in nullam rem aliam collocent, quam in meritum domini Iesu Christi, huic ipsius morti se involvant, eoque contra ignita diaboli tela se muniant & contegant. Ubi nullum est dubium, quin, reliquis errorum & superstitionum pontificiarum stipulis per ignem istum tentationis combustis, ipsum* fundamentum salutis sit firmiter retentum, *& sic plurimi in fide in Christum decesserint & salvati fuerint.* Quod autem hodieque fiduciam propriorum meritorum ex animo dimittant Pontificii, nimis liquido ex scriptis eorum constat. Duo duntaxat loca indicabo. Inter scriptores pontificios hodie eruditione & modestia caeteris omnibus merito palmam praeripiunt Canonici colonienses, illustres fratres *Walenburchii.* Quid vero illi in Motivo IV. Principis Ernesti c. 20.? *Quia iusti merito verentur omnia opera sua, & sciunt, Deum ex propria iustitia non teneri ad dandam fidelibus vitam aeternam, tutissimum est, spem omnem reponere in sola Dei benignitate & misericordia, cum non sine causa videamus in Ecclesia catholica semper observatum, ut, qui morti iam sunt proximi, diligenter admoneantur, quo propriae iustitiae diffisi, in una Christi iustitia spem suam & fiduciam omnem habeant collocatam, illam Patri coelesti repraesentent, illi innitantur.* Editus est Moguntiae ante hos demum novem annos Catechismus biblicus Petri Canisii, autore Adolpho Godofr. Volusio, isque munitus privilegio invictissimi nostri Imp. Leopoldi. In eius quinto cap. principali p. 351. interrogatur: Soll sich aber der Mensch im Leben und Sterben auff seine gute Werck also verlassen / daß er mehr auff dieselbe / als auff Gottes Barmhertzigkeit vertraue? Respondetur: Nein / keinesweges. Es ist am sichersten / sich demüthigen vor dem HErrn / und sagen mit David &c. Ita scil. docent, ita vivunt, ita moriuntur Pontificii, ut nesciam, quo pacto fides abiudicari debeat asserto B. Hunnii in praefat. ad Quaest. & resp. de Ecclesia: *Articulus de iustificatione sub papatu integer servatus est,* tom. I. 1254.

Obi. 3. Ne vel quicquam dissimulem, surgit hinc tertia difficultas: Constare nihilominus, istum arduum oppido & ad salutem summe necessarium articulum obscurari, interpolari, corrumpi *variis superstitionibus & additamentis verbo Dei manifeste repugnantibus.* Respondeo: Faciunt id vel occupati erroribus intellectus, qui fascinatus est praeiudi-

judiciis ecclesiae tam amplae, antiquae, florentis, quam tot Imperatores, Reges, Principes, neque non viri autoritate & eruditione eminentissimi, a tot annorum centuriis colant, venerentur, tueantur: vel amplexantur errores istos clare a se agnitos contra conscientiam rectius interius sentientem, & nihilominus isti religioni tot erroribus inquinatae adhaerent, perculsi metu faciendae iacturae opum, existimationis, aut alterius temporalis felicitatis, aut accensi spe commoditatum terrenarum. Prius qui faciunt, numeroque forte sunt oppido multi, annon judicio christianae charitatis de iis liceat pronunciare, quod dicitur de grege sequentium Absalonem? *Cum Absalone iverunt ducenti viri de Ierusalem vocati, euntes simplici corde, & causam penitus ignorantes.* 2. Sam. 5, 11. *Errant* igitur tales, *sed bono animo errant; non odio, sed affectu Dei; honorare se Dominum atque amare credentes*, ut gravissime olim iudicavit sanctissimus Massiliensium presbyter, Salvianus, de adversariis suis, iisque haereticis, quippe arianis, Lib. 5. de Gubernat. Dei §. 142. Sufficiat, quod retineant fundamentum illi, quos ex simplicitate aut praeconceptis opinionibus ab ipso lacte materno instillatis, informatione inculcatis, argumentorum plausibilium cerussa incrustatis, laborare putamus: *quodsi super fundamentum ligna, foenum, stipulam superaedificent, opus quidem illud in igne* (tentationis vel extremi iudicii) *ardebit, ipsi autem salvi erunt, sic tamen, quasi per ignem*, ut oquitur apostolus 1. Cor. 3. 2. seqq.

At *toties convicti sunt, & contra conscientiam retinent errores.* Respondeo: Esse tales apud Pontificios multos, eosque doctores, quibus clara lux evangelii loculos praestringit, ut agnoscant falsitatem dogmatum, quae nihilominus contra conscientiam propugnant, nolim negare, etsi, quinam in individuo, ut loquimur, isti sint, definire non sustineo, sed malim infallibili scrutatori cordium iudicium istud relinquere. Quicunque vero illi fuerint, quoniam contra conscientiam agnitam veritatem impugnant, non propter eversionem fundamentalium articulorum Deo displicent, & reatum irae divinae aeternaeque damnationis incurrunt, sed propter malitiose oppressam & impugnatam veritatem in verbo Dei revelatam; quod quidem peccati mortalis rationem habere, nullū est dubium. Habet enim hic aliquo modo locum illud Salvatoris: *Servus, qui novit voluntatem*

domini, & non fecit secundum voluntatem eius, plagis vapulabit multis. Luc. 12, 48. Atque haec ipsa responsio facere potest ad solvendam obiectionem illorum, qui distinguunt inter *docentes* & *discentes*, atque hos quidem ab eversione articulorum fundamentalium absolvunt, illos minime. Nam quoad fundamenta fidei in se considerata, docentium ac discentium prorsus eadem est ratio, neque Deus alios salvandi modos, sive dogmata, sive praxin christianismi respiciamus, praescripsit doctoribus & eruditis, alios rudibus & auditoribus doctorum, sive discentibus. Addo etiam hoc, vir magnifice & nobilissime, (ut vel hinc intelligas, quantum fiduciae tribuam tuae adversus me per tot annos, perque tot documenta exploratae benevolentiae) me in praecipua beneficiorum, divina benignitate per omnem vitam mihi praestitorum, parte positurum, si mihi aliquando ex hac vita discessuro contingat pius & devotus ecclesiae minister, qui mihi reculas meas convasaturo & servatori meo animum pignori locaturo, non alias consolationes, cantiunculas, precatiunculas, suspiria suggesturus sit, quam eas, quas idiotae & simplici cuicunque christiano instillare solet. Nisi quod illud Hieronymi Vidae, plentissimi utique poëtae, (si connivere velimus ad fuligines papisticas, quas vitium nativitatis ei allevit) optarim insusurrari, quod etiam uni & alteri meorum in hac academia praeceptorum placuisse observavi, & ego frequenter hilari animo repetere soleo:

Da, Pater, extremae cum vitae advenerit hora,
Te praesente mori, nil me terrentibus umbris,
Inque tuos animam amplexus effundere ovantem.

Obi. 4. Sed mihi ad lineam est redeundum. Videtur sententia mea, atque adeo etiam B. Calixti, praeceptoris mei, (neque enim dissimulo) *occasio esse discessus ab orthodoxa nostra religione in aug. Conf. declarata & confirmata.* Quae quidem esse potest obiectio IV. ℞. Atqui & multi discipulorum Christi abierunt retro, Ioh. 6, 66. quippe scandalizati, ℣. 61. eiusdem cap. Neque vero istum discessum aut scandalizationem Christo imputabimus. Deinde qui accedunt ad partes Papistarum, vel faciunt id ex mera animi simplicitate, nullius boni temporalis conservandi aut accipiendi, vel mali effugiendi cau-

di causa, sed quia persuasum est ipsis, aeque in ecclesia papistica, atque nostra, Dei voluntati satisfieri, & veritatem salvificam ipsamque salutem obtineri posse. De his, cum fundamentum fidei integrum retineant, ut supra ex nostratibus evictum est, quis aliter censebit, quam olim iudicavit de Aquariis S. Cyprianus Ep. 63? *Potest simplicitati eorum de indulgentia Domini venia concedi: nobis vero, qui a Domino moniti & instructi sumus, non poterit ignosci.* Nempe qui existimant per errorem seu prorsus invincibilem, seu non adeo facile vincibilem, ecclesiae romanae dogmata de communione sub una, de missa, de invocatione sanctorum, de purgatorio &c. divinae voluntati & ordinationi non refragari, eos si in societatem filiorum Dei admittamus, credo nos facere, quod decet Christianos charitate ea instructos, quae eos pro filiis diaboli non habet, quibus Iesus Christus dedit potestatem filios Dei fieri, qui credunt in nomine eius. Ioh. 1, 12. Certe in Libb. normalibus norib. p. 768. eo, credo, sensu affirmatur, *non peccare, qui scientes huius libertatis, & credentes, alterutra signi parte utantur.* Longe alia est ratio illorum, qui ex verbo Dei recte edocti & in conscientia convicti sunt, abusus & corruptelas pontificias refragari voluntati & ordinationi divinae: illi utique de gratia Dei & salute sua certi ne in praesenti quidem, ut loquimur, esse possunt. Immo vero hic merito locum habeat consilium B. Lutheri, cuius mentionem facit B. Matthesius conc. 10. de Historia B. Mart. Lutheri: Wer in seinem Hertzen aus Gottes Wort berichtet ist / und hält es in seinem Gewißen für Gottes Wort und Ordnung / daß beyder Gestalt recht sey / der soll bey Leib und Seel nicht wieder solch sein Gewissen / das ist / wieder GOtt selber handeln / sondern bey Christo und seinem Wort / in freudiger Bekänntniß / Leib und Leben lassen.

Denique & V. *videtur imminere periculum nobis Augustanam confessionem profitentibus*, si statuamus, consistere posse errores papisticos cum fundamentalibus fidei articulis, adeoque apud Pontificios etiam homines salutem obtinere posse. Respondeo: Immo vero optandum esset, ut nonnulli homines ζήλῳ ἀζήλῳ praediti, cumque Iacobo & Iohanne ignem de coelo poscentes, in animos demitterent mitissimi Servatoris monitum: *Nescitis, cuius spiritus estis. Filius hominis* Obi. 5.

minis, non venit animas perdere, sed salvare. Luc. 9, 55. 56. Porro si de Pontificiis sentimus, quod fundamentum fidei integrum retineant, uti abunde, ni fallor, ostendi, atque admittimus eos in numerum filiorum Dei, & consortium haereditatis aeternae, conformiter nos utique gerimus Pacto passaviensi, daß ein jeder den andern mit rechter Freundschafft und christlicher Lieb meinen soll. Quod profecto non fieri puto, si dicamus, dogmata fidei ad salutem necessaria apud Pontificios non retineri, adeoque plerosque Imperii Proceres & Status Imperii religionem eam amplexari, quae a fundamentalibus fidei aberret.

Postremo tibi, vir magnifice & nobilissime, pro tua, qua vales, singulari εὐστοχίᾳ expendendum permitto, quam hodie a nonnullis convenienter (si Diis terrestribus placet) scribatur iis, quae sapientissime & inaestimabili dirigente divina providentia decreta sunt in palladio Germaniae nostrae, quod *Instrumentum pacis* appellatur, c. 5. §. 1. & potissimum §. 17. Vt ipsa verba hic adscribam, non est opus ad te, istorum omnium negotiorum longe peritissimum; indulgebis tamen mihi, credo, ut voluptatem meam expleam additis verbis cedro dignissimis: *Sed si dubii quid hinc aut aliunde incidat, aut ex causis Pacem religiosam vel hanc Transactionem tangentibus resultet, de eo in Comitiis, vel aliis Imperii conventibus, inter utriusque religionis Proceres* non nisi amicabili ratione *transigatur.* Hodie quid fit, dum alii alios penitus e communione sociorum Aug. conf. exclusum ire volunt? Sed quando ad pacis publicae considerationem paulo audacius abreptus sum, calamus mihi coërcendus est, ne ὗς τὴν ἀθηνᾶν. Denique quando singularis tui in me immeritum favoris cogitatio audaciorem me fecit, rogandus mihi es, vir magnifice, ut indulgentiorem te praebeas prolixiori huic epistolae, deinde si ita visum fuerit, copiam eius legendae facias nobiliss. D. D. affini, qui iuxta tecum raris seculi nostri exemplis augustam Themidem cum veneranda Eusebie felici nexu copulavit. Vale, vir magnifice & nobilissime, &, si merebor, veteris erga me amoris igniculum detepescere ne patere, qui te votis omnibus secundis, qua par est, prosequar, dum vita superabit. Scrib. Altorffi d. 15. Martii, anno 1669.

Quum

QVum igitur non desint inter Protestantes, qui mitius sentiant de Pontificiis, optandum esset, ut & illi intra eosdem modestiae limites subsisterent, nec nobis innoxiis, & fundamentum atque articulos, seu dogmata fidei integra atque illibata retinentibus, & cum antiqua ecclesia omnes vere tales haereses condemnantibus, *haereticorum* nomen & maculam illinere conarenrur. Meminerint enim, quid maiores nostri post recitatos articulos XXI. august. Confess. professi fuerint, ac sciant, nos hodieque plane idem profiteri, dicentes: *Haec fere summa doctrinae apud nos: in qua cerni potest nihil inesse, quod discrepet a scripturis, vel ab ecclesia catholica, vel ab ecclesia romana, quatenus ex scripturis nota est. Quod cum ita sit, inclementer iudicant isti, qui nostros pro haereticis haberi postulant.* Meminerint, quid scripserit Henr. Marcellius, S. I. & Professor bambergensis ordinarius, eiusque modestiam considerent atque imitentur. *Neque ullum ego illorum*, ait ille in Parte 3. Sap. pacificae, *qui a pace & unitate catholica per voluntariam erroris professionem separati, extremum obiere diem, quantumvis visus fuerit, dum viveret, fuisse in errore pertinax, absolute damnatum pronuncio: uti neque eorum aliquem, qui etiamnum a Christi corpore sive ab ecclesia seiuncti, superstitem in terra vitam degunt, quantalibet obstinatione videatur Spiritui sancto, in ecclesia & per ecclesiam loquenti, resistere, verae & formalis haereseos censura aut nomine perstringo, quia id nec scio, nec possum: neque enim mihi constat, utrum vere & proprie in errore pertinax sit, an potius ignorantia vel zelo indiscreto, vel alia quavis ratione excusetur.* §. 102. p. 276.

Mitius de nobis iudicium, etiam Pontificiis competit.

SCriptorum Pontificiis oppositorum tantus est numerus, ut multa inde vehicula onerari possent. Itaque selectum eorum facientes, quaedam duntaxat nominabimus. Enim vero

Scripta Pontificiis opposita.

vero, praeter *Lutheri*, Phil. *Melanchthonis*, aliorumque lucubrationes, huc pertinent Mart. *Chemnitii* Examen Concilii tridentini; Aeg. *Hunnii* varia, quae exſtant in primo, ſecundo & ultimo operum tomo; Phil. *Nicolai* de Antichriſto romano; *I. Förſteri* Paraeneſis contra Iac. Gretſerum; Ioh. *Milmanni* Diſpp. Antigeſauiticae: Leonh. *Hutteri* Diſpp. de verbo Dei ſcripto & tradit. non ſcriptis, item Actio in Iac. Gretſerum de Imperatorum, Regum ac Principum chriſtian. in Sedem rom. munificentia; Iac. *Hailbronneri* Uncatholiſch Babſtthum, eiusque Defenſio contra Iac. Kellerum; Conr. *Schlüſſelburgii* liber IIX. Catalogi haeret. contra Ieſuitas; Ioh. *Aſſelmanni* Conflictus antiieſuitici tres, Anatome foetus Ieſuitarum, & Phoſphorus veri catholici; Balth. *Meiſneri* II. Pars philoſ. ſobriae, Murus Babylonis rom. oppoſitus XII. Muris Iac. Reihingi, & Excubiarum papiſt. depulſio, Conſultatio cathol. de relig. luther. capeſſenda, contra Leonh. Leſſium, eiusque Apologia contra Herm. Hugonem; Frid. *Balduini* Examen Apologetici ſcioppiani de indulgentiis, & Tractatio de diſput. cum diabolo, contra Nic. Serarium; Wolfg. *Franzii* Syntagma controverſiarum; G. *Roſtii* Manuale contra papatum; Ioh. *Gerhardi* Confeſſio catholica, & Bellarminus orthodoxiae teſtis: Dan. *Crameri* Tractatus contra Stevartium ieſuitam; G. *Zeaemanni* Ieſuita revapulans, eiusque Defenſio, Baſis fidei, & Athleta larvatus & ſtramentitius, contra Iac. Gretſerum, item Carnificina eſauitica; Barthol. *Batti* libri 3. de Iuſtificatione, contra Bellarminum; Henr. *Höpfneri* Saxonia evangelica, contra Petr. Cutſemium; Bartholdi *Krakewizii* Examen controverſ. de extr. unctione, & coniugio, contra Bellarminum & Coſterum; Herm. *Samſonii* Antiieſuita, contra Laur. Nicolai; Henr. *Eckardi* Papa phariſaizans, Pandectae controverſiarum

rum

rum religionis, & III. Fest-Predigten; Andr. *Kesleri* Bericht vom Pabstthum / Bellum religiosum S. Petri & rom. Papae, item Christi & Papae, & Cautela christiana; Nic. *Hunnii* Ecclesia rom. non christiana, Apostasia rom. ecclesiae, Pellis ovina rom. ecclesiae detracta; Wilh. *Lyseri* Depulsio accusationum Iesuitarum contra august. Confessionem; Ioh. *Cothmanni* Prodromus demonstrationis de Pontificiorum doctrina, scripturae contraria; Alb. *Graueri* Dispp. antiiesuiticae; Ioh. *Schroederi* Enchiridion theologicum; Iac. *Reihingi* Laquei pontificii contriti, Dissertatio de Christi ecclesia, eiusque Apologeticus, & Retractatio Manualis catholici; Theod. *Thummii* Disquisitio de iubilaeo, & indulgentiis, de verbo Dei scripto & non scripto, & de purgatorio; Pauli *Resenii* Antibecanus; Matthiae *Höe* Labyrinthus papisticus cretico-gretserianus, Apologeticus contra Bellarm. pro libro Concordiae, Nova novorum, Velitatio epistolar. ipsum inter & Petrum Cutsemium, Defensio Lutheri contra Iesuitas; I. *Hoepfneri* Tractatus de idololatria antichristi, Chr. *Scheibleri* Felsen-Gründe contra Ioh. von der Recke, Evang. Wahrheit contra D. Wittfelt, Schleiderstein & Glaubens-Probe contra Walenburchios; Ioh. *Maioris* Iudicium de Acatholicorum regula credendi, contra Valer. Magnum; G. *Königii* Tractatus de antichristo romano; I. Tob. *Maioris* Dissertationes de oratione pro defunctis, & Apologeticus adversus Valerianum Magnum; G. *Calixti* Colloquium hämelsburgense, Tractatus de missae sacrificio, de coniugio clericorum, de communione sub utraque, Compellatio ad Academiam coloniensem, Responsum ad Theologorum moguntinorum vindicias pro rom. Pontificis infallibilitate, Consideratio doctrinae pontificiae, Responsum ad ser. Ernestum, Landgrav. Hassiae, Tractatus de arte nova con-

va contra Barth. Nihusium; Ioh Vlr. *Pregitzeri* Antiforerus; I. Bened. *Carpzovii* Collegium antipapisticum, Luther. unverfälschter Löß-schlüssel contra Hier. Mülmannum; Balthas. *Rhaue* Papatus conciliis apostolicis & antiquis denudatus, & Dispp. de antichristo; I. *Micraelii* Diatribe de Erhardi S. Imp. Comitis Truchses de Wetzhausen Recognitione ecclesiae universalis; Melch. *Nicolai* Dispp. & alia contra Forerum, Keddium, & Erhardum, Comitem de Wetzhausen; I. G. *Dorschei* Mysteria pontificiae missae, Dissert. de ecclesiae autoritate, Vindiciae & animadvers. ad Bellarmini in 4. tomis Controv. factas allegationes, Kircherus devius, Hodegeticus catholicus in consideranda scripturae & ecclesiae autoritate contra I. Kircherum, Detectio malae fidei papalis circa probationes SS. Trinitatis; Ioh. *Hülsemanni* Collegium antipapisticum, & Manuale confess. august. contra Balthas. Hagerum; I. *Himmelii* Iesuita pharisaizans; Christ. *Althoferi* Abyssus desperationis pontificiae, & Pseudostereomata relig. pontificiae; Iac. *Welleri* Dispp. contra Mart. Becanum, & Dissert. de idololatria Pontificiorum; Bernh *Waldschmidii* Ked vertiginosus, Schmids Laug contra eundem, & Refutatio XX. rationum, propter quas Lud. ab Hornigk ad papismum deflexit; I. Conr. *Dannhaueri* Gorgias leontinus sophista in Valeriano Magno redivivus, Onirocritarum batavorum Andr. & Petri de Walenburch Deliquia, & Barth. Nihusiii Anoëtica, Hodomoria spiritus papaei, Vale triumphale Melch. Cornaeo dictum, Hyaena freiburgica ab ovili Christi depulsa contra Irenicum Thomae Henrici, & Iconothetes christianus; Christ. *Chemnitii* Veritas relig. luther. defensa contra Ioh. Schefflerum, Bericht und Antwort auf Ioh. Schefflers Türcken-Schrifft / item Auf desselben Kehrwisch; Ioh. Henr.

Ursini

Vrsini Rettung der Evang. Kirchen / contra Bernh. Neuhauserum, item Bericht und Wahrheit der evang. Glaubens-Lehr / contra Iac. Masenium; Steph. *Clotzii* Tract. de angelolatria; El. Sigism. *Reinharti* Bericht contra Val. Frommium, & Antwort auf der Post ad Matth. Tannerum; Ioh. *Quistorpii* Catechesis antipapistica; Hier. *Kromayeri* Dispp. de Ecclesiae rom. apostasia, & Theologia positivo-polemica; Men. *Hannekenii* Examen Manualis Becani, & Irenicum contra Thom. Henrici; Andr. Henr. *Bucholzii* Tractatus de indulgentiis; Balth. *Cellarii* Dispp. in Concilium tridentinum; I. *Mülleri* Antiiansenius; I. *Reinbothi* Ausführl. Beweiß contra Iod. Keddium; I. *Botsacci* Tract. de ecclesia rom. papistica, Contradictiones pontificiae, & contra El. Schilleri Grundfeste evangel. Wahrheit; Henr. *Mülleri* Causa Augustorum, contra Bellarminum, Bzovium aliosque, & Patrocinium coniugii clericorum; Petri *Haberkornii* Vindicatio luther. fidei contra Helfr. Vlr. Hunnium, Syntagma dissert. theologicarum, Antivalerianus, Relatio actionum inter Haberkornium & Valerianum Magnum, Decas dispp. theol. contra Keddium & Forerum; I. Christoph. *Seldii* Topica marcelliana, Antimarcellius, Exercitationes antimarcellianae; Tobiae *Wagneri* Censura motivorum Christoph. Besoldi, eiusque Apologeticus; I. *Musaei* Biblia Lutheri vindicata contra Vit. Erbermannum, Tract. de ecclesia contra eundem, & Vertheid. der Augsp. Confession contra Iod. Keddium; Gerh. *Titii* Ostensio summaria, Vindicatio aug. conf. contra Bellarminum, Exercitationes academicae, Animadversiones in Motiva ser. Hassiae Landgravii consignata ab Adr. & Petro De Walenburch, Responsio ad XII. postulata Keddii, Tract. de phrasib. vet. eccles. Doctorum, Prüfung des Hildesheim. papist. Probirsteins /

Heimsendung M. O. Sonnemanns; I. *Meisneri* Synopsis controvers. papisticarum; Sam. *Pomarii* Examen Examinis keddiani; I. Ad. *Scherzeri* Antibellarminus, Schillerus quadrilinguis, & Refutatio M. Frid. Dörffelii; Aug. *Varenii* Theologia controversa, & Antipapismus orthodoxus; Herm. *Conringii* Animadversiones in I. Mülmanni Assert. de purgatorio, Defensio ecclesiae Protestantium, Fundamentorum fidei pontificiae concussio, huiusque Defensio contra Valerianum Magnum, Christoph. Haunoldum, & Vitum Erbermannum; F. Vlr. *Calixti* Tractatus de igne purgatorio contra I. Mülmannum, & B. Mariae virg. immaculatae concept. Historia; Christiani *Dreieri* Controversiae cum Pontificiis; Melch. *Zeidleri* Keddius refutatus, & Lutherus defensus; Aug. *Pfeifferi* Antipapismus: Mart. *Buceri* Colloquia duo ratisbonensia, & Disputatio cum Barthol. Latomo; Petri *Molinaei* Novitas papismi; Innoc. *Gentileti* Examen conc. tridentini; Phil. *Mornaei* Mysterium iniquitatis; Dan. *Chamieri* Panstratia catholica, contra Bellarminum; Fr. *Gomari* Anticosterus; Conr. *Vorstii* Antibellarminus; Guil. *Amesii* Bellarminus enervatus; Andr. *Riveti* Catholicus orthodoxus, & Iesuita vapulans; I. *Dallaei* Apologia, & libri de Satisfact. human. item de Cultus religiosi obiecto; I. *Crocii* Antibecanus; Lud. *Le Blanc* Theses theologicae; Gul. *Forbesii* Considerat. controversiarum; autor of the Raisons for abrogating the Test, qui in Actis eruditorum A. 1688. p. 570. dicitur esse Sam. *Parcker*, Episcopus oxoniensis; Le Protestant pacifique par Leon *De la Guitonniere*; I. *Claudii* Defensio reformat. adversus Arnaldum, Responsio ad Collationem Episcopi meldensis, Considerationes ad epist. circular. Cleri gallicani; Ioh. Henr. *Heideggeri* Anatome concilii tridentini, nec non Historia papatus; & Petri

Petri *Iurieu* Novum systema de ecclesia & analysi fidei, Praeiudicia adversus papismum, Historia calvinismi & papismi parallela, Examen Animadversionum Arnaldi, & Compendium historiae concilii tridentini.

Melanchthon, *Bucerus*, *G. Calixtus*, *Gentiletus*, *C. Vorstius*, *Le Blanc*, *Gul. Forbesius*, *Parker*, *De la Guitonniere*] Hi sunt ex eorum numero, qui moderatius contra Pontificios disputarunt, Et de horum ultimo videsis Acta erudit. A. 1684. p. 356. Sic & inter Pontificios moderationis & candoris laudem meruerunt *Erasmus*, *Vives*, *Ferus*, *Wicelius*, *Cassander*, *Espencaeus*, *Godavius*, Card. *Perronius*, *Richerius*, *Vigorius Launoius*, Petrus *De Marca*, *Gerbasius*, *Veronius*, *Walenburchii*, *Volusius*, Aug. Gibbon *De Burgo*, *Bossuetius*, *Le Fevre*, Rich *Simon*, *Du Pin*, plures alios ut taceam.

ADDITAMENTUM.

HActenus quidem enumerare studui illos Pontificiis oppositos libros, quos vel ipse observavi, atque in usus notavi meos, vel quos in bibliotheca mea possideo; at nunc tamen animadverto, esse non nullos, qui oculos meos effugerunt, adeoque in recensione praeteriti a nobis fuere. Eos igitur hic loci subiungam, suntq; sequentes: Matth. *Flacii* Catalogus testium veritatis; Wenceslai *Linckii* Dialogus der ausgelauffenen Mönche; Iac. *Andreae* Abfertigung des Vortrabs Frid. Staphyli; Tilem. Heshusii Tractat vom Unterschied der cathol. und päpstl. Lehre; Fratris *Wilhelmi de Stutgardia* Petitorium exhortatorium; Wilh. *Bidenbachii* & Lucae *Osiandri* Responsio ad Iesuitarum dilinganorum assertiones; *Theologorum Saxonicorum* Vertheidung des evang. Augapfels / id est, Augustanae confessionis, & eiusdem Hauptvertheidigung per eosdem; Alphonsi *De Vargas* (id est, Gasp. *Scioppii*) Relatio de Sratagematis & sophismatis politicis Soc. Iesu, & Monarchia solipsorum; Ioh. *Thomae* Confessio fidei orthodoxa,

opposita Confessioni Iac. Masenii; Matthiae *Berneggeri* Idolum lauretanum; Matthiae Maximil. *De* Parasin Petra salutis; Theodori *Thummii* liber von Annehmung der päpstl. religion; *Theologorum rinthelensium* scriptum germanicum eadem de materia; Henr. Mart. *Eccardi* Wiederlegung der Wittfeltischen Behauptung der Reckischen IX. motiven; Andr. *Libavii* Gretserus triumphatus, seu de colloquio ratisbonensi; Melch. *Ab Haiminsfeld*, dicti Goldasti, Constitutiones imperiales, Reichshandlungen/Reichssatzungen/Politische Reichshändel; Herm. *Conringii* liber contra Novenam Antonii de Padua, & Vindicatio eiusdem scripti contra P. Dionysium Werlensem; Ioh. *Cluveri* Tractatus de Roma pontificia, quod sit Ierosolyma apostatica; I. *Himmelii* Solutio argumentorum Helfr. Vlr. Hunnii, & Mataeologia papistica; Mart. *Beerii* Fortpflantzung evang. Wahrheit/ Antivenator, & libellus von Anruffung der heil. Engel / und der verstorbenen Heiligen/ item die Unfehlbare und stets beharrende Kirch Christi / & Gründliche Widerlegung des kurtzen Beweises Herrn Viti Erbermanni; Balth. *Bebelii* Evangel. Glaubens-Krafft und schrifftmäßige Prüfung der 12. Catholischen Glaubens-Stärckungen; Christiani *Kortholti* Aterrimus papatus contra Laubenbergerum, & Beelzebub romanus; El. *Veielii* S. Augustinus veri falsique in capitalioribus, quae nobis cum pontificiis doctoribus intercedunt, controversiis, fidelis index; Ioh. Wilh. *Baieri* Gründl. Erweisung; Guil. *Barclaii* contra Bellarminum de Potestate papali liber; Sam. *Maresii* Compendiosa papismi refutatio; Iani Alexandri *Ferrarii* (id est, Ioh. Lud. *Fabricii*) Euclides catholicus contra Walenburchios.

CON-



CONTROVERSIAE
CVM
REFORMATIS.

SI controversiae quae ecclesiis Evangelicorum seu Lutheranorum cum Reformatis (neque enim *Calvinianorum* nomen usurpare volumus, quod, ut factiosum, Reformatis minime placere scimus) hodie intercedunt, paulo accuratius inspiciantur, deprehendetur, reduci illas posse ad tres potissimas, quarum prima est de *coena Domini*, quae causam schismati praebuit; secunda de *persona Christi*, quae ex prima nata est; tertia de *decreto electionis & reprobationis*, quae Augustini temporibus in ecclesia christiana agitata est, & Praedestinatianis, sancti illius patris auctoritate abutentibus, nomen dedit, atque avorum nostrorum memoria recruduit Remonstrantes inter & Contraremonstrantes, ac denique post B. Lutheri obitum Ecclesiam nostram cum Reformata commisit. *Controv. potissimae tres.*

Evangelicorum seu Lutheranorum cum Reformatis] De hac distinctione adducere lubet verba G. Calixti: *Qui suam ecclesiam*, inquit ille, *reformarunt, & a corruptelis, superstitionibus & abusibus, ambitioni & avaritiae famulantibus, sive ad conciliandam clero dignitatem & potentiam, & augendum quaestum facientibus, repurgarunt, inde volunt dici* Reformati. *Equidem non admodum probo, appellationes Christianorum ab alio, quam ab ipso Christo derivari: interim quoniam partes inter se*

ter se divisae & discrepantes, vocabulis aliquibus omnino distinguendae sunt, potest eis nomen concedi, *ita tamen, ne nostri a simili reformatione alieni esse, vel eam non respicere insimulentur. Qui quidem* Evangelici *non male appellantur, non quod alii ab evangelio sint alieni, sed discriminis ergo, ut dixi: aut ideo, quod evangelio ab Evangelistis conscripto omnia ad salutem necessaria comprehendi affirmant.* Haec Calixtus in Actis cum sereniss. Landgr. Hassiae Ernesto p. 180. Cassander de Off. pii viri (operum) p. 791. auctor Rationis ineundae concord. p. 8. Amyrald. in Iren. p. 5. Theologi aberdonienses in Gesselii Hist. eccl. parte 2. p. 702. Ein Christl. Gespräch 2. Wanders-Leute p. 8. 15. Iof. Halli Pax terr. p. 44. eiusdemque oratio paraenet. P. 1. Actorum synodi dordr. p. 43. Theologi bremenses in Holzfusii disp. de Praedest. p. 70. & Amoen. nostrae theol. p. 570.

Ad tres potissimas] Ioh. Berg. Vom Unterscheid und Vergleich der Evangel. p. 3. Reliquae enim, v. g. de Baptismo, & Adiaphoris, sunt minoris momenti, & compositis potissimis, facile & ipsae poterunt componi & finiri.

Prima de coena Domini caussam schismati praebuit.] G. Calixt. de Toler. Reformat. §. 49.

Secunda de persona Christi ex prima nata est] Dum quidam ex Evangelicis veram, realem & substantialem corporis Christi praesentiam in S. coena volebant probare ex unione personali & ubiquitate corporis Christi. Tunc enim certo modo negarunt Reformati, dici posse, *Humanam Christi naturam esse omnipraesentem, omniscium, omnipotentem.* I. Berg. de discrim. & conc. Evangel. p. 38.

Tertia, quae Augustini temporibus &c.] De quo vide G. Calixtum de Toler. Reform. §. 15. B. Cellar. in disp. de Praedest. p. 2. §. 41. 58. 105. adeoque Ioh. Bergio relinquitur probandum illud, quod scribit, controversiam hanc ex studio partium supervenisse, dum una pars alterius mentem non satis recte perceperit, ac in peiorem partem interpretata sit. l. c. p. 77.

De Coena Domini.

Sententia nostratium.

Atque ut a doctrina de Coena Domini initium capiamus, docent nostrates, *quod in coena dominica corpus & sanguis Chri-*

Christi vere adsint, & distribuantur vescentibus. Aug. conf. art. 10. *De sacramento altaris sentimus, panem & vinum in coena, esse verum corpus & sanguinem Christi, & non tantum dari & sumi a piis, sed & ab impiis christianis.* Art. smalcald. part. 3. art. 6. p. 330. Hanc sententiam ita exponit Gerhardus: *Quamvis in sacra coena panem & vinum ex Christi ordinatione accipiamus, manducemus & bibamus, non tamen nudum panem & nudum vinum accipimus*, sed panis, quem frangimus, est *communicatio corporis Christi*, & poculum, cui benedicimus, *est communicatio sanguinis Christi.* 1. Cor. 10, 16. *Vnde Irenaeus* l. 4. c. 34. *graviter monet*, panem, qui invocationem Dei in administratione coenae percipit, non esse communem panem, sed eucharistiam duabus rebus constare, terrena scilicet & coelesti. *Quam vere igitur in sacra coena praesens est res terrena, panis & vinum*, tam vere etiam praesens res coelestis, *corpus & sanguis Christi. Proinde credimus, docemus & confitemur in eucharistiae sacramento* veram, realem & substantialem corporis & sanguinis Christi praesentiam, *exhibitionem, manducationem & bibitionem: quae praesentia non est essentialis conversio panis in corpus, & vini in sanguinem Christi, quam* transsubstantiationem *vocant; neque est corporis ad panem, ac sanguinis ad vinum, extra usum coenae*, localis aut durabilis affixio; *neque est panis & corporis Christi* personalis unio, *qualis est divinae & humanae naturae in Christo unio; neque est* localis inclusio *corporis in panem; neque est* impanatio, *neque* incorporatio in panem; *neque est* consubstantiatio, *qua panis cum corpore Christi, & vinum cum* ipsius

Rrr 2

Consubstantiatio) Consubstantiatio seu *coëxistentia* vel *impanatio* dicitur, qua corpus in pane tanquam in subiecto seu continente inclusum, aut physice & localiter in pane delitescit, & extra sacramenti usum in eo durabiliter permanet. Hospinan. Hist. sacram. part. 2. p. 6.

ipsius sanguine in unam massam physicam coalescat; *neque est* naturalis inexistentia, *neque* delitescentia corpusculi sub pane; *neque quicquam huiusmodi* carnale aut physicum, *sed est* praesentia & unio sacramentalis, *quae ita comparata est*, *ut iuxta ipsius salvatoris nostri*, *veracis*, *sapientis & omnipotentis*, *institutionem*, *pani benedicto tanquam medio divinitus ordinato corpus*, *& vino benedicto*, *tanquam medio itidem divinitus ordinato*, *sanguis Christi*, modo nobis incomprehensibili, *uniatur*, *ut cum illo pane corpus Christi una manducatione sacramentali*, *& cum illo vino sanguinem Christi una bibitione sacramentali in sublimi mysterio sumamus*, *manducemus ac bibamus*: *Breviter*: *non* ἀπουσίαν absentiam, *non* ἐνουσίαν inexistentiam, *non* συνουσίαν consubstantiationem, non μετουσίαν transsubstantiationem, *sed* παρουσίαν praesentiam *corporis & sanguinis Christi in sacra coena statuimus.* L. de S. coena §. 69. Idemque inferius repetit, scribens: *Monemus denuo propter calumnias adversae partis*, *nos nec* impanationem, *nec* consubstantiationem, *nec ullam aliam* physicam, vel localem praesentiam *statuere*, *sed credimus*, *docemus & confitemur*, *iuxta ipsius Christi institutionem*, modo soli Deo cognito, nobis vero incomprehensibili, *pani eucharistico*, *tanquam medio divinitus ordinato*, *corpus Christi vere*, *realiter & substantialiter praesens*, *vino eucharistico sanguinem Christi itidem vere*, *realiter ac substantialiter praesentem uniri*, *ut cum illo pane verum Christi corpus*, *cum illo vino verum Christi sanguinem in sublimi mysterio sumamus*, *manducemus*, *& bibamus*. *Haec* praesentia *dicitur* sacramentalis, *non eo sensu*, *quo adversarii hac voce utuntur pro* σχετικῇ significativa praesentia, *sed quia res coelestis in hoc mysterio*, *mediantibus symbolis sacramentalibus*, *nobis confertur & exhibetur*. *Dicitur* vera & realis *praesentia*, *ad excludendum figurativae*, *imaginariae & repraesentativae praesentiae figmen-*

figmentum: *dicitur* substantialis *praesentia*, *ad excludendum adversariorum effugium de sola corporis & sanguinis Christi efficacia in hoc mysterio praesente*: *dicitur* mystica, supernaturalis & incomprehensibilis *praesentia*, *quia non modo aliquo huius seculi, sed mystico, supernaturali & incomprehensibili corpus & sanguis Domini in hoc mysterio adsunt. Quidam ex nostratibus secuti Cyrillum l.* 10. *in Ioh. c.* 13. corporalem *praesentiam vocarunt respectu habito ad obiectum, nequaquam vero ad modum, & voluerunt hoc dicere, non solam virtutem & efficaciam, sed ipsam substantiam corporis & sanguinis Christi in S. coena praesentem esse*: *opposuerunt enim hanc vocem praesentiae spirituali, prout ab adversariis ea definitur, nequaquam vero hoc voluerunt, quod modo corporali & quantitativo corpus Christi praesens sit.* § 98.

Georgius Calixtus confessionem nostratium putavit his verbis comprehendi posse: *In S. eucharistia sive coena dominica adsunt, & quando editur panis, editur quoque corpus, (vocibus proprie & non figurate acceptis) & quando bibitur vinum, bibitur quoque sanguis Domini, non quidem* mediante solum fide, *per quam citra omne sacramentum corpus Christi a fidelibus editur & sanguis bibitur, non tamen proprie, sed metaphorice, nulloque inter esum & potum, quale hic manifestissimum est, discrimine; nec mediante vel* transsubstantiatione panis, *vel* ubiquitate corporis Christi, *vel* eius locali aliqua inclusione, alligatione, *aut* commixtione, *nec interventu* descensus & ascensus, *sed* modo supernaturali, *quem simpliciter & in solidum divinae omnipotentiae imputamus & committimus, nobis alias plane incognito, ineffabili, incomprehensibili & indeterminabili*, vere *tamen* & secundum ipsam substantiam. *Hoc*

 enim

Quidam ex nostratibus] Ipse etiam Luth. in Colloq. marpurg. ap. Chytr. H. A. C. p. 646.

enim ut credamus, Christo simpliciter & perspicue affirmanti debemus. Modum *autem* inexplicabilem esse; *haud temere ulli inficias iverint, etiamsi alii atque alii hos illosve modos, scrutando, & ad praeconceptas opiniones vel privata emolumenta torquendo, excogitaverint. Coeterum* in occultis Dei operibus, *ut bene loquitur Augustinus l. 4. de Origine animae* c. 23. non aliquid ignorando, sed temere incognita pro cognitis adstruendo, & falsa pro veris proferendo ac defendendo peccatur. *Exhibet autem Servator corpus suum manducandum, & sanguinem bibendum, ex ingente erga fideles suos amore, ut in eis excitetur & alatur seria, fervens, & efficax recordatio corporis pro nobis in mortem traditi, & sanguinis in remissionem peccatorum effusi, i. e. passionis & mortis Domini.* In Considerat. doctrinae Reformat. p. 112.

Form. conc. statum praesentis controversiae hoc modo proponit: *Quaeritur, an in S. coena verum corpus & verus sanguis domini nostri Iesu Christi*, vere & substantialiter sint praesentia, *atque cum pane & vino distribuantur, & ore sumantur ab omnibus illis, qui hoc sacramento utuntur, sive digni sint sive indigni, boni aut mali, fideles aut infideles, ita tamen, ut fideles e coena Domini consolationem accipiant, infideles autem eam ad iudicium sumant? Cingliani hanc praesentiam & dispensationem corporis & sanguinis Christi in S. coena negant: nos vero eandem asseveramus.* In Epit. art. p. 597. Idemque repetitur in Solida declaratione, ubi dicitur: *Etsi Sacramentarii quidam in eo elaborant, ut quam proxime verbis ad Augustanam confess. accedant, & nostrarum ecclesiarum formas loquendi usurpent. ac fateantur, quod in coena Domini* corpus Christi vere a fidelibus accipiatur: *attamen, quando serio urgentur, ut sententiam suam ingenue, aperte & perspicue profiteantur, tum uno ore omnes animum suum declarant, quod credant, verum*

rum & substantiale Christi corpus eiusque sanguinem, a benedicto pane & vino in coena sacra tanto locorum intervallo abesse, quanto summum coelum ab infima terra distet. — *Quare cum de praesentia corporis & sanguinis Christi in coena loquuntur*, non volunt ea in terris adesse, nisi respectu fidei nostrae, *h. e. fidem nostram dicunt per visibilia symbola, perinde ut verbum praedicatum, commoneferi & excitari, ut sese attollat, atque omnes coelos transcendat, & hoc modo praesens in coelo corpus Christi eiusque sanguinem (immo ipsum Christum cum omnibus beneficiis suis)* vere & substantialiter, sed tamen spiritualiter tantum *sumat, eoque fruatur. Sentiunt enim, uti panis & vinum hic sunt in terris, & non in coelo, ita* corpus Christi iam in coelis esse, & non in terra: *quare in coena Domini nihil aliud ore sumi, quam panem & vinum.* — Spiritualem tantum praesentiam credunt, *h. e. quod Christus tantum virtutis, operationis & beneficiorum suorum per fidem nos participes faciat. Quare splendidis & magnificis verbis illis, multis magnis & praeclaris viris imposuerunt, quando nimirum affirmarunt atque iactitarunt*, se plane nihil aliud sentire, quam quod dominus Iesus Christus, vere, substantialiter, vivus, in sacra sua coena praesens sit. *Hoc autem intelligunt ipsi* tantum de ipsius divina natura, *non autem de ipsius carne & sanguine: de his enim sentiunt, ea tantum in coelis, & praeterea nullibi esse, ideoque Christum nobis pane & vino verum corpus & verum sanguinem manducandum & bibendum dare, spiritualiter per fidem, sed non corporaliter, ore sumendum.* p. 725.

Ex hisce igitur patet, nostrates, quando asserunt, corpus & sanguinem Christi vere & substantialiter praesentia esse in eucharistia, non quaerere 1. de *modo praesentiae*, nec 2. de *impanatione & locali inclusione*, nec 3. de *relatione corporis* *Status controversiae.*

poris ad signum, nec 4. de *effectibus corporis Christi in animis credentium*, nec 5. de *praesentia improprie dicta seu obiectiva*, qua aliquid animo, cogitationibus, fidei praesens esse dicitur, nec 6. de *descensu corporis Christi e coelo*, quo dextram Patris & sessionem ad illam relinquat; nec 7. de *praesentia, quae fundetur in ubiquitate corporis Christi*; sed de simplici & vera praesentia.

Origo huius controversiae. Controversiam hanc aiunt natam esse ex curiositate, dum Bertramus sec. IX. praesentiam corporis Christi negavit, ut impossibilem; quem postea secuti sint Berengarius, Wiclefus, Waldenses in responsione ad Augustini literas (nam antea in confessione ad Vladislaum regem Hungariae, satis convenienter locuti fuerant) Zwinglius, Oecolampadius. Alii hisce etiam adiungunt Calvinum: sed eius sententiam seorsum recensebimus, si prius, quid confessiones ecclesiarum reformatarum publicae, quae in Corpore & syntagmate confessionum fidei, edito Genevae anno 1654. iunctim exhibentur, hac de re doceant, perceperimus.

Sententia Reformatorum. Nempe Confessio IV. Civitatum (Argentorati, Constantiae, Memmingae & Lindaviae) quae & *Argentinensis* dicitur, anno 1530. Imperatori Carolo V. in Comitiis augustanis exhibita, docet, Christum omnibus, qui hanc coenam, ut ipse instituit, repetunt, *verum suum corpus, verumque suum sanguinem, vere edendum & bibendum*, in cibum potumque animarum, quo illae in aeternam vitam alantur, dare, ut iam ipse in illis, & illi in ipso vivant & permaneant, in die novissimo in novam & immortalem vitam per ipsum resuscitandi. Praecipua vero diligentia populi animos ecclesiastas suos ab omni tum contentione, tum supervacanea & curiosa disquisitione ad illud revocare, quod solum prodest, solumque a Christo servatore nostro spectatum est, nempe ut ipso

ut ipso pasti, in ipso & per ipsum vivamus vitam Deo placitam, sanctam, & ideo perennem quoque & beatam, simusque inter nos omnes unus panis, unum corpus, qui de uno pane in S. coena participamus. Et falso iactari, *se verba Christi immutare & humanis glossis concerpere, nec nisi merum panem merumque vinum in suis coenis administrare*, ipsamque adeo Domini coenam apud se contemptam esse atque reiectam. Nam summo suos studio semper docere & hortari, ut *simplici quisque fide haec domini verba*, reiectis universis hominum commentis falsisque glossis, amplectatur, part. 1. p. 193.

Confessio helvetica anni 1536. *Accipiunt fideles, quod datur a ministro Domini, & accipiunt panem Domini, ac bibunt de poculo Domini*, intus interim opera Christi, per Spiritum sanctum, percipiunt etiam carnem & sanguinem Domini, *& pascuntur his in vitam aeternam.— Manducatio non est unius generis*; *est enim* manducatio corporalis, *qua cibus in os percipitur ab homine, dentibus atteritur, & in ventrem deglutitur. Hoc manducationis genere intellexerunt olim Capernaitae, sibi manducandam carnem Domini, sed refutantur ab ipso. Nam ut caro Christi corporaliter manducari non potest citra flagitium aut truculentiam, ita non est cibus ventris—Est &* spiritualis manducatio *corporis Christi, non ea quidem, qua existimemus cibum ipsum mutari in spiritum, sed qua manente in sua essentia & proprietate corpore & sanguine Domini, ea nobis communicantur spiritualiter—per fidem. Praeter hanc spiritualem est &* sacramentalis manducatio *corporis Domini, qua fidelis non tantum*

S s 5 *spiri-*

Confessio helvetica] Laudata & probata a Luthero. Stuckius in Dulci Triennio §. 7.

Corporaliter] Id est, modo corporali, & naturali: sicut mox sequitur.

ſpiritualiter & interne participat de vero corpore & ſanguine Domini, ſed foris etiam accedendo ad menſam Domini, accipit viſibile corporis & ſanguinis Domini ſacramentum. Prius quidem, dum credidit fidelis, vivificum alimentum percepit, & ipſo fruitur adhuc: ſed ideo, dum ſacramentum quoque accipit, non nihil accipit; *nam in continuatione communicationis corporis & ſanguinis Domini pergit, adeoque magis magisque inceditur & creſcit fides, ac ſpirituali alimonia reficitur: dum enim vivimus, fides continuas habet acceſſiones. Et qui foris vera fide ſacramentum percipit, idem ille* non ſignum duntaxat percipit, ſed re ipſa quoque, *ut diximus, fruitur.* p. 48. 49. *Ergo corpus Domini & ſanguinem eius, cum pane & vino non ita coniungimus, ut* panem ipſum *dicamus* eſſe corpus Chriſti, *niſi ratione ſacramentali,* aut ſub pane corporaliter latitare corpus Chriſti, *ut etiam* ſub ſpeciebus adorari debeat, *aut* quicunque ſignum percipit, *idem & rem percipiat ipſam. Corpus Chriſti in coelis eſt, & ad dextram patris. Surſum ergo elevanda ſunt corda, & non defigenda in panem, nec adorandus Dominus in pane. Et tamen* non eſt abſens eccleſiae ſuae, celebranti coenam, Dominus. *Sol abſens a nobis in coelo, nihilominus efficaciter praeſens eſt nobis: quanto magis ſol iuſtitiae Chriſtus, corpore in coelis abſens nobis, praeſens eſt nobis, non corporaliter quidem, ſed* ſpiritualiter per vivificam operationem, *& ut ipſe ſe nobis praeſentem futurum expoſuit in ultima coena.* Ioh. 14, 15. 16. *Vnde conſequens eſt,* nos non habere coenam ſine Chriſto, *interim tamen habere coenam incruentam & myſticam, ſicut univerſa nuncupavit antiquitas* p. 50.

Confeſſio baſileenſis anni 1536. *Aſſerimus coenam myſticam, in qua Dominus corpus & ſanguinem ſuum i. e. ſe ipſum ſuis vere ad hoc offerat, ut magis magisque in illis vivat, & illi in ipſo, non quod pani & vino corpus Domini & ſanguis* naturaliter

liter uniantur, *sed quod panis & vinum ex institutione Domini symbola sint, quibus ab ipso Domino per ecclesiae ministeria,* vera corporis & sanguinis eius communicatio, *non in periturum ventris cibum, sed in aeternae vitae alimoniam exhibentur. Itaque immerito fit nostro maximo, quod* quidam nos parum tribuere sacris symbolis putant. *Sunt enim hae res sanctae, venerandaeque, utpote a summo sacerdote Christo institutae & susceptae*, suo, *quo diximus*, modo res significatas exhibentes, *testimonium rei gestae praebentes, res tam arduas repraesentantes, & mirabili quadam rerum significatarum analogia clarissimam mysteriis illis lucem afferentes* p. 70.

Confessio mylhusiana anni 1532. *Sicut baptismo vera aqua manet, ita etiam in coena Domini* (*in qua nobis* cum pane & vino Domini verum corpus & verus sanguis Christi, *per mysterium ecclesiae, praefiguratur & offertur*) *panis & vinum manet. Credimus autem firmiter*, ipsummet Christum cibum esse credentium animarum ad vitam aeternam, *& nostras animas per veram fidem in crucifixum Christum, carne & sanguine Christi cibari & potari.* (In margine annotatur: *Spiritualis namque cibus est, idcoque fideli animae percipitur. Item confitemur, Christum in sua sacra coena omnibus vere credentibus praesentem esse, sacramentaliter nimirum & per memorationem fidei, quae hominis mentem ad coelos attollat, nec Christum secundum humanitatem a dextra Dei detrahat. Ioan. 16. & 11. Eph. 1. 4. & 5. Col. 1.*) *Non* includimus *autem naturale, verum, & substantiale corpus Christi, ex pura virgine Maria natum, pro nobis passum, & quod in coelos ascendit, in Domini panem & potum.* p. 74.

Confessio gallica anni 1561. *Affirmamus, sanctam coenam Domini, alterum videlicet sacramentum, esse nobis testimonium nostrae cum Domino nostro Iesu Christo unionis, quoniam non est duntaxat mortuus semel, & excitatus a mortuis pro nobis,*

bis, *sed etiam* vere nos pascit & nutrit carne sua & sanguine, *ut unum cum ipso facti, vitam cum ipso communem habeamus. Quamvis enim nunc sit in coelis, ibidem etiam mansurus, donec veniat mundum iudicaturus; credimus tamen*, eum arcana & incomprehensibili spiritus sui virtute nos nutrire & vivificare sui corporis & sanguinis substantia, per fidem apprehensa. *Dicimus autem*, hoc spiritualiter fieri, *non ut efficaciae & veritatis loco imaginationem aut cogitationem supponamus, sed potius, quoniam hoc mysterium nostrae cum Christo coalitionis tam sublime est, ut omnes nostros sensus totumque adeo ordinem naturae superet, denique quoniam, cum sit divinum & coeleste, non nisi fide percipi & apprehendi potest. Credimus, sicut ante dictum est, tam in coena, quam in baptismo, Deum nobis* re ipsa, *id est vere & efficaciter donare, quicquid ibi sacramentaliter figurat, ac proinde* cum signis coniungimus veram possessionem ac fruitionem eius rei, quae ibi nobis offertur. *Itaque affirmamus, eos, qui ad sacram mensam Domini puram fidem, tanquam vas quoddam afferunt*, vere recipere, quod ibi signa testificantur, *nempe corpus & sanguinem Iesu Christi, non minus esse cibum ac potum animae, quam panis & vinum sunt corporis cibus. Dicimus itaque — panem illum & vinum illud, quod nobis in coena datur, vere nobis fieri spirituale alimentum, quatenus videlicet veluti oculis nostris spectandum praebent, carnem Christi nostrum cibum esse, & eiusdem sanguinem nobis esse potum.* p. 85. 86.

Confessio anglica anni 1562. *Nec dubitamus, cum eisdem* (catholicis Patribus) *dicere*, sacramenta ecclesiae esse visibilia quaedam verba, signacula iustitiae, symbola gratiae: *diserteque pronunciamus*, in coena credentibus vere exhiberi corpus & sauguinem Domini. *Panem & vinum dicimus* esse sacra & coelestia mysteria corporis & sanguinis Chri-

Christi, *& illis Christum ipsum, verum panem aeternae vitae sic nobis praesentem exhiberi, ut eius corpus sanguinemque per fidem vere sumamus.* — Nec *tamen, cum ista dicimus*, extenuamus coenam Domini, aut eam frigidam tantum ceremoniam esse docemus, & in ea nihil fieri, *quod multi nos docere calumniantur: Christum enim asserimus* vere sese praesentem exhibere in sacramentis suis; *in baptismo, ut eum induamus, in coena, ut eum fide & spiritu comedamus, & de eius cruce ac sanguine habeamus vitam aeternam: idque dicimus, non perfunctorie & frigide, sed* re ipsa & vere fieri. *Etsi enim Christi corpus* dentibus & faucibus *non attingimus, eum tamen fide, mente, spiritu tenemus & premimus.* Neque *vero* vana ea est fides, quae Christum complectitur, nec frigide percipitur, quod mente, fide & spiritu percipitur: *ita enim nobis in illis mysteriis Christus ipse totus, quantus quantus est, offertur & traditur, ut vere sciamus, esse iam nos carnem de eius carne, & os de ossibus eius, & Christum in nobis manere, & nos in illo.* p. 93. 94. 95. Et in articulis eiusdem Synodi londinensis: *Coena Domini non est tantum signum mutuae benevolentiae Christianorum inter sese, verum potius* est sacramentum nostrae per mortem Christi redemtionis. *Atque adeo rite, digne & cum fide sumentibus, panis, quem frangimus, est communicatio sanguinis Christi. — Corpus Christi datur, accipitur & manducatur in coena*, tantum coelesti & spirituali ratione. Medium *autem, quo corpus Christi accipitur & manducatur in coena, fides est.* art. 28 p. 105. item in Benthemii Statu eccles. & schol. anglic. p. 92.

Confessio scoticana anni 1568. *Certo credimus, quod in coena Domini rite usurpata, Christus ita nobis coniungitur, quod* sit ipsissimum animarum nostrarum nutrimentum & pabulum. — *Unio haec & coniunctio, quam habemus cum corpore &*

sanguine Iesu Christi, in recto sacramenti usu operatione Spiritus S. efficitur, qui nos vera fide supra omnia, quae videntur, quaeque carnalia & terrestria sunt, vehit, & ut vescamur corpore & sanguine I. Christi semel pro nobis effusi & fracti, efficit, quodque nunc est in coelo, & in praesentia patris pro nobis intercedit. Fideles *in recto usu coenae dominicae*, talem habere coniunctionem cum Christo Iesu, *qualem naturalis homo non potest apprehendere, affirmamus.* p. 121. 122.

Confessio belgica anni 1561. quae in Synodo dordracena confirmata fuit A. 1619. *Credimus & confitemur, I. Christum servatorem nostrum S. coenae sacramentum ordinasse & instituisse*, ut ea nutriat & sustentet eos, quos iam regeneravit, & in familiam suam, nempe ecclesiam, inseruit.—*Vt autem panem hunc spiritualem & coelestem Christus nobis repraesentaret, panem terrestrem ac visibilem in sacramentum corporis sui, vinumque in sanguinis sui sacramentum instituit, ut iis ipsis testificetur, nos, quam vere hoc sacramentum manibus nostris accipimus, & tenemus, illudque ore comedimus & bibimus, unde postmodum vita nostra sustentatur*, tam vere etiam nos fide (*quae animae nostrae & manus & os est*) in animis nostris recipere verum corpus & verum sanguinem Christi, unici servatoris nostri, ad vitam nostram spiritualem. *Certissimum porro est, Christum non frustra sacramenta sua nobis commendasse. Quapropter omne* id in nobis efficit, quodcunque sacris suis signis nobis repraesentat; quamvis modus ipse mentis nostrae captum superet, nobisque sit incomprehensibilis; *sicut & operatio spiritus Dei occulta & incomprehensibilis est. Interea vero nequaquam erraverimus, dicentes*, id, quod comeditur, esse proprium & naturale corpus Christi, idque quod bibitur, proprium eius sanguinem. *At manducandi modus talis est, ut non fiat ore corporis, sed spiritu per fidem*, p. 144.

Con-

Confessio czengerina, excusa A. 1570. Coenam Domini vocamus sacramentum, a Christo ex pane & vino institutum, *in memoriam mortis suae. Sicut autem* papisticam transsubstantiationem *ex verbo Dei negamus, ita pernegamus* sarcophagiam corporalem & cruentam, *h. e. ore corporali naturale Christi corpus ex virgine natum sumi in coena.* Et panem substantiliter & realiter, *sine ulla transsubstantiatione,* corpus Christi esse, *aut in panem corpus Christi, contra fidei & naturae regulam,* includi, *& in pane* ore carnali ab omnibus in coena sumi. *Nam ut impossibile est, accidentia manere, & sumi sine subiecto, ut Papistae nugantur, videri quidem accidentia panis, sed corpus Christi in missa sumi: ita isti Creophagi aut Sarcophagi delirant, dum somniant,* panem quidem videri, & panem non mutari in corpus, tamen, pane manducato, corpus Christi realiter & substantialiter ore corporali sumi: *id quod contra fidei & naturae regulam est, scilicet disparatas species in aliis specierum formis esse posse substantialiter, & sumi sine mutatione. — Reiicimus & eorum delirium, qui coenam Domini* vacuum signum, *vel* Christi absentis tantum memoriam *his signis recoli docent: nam sicut Christus est amen, testis fidelis, verax, veritas, & vita, ita* coena Domini est praesentis & infiniti aeternique filii Dei, unigeniti a Patre, memoria, *qui se & sua bona, carnem suam & sanguinem suum, i. e. panem vivum & potum coelestem, spiritus sancti ope, per verbum promissionis gratiae,* offert & exhibet electis, *fide vera evangelium Christi apprehendentibus.* — Adest Christus etiam institutione sua sacramentali.---*Non est autem praesens carnaliter, sicut in utero matris, in Iudaea, in sepulcro fuit praesens localiter, quia ascendit in coelum corporaliter, surrexit,* non est hic, *& oportet in coelo esse usque ad diem iudicii.* p. 153.

Con-

Confeſſio ſendomirienſis anni 1570. *Deinde vero quantum ad infelix illud diſſidium de coena attinet*, convenimus in ſententia verborum, ut illa orthodoxe intellecta eſt a Patribus, *ac inprimis ab Irenaeo, qui* duabus rebus, *ſcilicet terrena & coeleſti hoc myſterium conſtare dixit, neque elementa ſignave illa nuda & vacua eſſe aſſerimus, ſed* ſimul re ipſa credentibus exhibere & praeſtare fide, quod ſignificant. *Denique, ut expreſſius clariusque loquamur, convenimus, ut credamus & confiteamur*, ſubſtantialem praeſentiam Chriſti, non ſignificari duntaxat, ſed vere in coena veſcentibus repraeſentari, diſtribui & exhiberi, *ſymbolis adiectis ipſi rei minime nudis, ſecundum ſacramentorum naturam. Ne vero diverſitas formularum loquendi, contentionem aliquam pariat, placuit praeter articulum, qui eſt inſertus confeſſioni noſtrae, mutuo conſenſu adſcribere* articulum Confeſſionis ſaxonicarum eccleſiarum de coena Domini, miſſae ad tridentinum concilium anno 1551. *quem etiam pium agnoſcimus & recipimus*. p. 164. In eo autem dicitur, *in uſu inſtituto in hac communione* vere & ſubſtantialiter adeſſe Chriſtum & vere exhiberi ſumentibus corpus & ſanguinem Chriſti: *Chriſtum teſtari, quod ſit in eis, & faciat eos ſibi membra, & quod abluerit eos ſanguine ſuo, ſicut & Hilarius inquit*: Haec accepta & hauſta efficiunt, ut & nos in Chriſto, & Chriſtus in nobis ſit. p. 166. Atque* Conſenſus iſte ſendomirienſis inter auguſtanae & helveticae Confeſſionis ſocios, ac fratres Bohemos, quos per errorem *Wal-*

* *Conſenſus ſendomirienſis*] De quo quidem I. R. L. de Eccleſ. p. 295. ſcribere non veretur: *Concordia Sendomiriae facta, merito a noſtratibus repudiatur, cum ibi approbata ſit doctrina Calvinianorum*, Interim conſtat, illum in pluribus ſynodis receptum & approbatum eſſe, uti iam dictum eſt. Vide Syntagma confeſſ. part. 2. p. 215. & I. Crocii Summariſch. Nachricht p. 211.

Waldenses vocant, initus, in pluribus postea synodis renovatus & confirmatus fuit, videlicet in posnaniensi A. 1570. Part. 2. Syntagm. confession. p. 222. cracoviensi A. 1573. p. 227. petricoviensi A. 1578. p. 233. wlodislaviensi A. 1583. p. 235. & thoruniensi A. 1595. p. 241.

Confessio bohemica anni 1535. *Et hic corde credendum ac ore confitendum docent*, panem coenae dominicae, verum corpus Christi esse, quod pro nobis traditum est, calicemque verum sanguinem eius, qui pro nobis in remissionem peccatorum fusus est, *ut Christus dominus aperte dicit*: Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus &c. *Docent etiam, quod his Christi verbis, quibus ipse panem* corpus suum, *& speciatim* sanguinem suum esse *pronunciat, nemo de suo quidquam affingat, admisceat aut detrahat, sed simpliciter his Christi verbis, neque ad dextram, neque ad sinistram declinando, credat.* p. 194. Et in Praef. aiunt, *commentos esse malevolos*, se negare praesentiam veri corporis ac sanguinis Christi *in sacramento synaxeos, seu coenae Domini.* p. 162.

Confessio brandenburg. & hassiacorum theologorum in Colloquio seu liquidatione lipsiensi anni 1631. *De S. coena Brandenburgici & Hassiaci, prout in Confessione anni 1530. habetur, per omnia sunt assensi, reiicientes una cum Saxonicis pontificiam* transsubstantiationem, concomitantiam, & perpetuam sacramentalem praesentiam corporis & sanguinis Christi extra mandatum usum, συνουσίαν coëxistentiam, inexistentiam, omnem localem & corporalem modum corporis, & adorationem ad panem, *sive ad speciem panis directam. Praeterea con-*

In Colloquio seu Liquidatione lipsiensi A. 1631.] Quae ab Anglis, Scotis, Hybernis, Gallis, Helvetiis, Transylvanis, nec non aliis, cum germanis tum exteris theologis, adprobata & laudata est, teste Strimesio in IV. Append. ad Crit. concionat. p. 36.

confessi sunt, in S. coena non tantum vera elementa panis & vini, vel tantum efficaciam & operationem, vel nuda signa corporis & sanguinis, sed & ipsum verum essentiale corpus pro nobis traditum, & verum essentialem sanguinem Christi pro nobis effusum, mediante pane & vino benedicto, vere adesse, exhiberi, distribui & percipi *vi unionis sacramentalis, quae non consistit* in nuda significatione, *neque tantum* in obsignatione, *verum* in coniuncta indivisa distributione terrenorum elementorum, & veri corporis & sanguinis Christi. — Porro unanimi utrinque consensu testati sunt, etiam in spirituali perceptione non modo virtutem, efficaciam & operationem, verum *ipsam etiam substantiam corporis & sanguinis Christi, in usu S. coenae*, quae hic in terris peragitur, *percipi*, h. e. *spiritualiter per veram fidem manducari & bibi*; & hanc spiritualem fruitionem ad salutarem S. coenae usum maxime necessariam esse. Nec minus utrinque in eo fuere concordes, quod in sacramenti perceptione *terrena elementa & corpus & sanguis Christi una accipiantur*. Eam vero perceptionem organo oris tam *ab indignis*, quam dignis fieri, Brandenburgici & Hassiaci concedere noluerunt. Nam ut ut non inficiarentur, mediante pane & vino benedicto verum corpus & sanguinem Christi praesentem accipi, id tamen non fieri ore, sed *tantum fide*, qua corpus & sanguis Domini iis, qui S. coena utuntur, spirituali modo uniatur: indignis vero offerri tantum corpus & sanguinem, non vero ab iis per incredulitatem ipsorum recipi, sed prorsus reiici & contemni. p. 16. edit. hagensis anni 1656.

Denique Confessio Reformatorum in conventu thorunensi anni 1645: *Caeterum eas controversias, quae Patrum*

Confess. thorun.] Quae etiam approbata fuit ab aliis Reformatis. Scrimel, Append. ad Crit. concion. p. 37.

trum nostrorum memoria ecclesias occidentis infelici dissidio disiunxerunt, quod attinet, profitemur, ei nos sententiae accedere, quae tum in augustana Confessione, sive eam invariatam, sive repetitam aut emendatam dixeris, tum etiam in bohemica & sendomiriensi ex scripturis explicata, in ecclesiis huius regni reformatis, integrum iam fere seculum obtinuit: prout tres illae confessiones, quamvis verbis nonnihil discrepantes, tamen ut re ipsa cum scripturis & inter sese in capitibus fidei necessariis consentientes, sendomiriensi Consensu anni 1570. in ecclesiis nostris receptae unitaeque sunt, atque etiam confoederatione pacis & securitatis publicae in hoc regno firmatae ac munitae. Integra Confess. huius de S. coena capita vide apud G. Calixtum in Consideratione doctr. Ref. ubi n. 11. aiunt: *Nequaquam etiam negamus veram corporis & sanguinis Christi praesentiam, sed tantum localem & corporalem proesentiae modum.* part. 3. p. 63. *& unionem cum elementis substantialem.* p. 127. Atque ita non ex turbidis, ut forte videantur, Doctorum particularium, aut etiam dissentientium lacunis, sed, ut * ipsi p rcupiunt Reformati, ex fonte publicarum confessionum, Reformatorum mentem & sententiam de S. coena hausimus ac percepimus. Ex quibus sane patet, non negari ab illis veram & substantialem corporis & sanguinis Christi praesentiam in S. coena; sed certum eius *modum*, & *oralem illorum manducationem*, quae fiat tam *ab indignis*, quam dignis hospitibus.

Vt ipsi percupiunt Reformati] Autor praefat. in Syntagm. conf. sub finem, item Epist. dedic. Catholico veterum consensui praemissa 2, Acta Syn. dordrac. P 1. 276. & P. 3. Syntagm. p. 46. Dan. Sachs in Append. ad Confess. fid. dordr. 74. Strimes. in Append. ad Crit. concionat. p. 34. Dallaeus apud Le Févre p. 79.

Speciatim Calvini. Quod autem ad *Calvinum* attinet, ſubſtantialem iſtam praeſentiam & ipſe multoties clariſſimis profitetur verbis, ut quando ſcribit Inſtitut. chriſt. c. 18. § 3. *Horum omnium adeo ſolidam habemus teſtificationem in hoc ſacramento, ut certo ſtatuendum ſit*, vere nobis exhiberi, *non ſecus, ac ſi Chriſtus ipſe praeſens aſpectui noſtro obiiceretur, & manibus attrectaretur. Hoc enim verbum nec mentiri, nec illudere nobis poteſt*: Accipite, edite; hoc eſt corpus meum, quod pro vobis traditur: Bibite, hic eſt ſanguis, qui in remiſſionem peccatorum effunditur. *Quod accipere iubet, ſignificat, noſtrum eſſe; quod edere iubet, ſignificat, unam nobiscum ſubſtantiam fieri*. §. 12. *Sunt, qui manducare Chriſti carnem, & ſanguinem eius bibere, uno verbo definiverunt, nihil aliud eſſe, quam* in Chriſtum credere. *Sed mihi* expreſſius quiddam ac ſublimius *videtur voluiſſe docere Chriſtus in praeclara illa concione* * (Ioh. VI.) *ubi carnis ſuae manducationem nobis commendat, nempe* vera ſui participatione nos viſivicari: *quam* manducandi etiam ac bibendi ſignis ideo deſignavit, ne, quam ab ipſo vitam percipimus, ſimplici cognitione percipi quisquam putaret. §. 13. Quemadmodum enim non aſpectus, ſed eſus panis corpori alimentum ſufficit, ita *vere ac penitus participem Chriſti animam fieri convenit*, ut ipſius virtute in vitam ſpiritualem vegetetur. Interim vero hanc non aliam eſſe, quam *fidei manducationem*, fatemur, ut nulla alia fingi poteſt. Verum hoc inter mea & ipſorum verba intereſt, quod illis manducare eſt duntaxat credere: ego *credendo manducari Chriſti carnem*, quia fide noſter efficitur, eamque manduca-

* *Ioh.* VI.] Quamvis hoc loco de ſacramentali comeſtione & bibitione non agat Chriſtus, ſed tantum de ſpirituali, ſufficit tamen, Calvinum ex hypotheſi, ut ut falſa, ſtatuere, veram Chriſti participationem fieri in *S.* coena.

ducationem fructum effectumque esse fidei dico. Aut si clarius velis, illis manducatio est fides: *mihi ex fide potissimum consequi videtur.* §. 14. Nec alio sensu Augustinus, quem illi patronum sibi advocant, *credendo nos manducare* scripsit, quam ut manducationem fidei esse, non oris, indicaret. Quod neque ipse nego, sed simul addo, *nos fide complecti Christum, non eminus apparentem, sed se nobis communicantem.* Atque id ipsum est, quod alicubi scripsit Chrysostomus, (homil. 60. ad popul. antioch. tom. IV. p. 581.) *Christum non fide tantum, sed re ipsa nos suum efficere corpus.* §. 15. Neque illi praeterea mihi satisfaciunt, qui nonnullam nobis esse cum Christo communionem agnoscentes, eam dum ostendere volunt, nos *spiritus modo participes* faciunt, praeterita carnis & sanguinis mentione; quasi vero illa omnia de nihilo dicta forent, *carnem eius vere esse cibum, sanguinem eius vere esse potum, nec habere vitam, nisi qui carnem illam manducaverit, & sanguinem biberit.* -- Tantum mysterium ne animo quidem satis me comprehendere video, & libenter ideo fateor, ne quis eius sublimitatem infantiae meae modulo metiatur. --- Nihil demum restat, nisi ut in eius mysterii admirationem prorumpam, cui nec mens plene cogitando, nec lingua explicando par esse potest. --- §. 17. Christi caro iure *vivifica* dicitur, quae vitae plenitudine perfusa est, quam ad nos transmitteret. --- Quae omnia non posse aliter effici intelligimus, quin *totus (Christus) spiritu & corpore nobis adhaereat.* --- Extremae ergo dementiae fuerit, nullam agnoscere *cum carne & sanguine Domini fidelium communionem:* quam tantam esse declarat apostolus, ut eam admirari, quam explicare malit. §. 18. Talem corporis & sanguinis sui communicationem Dominus in S. coena testificatur, adeoque offert & exhibet omnibus, qui ad

 spiri-

ſpirituale illud epulum accumbunt: quanquam *a fidelibus ſolis cum fructu percipitur*, qui tantam benignitatem vera fide animique gratitudine ſuſcipiunt. Qua ratione dixit apoſtolus, *panem, quem frangimus, communionem eſſe corporis Chriſti: calicem, quem verbo & precibus in hoc conſecramus, communionem eſſe ſanguinis ipſius.* Nec eſt, quod obiiciat quispiam, figuratam eſſe locutionem, qua ſignificatae rei nomen ſigni deferatur. Fateor ſane, fractionem panis, ſymbolum eſſe, non rem ipſam. Verum hoc poſito, a ſymboli tamen exhibitione, *remipſam exhiberi*, rite colligimus. Niſi enim quis fallacem vocare Deum volet, inane ab ipſo ſymbolum proponi, nunquam dicere audeat. Itaque ſi per fractionem panis Dominus corporis ſui participationem vere repraeſentat, minime dubium eſſe debet, quin *vere praeſtet atque exhibeat.* Atque omnino iſthaec piis tenenda eſt regula, ut, *quoties ſymbola vident a Domino inſtituta, illic rei ſignatae veritatem adeſſe, certo cogitent, ac ſibi perſuadeant.* §. 19. Dico igitur, *duabus rebus conſtare ſacrum coenae myſterium*, corporeis ſignis, quae ob oculos propoſita, res inviſibiles, ſecundum imbecillitatis noſtrae captum, nobis repraeſentant, & ſpirituali veritate, quae per ſymbola ipſa figuratur ſimul & exhibetur. Ea qualis ſit, dum familiariter demonſtrare volo, tria ſoleo ponere, ſignificationem, materiam, quae ex ea dependet, virtutem ſeu effectum, qui ex utraque conſequitur. *Significatio* in promiſſionibus eſt ſita; quae quodammodo ſunt ſigna implicite. *Materiam* aut ſubſtantiam, voco Chriſtum cum ſua morte & reſurrectione. Per *effectum* autem, redemtionem, iuſtitiam ſanctificationem, vitamque aeternam, & quaecunque alia nobis beneficia affert Chriſtus, intelligo. Porro, tametſi fidem haec omnia reſpiciunt, nullum tamen locum relinquo huic

huic cavillo, quasi, dum fide percipi Christum dico, intelligentia duntaxat ac imaginatione velim concipi. Offerunt enim illum promissiones, non ut in aspectu modo nudaque notitia haereamus, sed *ut vera eius communicatione fruamur*. Et sane non video, quomodo in cruce Christi redemtionem ac iustitiam, in eius morte vitam habere se quis confidat, nisi vera Christi ipsius communione inprimis fretus. Non enim ad nos bona illa pervenirent, nisi se prius nostrum Christus faceret. Dico igitur, in coenae mysterio, *per symbola panis & vini, Christum vere nobis exhiberi*, adeoque corpus & sanguinem eius, in quibus omnem obedientiam pro comparanda nobis iustitia adimplevit, quo scilicet primum in unum corpus cum ipso coalescamus, deinde participes substantiae eius facti, in bonorum omnium communicatione virtutem quoque sentiamus. §. 20. Neque tamen praesentia Christi in sacramento talis somnianda nobis est, -- *ac si locali praesentia corpus Christi manibus attrectandum, atterendum dentibus, ore deglutiendum sisteretur*: siquidem ut finitum esse, pro perpetua corporis humani ratione, minime ambigimus, coeloque contineri, quo semel receptus est, donec ad iudicium redeat; ita sub haec corruptibilia elementa retrahere ipsum, aut ubique praesens imaginari, prorsus ducimus nefas esse. Neque id sane opus est, quo ipsius participatione fruamur, quando hoc beneficii per spiritum suum nobis Dominus largitur, ut unum corpore, spiritu, & anima secum fiamus. *Vinculum ergo istius coniunctionis est spiritus Domini*, cuius nexu copulamur, & quidam veluti canalis, per quem, quicquid Christus & est, & habet, ad nos derivatur. §. 22. Nobis autem hoc agendum, ut talem Christi in coena praesentiam cogitemus, quae nec panis elemento ipsum *affigat*, nec in panem

nem *includat*, nec ullo modo *circumſcribat*: quae omnia derogare coeleſti eius gloriae, palam eſt: deinde quae nec *menſuram* illi ſuam auferat, vel pluribus ſimul locis *diſtrahat*, vel *immenſam illi magnitudinem* affingat, quae per coelum & terram diffundatur: haec enim naturae humanae veritati non obſcure repugnant. --- Caeterum his abſurditatibus ſublatis, * *quicquid ad exprimendam veram ſubſtantialemque corporis ac ſanguinis Domini communicationem*, quae ſub ſacris coenae ſymbolis, fidelibus exhibetur, facere poteſt, libenter recipio, atque ita, ut non imaginatione duntaxat aut mentis intelligentia percipere, ſed ut *re ipſa frui*, in alimentum vitae aeternae, intelligantur. Hactenus Calvinus in ſua Inſtitutione, quae pro optimo eius libro habetur, teſtibus Hoffmanno in Lex. item Scaligeranis p. 76. & Teiſſiero in Elog. viror. erudit. Idem etiam profitetur in ſuis Tractatibus, cumprimis ubi de S. coena ex profeſſo agit, nec non in Epiſtolis, quae extant in operum eius tomo IX. ut pag. 23. 37. 82. 113. 116. 126. 184. & 267. Huius ultimi loci verba haud gravabimur excerpere: *Satis conſtat, repraeſentari in S. coena fidelibus communionem, quam habent cum Chriſto: neque res controverſiam habet. Nunc quaeritur, ſignificetne duntaxat illic Chriſtus, ac ſigno externo figuret, nos corporis & ſanguinis ſui eſſe participes, an* re ipſa *etiam adimpleat ac praeſtet, quod promittit, nos fieri ſcilicet participes corporis & ſanguinis ſui, ut totus noſter fiat, quo omnia eius bona, iure commmunionis, ad nos pertineant. Nos vero ſentimus ac docemus*, repraeſentationem veram eſſe, *idemque efficaciter illic exhiberi, quod ſigno viſibili promittitur. Hoc aliter fieri*

* *Quicquid*] In hisce verbis continetur doctrina omnium Eccleſiarum reform. de praeſentia corp. & ſangu. Chriſti in S. coena. Strimeſ. in Epiſt. irea. ad D. S. Scult. p. 105. 106. Pierce p. 243.

fieri non poteſt, quin fideles, dum ſignum recipiunt, corpori ac ſanguini communicent; quod eſt habere veritatem ſigni. *Ac ne ambiguum ſit, quod dicimus, hic definiendum eſt, quid ſit* corpori ac ſanguini Domini communicare. *Porro non accipimus hanc phraſin pro ſimpliciter credere, ſed pro eo, quod eſt fide recipere Christum, ut non tantum in nobis habitet aut maneat, ſed etiam in unum corpus cum ipſo coaleſcamus. --- Id cum volumus exponere, dicimus, ſpiritualiter fieri, & verbum* * ſpiritualiter *duo comprehendit, nempe hoc eſſe opus mirabile ſpiritus ſancti, quod captum mentis noſtrae excedit, quemadmodum Paulus admiratione captus exclamat,* magnum hoc eſſe myſterium: *deinde manducationem hanc non fieri carnali modo, ut corpus dentibus atteratur, vel ore deglutiatur, vel in alvum deſcendat. In hunc modum excludimus abſurdas omnes illas imaginationes, quibus mundus detinetur de* locali praeſentia, *vel* diffuſione corporis glorificati. *Neque enim talem Chriſti praeſentiam in S. coena concipimus, quae vel panis elemento ipſum affigat, vel in panem includat, vel alio modo circumſcribat, — nihilo etiam magis, quae menſuram illi ſuam auferat, vel pluribus ſimul locis diſtrahat, vel immenſam illi magnitudinem affingat: quae humanae naturae veritati haud obſcure repugnet. — Modo ne obſcuretur vel extenuetur ineffabile illud beneficium, in quo tota coenae vis & efficacia conſiſtit, nempe exhiberi nobis, quod figuratur. Quod fieri non poteſt, niſi recipiamus, illic corpus & ſanguinem Domini, non phantaſia aut apprehenſione mentis, ſed re ipſa ita nobis offerri, ut vera ſubſtantialique unitate cum ipſo cohaereamus.*

Quid autem ad hanc Calvini confeſſionem noſtrates? Dicunt, eum fuiſſe inconſtantem, & in Conſenſione mutua (cum Tigurinis) c. 25. negaſſe, quam antea adſtruere

 vide-

* *Spiritualiter*] C. Bergius Them. theol. p. 211. Form. conc. 755.

quanti rationes, quas affert pro se, nec pluris: *& ut idem rursus in Responsione ad cardinalis Bellarmini Apologiam* c. 7. p. 162. Tam non Calvinum, quam neque Papam sequimur, ubi a Patrum vestigiis hic vel ille discedit. Hactenus Forbesius p. 374. Cui adde theologos marpurg. in Epistola Rintelensium apologet. p. 24. Matth. Bochart. in Diallact. p. 109. I. Berg. in Discrim. & concil. Evang. p. 201.

De publicis Reform. confessionibus

Itaque, misso Calvino, redeamus ad confessiones publicas, & quid in illis desiderent nostrates, audiamus. Poterit autem huius rei compendium fieri, si Thoruniensem h.e. ultimam, cumque prioribus omnibus ipsa in re consentientem, & formatum de ea iudicium G. *Calixti* nobis proposuerimus. Nimirum *verba quidem confessionis*, inquit ille, *satis proba sunt, num. I.* Christus corpus suum pro nobis traditum, & sanguinem N. T. pro nobis effusum, in potum ac cibum spiritualem vitae aeternae nobis se exhibere & communicare testatur. *Num.* II. Corpus & sanguis Domini, verissime & praesentissime nobis exhibentur. *Num.* X. Nequaquam statuimus nuda, vacua, inania signa, sed potius id, quod significant & obsignant, simul vere exhibentia. *Num. XI.* Patet, non solum virtutem, efficaciam, operationem, beneficia Christi nobis praesentari & communicari, sed inprimis ipsam substantiam corporis & sanguinis Christi, seu ipsam illam victimam, quae pro mundi vita data est. *Si haec capiantur, ut iacent & sonant, nihil merito desiderari amplius poterit. Turbant autem, quae habentur num VII.* Non statuimus ullam inclusionem, inexistentiam (*hactenus bene*) coëxistentiam (*si vere manducatur substantia corporis Christi, quando manducatur benedictus panis, non poterit simpliciter omnis coëxistentia, quamvis ea insensibilis & inobservabilis sit, excludi*) aut localem & corporalem praesentiam, (*ratione modi*

conceditur: non ita adest corpus, ut locum repleat, vel loco commensuretur, quemadmodum secundum naturam corpora adesse solent; vere tamen adest) aut talem elementorum cum Christi corpore unionem, per quam illud oraliter, tam ab indignis & impiis, quam a piis & fidelibus manducetur. Manducari *proprie, & non tropice vel metaphorice, in formali intrinsecaque sua ratione includit, ut ore fiat. Nec ut verbis dominicis veritas respondeat, a dignitate vel indignitate manducantium pendet.* Sic ille in Consideratione doctr. Reformat. p. 78. 79. Conferatur etiam autor anonymus scripti germanici de Ratione ineundae concordiae, p. 8. Vnde apparet, tria adhuc esse controversa inter nos & Reformatos, videlicet *corporis Christi coëxistentiam*, eiusque *manducationem oralem*, & *manducationem eiusdem, quae fiat etiam ab indignis & impiis.*

Sicut autem de manducatione indignorum deinde seorsum acturi sumus, ita nunc distinctius consideranda est cum coëxistentia, tum manducatio oralis. Qui quidem termini non ex sacra scriptura, sed ex scholis petiti sunt, & diversas habent significationes. Vt non mirum sit, eos sub certo sensu a Reformatis negari, qui tamen sub alio affirmantur & acceptantur a Lutheranis. Nam *coëxistentia* vel late sumitur, vel stricte. *Stricte*, si ea denotatur contactus localis: quomodo aeque a nostratibus, quam a Reformatis negatur. *Late* vero pro coniunctione quadam, & sic intelligitur vel coëxistentia corporis Christi nobiscum, vel coëxistentia eius cum symbolis. Coëxistentiam, quae fit nobiscum, nos non aliam statuimus, quam quae, secundum Confessionem thoruniensem, consistit in praesentia ipsius substantiae corporis & sanguinis Christi. Omnino enim substantia corporis Christi, nostrae substantiae praesens est, quando nos illam accipimus, eaque fruimur, nostra autem

Coëxistentia.

per

per illam cibatur & reficitur. Intime igitur illius & nostra substantia coniunguntur, atque sic coëxistunt. Aliter autem se res habet circa coëxistentiam rei cum signo vel symbolis, sive rei coelestis cum terrestri. Equidem Professio thoruniensis asserit, *rem cum signo exhiberi*, & sic certo modo coëxistunt, quatenus & res & signa substantiae nostrae coniunguntur. Sed hoc fit diverso modo: res coelestis, seu corpus Christi, nobiscum coniungitur supernaturaliter; sed res terrena, naturaliter & corporeo modo. Atque hinc non est opus, talem ponere rei terrenae & coelestis coniunctionem, quasi substantia corporis Christi, cum substantia panis & vini sic uniretur & coëxisteret, prout illa cum nostra coniungitur. Et ideo concedere possumus, ut Reformati eiusmodi coexistentiam excludant; neque asseveramus, Christi corpus & sanguinem ita cum pane & sanguine coniuncta esse, ut iis inhaereant, aut includantur. Sufficit, si illi fateantur, *elementa haec esse* media a Deo ordinata, quibus, dum ipsa convenienter, oraliter & naturaliter sumuntur, pariter corpus & sanguis Domini nostri I. C. vere & essentialiter, at supernaturali tamen modo, sumantur & accipiantur.*

Manducatio oralis, vel significat modum, ita ut fiat secundum oris instrumenta, &, quod manducatur, ab iis afficiatur, atteratur, & per guttur in stomachum devehatur, atque ita edatur interventu labiorum, dentium, linguae, gutturis; vel requisitum & medium, quo aliquid suo modo manducatur. Priori sensu phrasin isthanc sumunt* Re- *Manducatio oralis.*

V u u 3 formati

Media] Vide pag. 502.

Reformati] Manducatio realis requirit contactum rei edendae, ut possit dividi & transmutari, ut Reformati cum Salmerone dicunt apud Gul. Forbes. p. 420. Vide etiam Colloq. maulbrunn. edit. a Wirtenbergensibus A. 1564. p. 70.

non credant c. 4 p. 58. Dan. Sachsium in Append. ad Confess. dordrac. p. 74. 106. Conr. Bergium in Themat. theol. p. 210. Ioh. Berg. in Discrim. & conc. Evangelicorum. p. 5. & 29. autorem Colloq. germ. inter duos peregrinantes p. 20. 70. 103. Strimesii Epist. iren. p 106. Pufendorfium in I. F. D. 233.

Sane* in his utrinque consentimus 1. In sacramento coenae dominicae *vere adesse, offerri, & participari* verum Christi corpus & sanguinem. (2) *Benedictum panem & vinum ita coniungi virtute sacramentali cum sancto hoc corpore & sanguine*, ut panis sit communicatio corporis, & calix communicatio sanguinis Christi. 3. Verum corpus & verum sanguinem Christi, *una cum benedicto pane & vino vere accipi*, ita tamen, ut non dentibus comminuatur, & in ventriculum devolvatur. 4. *Spiritualem manducationem & bibitionem tantum esse sumtionem salutarem.* Ioh. Berg. de Discr. & concil. Evangel. p. 4. Luther. tom. 1. ien. germ. p. 205. 206. Serm. de Sacram. alt. in P. I. Postill. ecclesiast. p. 539. Grosgebauer p. 71. & auctor Rationis ineundae concord. p. 17. 5. *Modum praesentiae corporis & sanguinis Christi in S. coena esse nobis incognitum*, arcanum, inscrutabilem, ineffabilem, & captum mentis nostrae longissime superantem; ita ut dicendum sit cum Gul. Durante: *Verbum audimus, motum sentimus, modum nescimus, praesentiam credimus.* Luth. tom. 1. ien. germ. p. 205. & tom. 6. p. 543. it. tom. 1. ien. latin. 330. Mart. Chemnit. de Fund. S. coenae c. 5 & c. 7. n. 8. nec non de Duabus in Christo natur. c. 30. p. 181. Gerh. L. de S. coena §. 105. Pomeranus in Chytraei Hist. A. C. p. 85. autor anon. german. scripti de Rat. ineundae concord. p. 17. Form. concord. p. 754. & seqq. G. Calixt.

Consensus Evangel. & Reform.

In his utrinque consentimus] Plura congesserunt Theologi aberdonienses apud Gessellum in Hist. eccl. parte 2. p. 711.

lixt. in Confid. & ἱππικ. Colloq. thorun. §. 32. Confid. doctr. Reform. n. 38. Scultet. in Iter. invit. 415. Geffel. Hift. eccl. P. 2. p. 825. Strimef. in Epift. iren. 106. Calvinus c. 17. Inftit. n. 30. Guil. Forbef. 373 & feqq. Ioh. Berg. in Praefat. libri de Difcrim. & concil. Evang. B. VIII. Pierce in Pacificat. corpufc. p. 144.

Qualem praefentiam Reformati videantur negare.

Quid tum? inquies: *Interim fi non tam, quid loquantur, quam quid fentiant Reformati, attendamus, certum eft, eos veri corporis & veri fanguinis fecundum fubftantiam acceptorum praefentiam non admittere*, ut fcribit G. Calixtus in tractatu de Tolerantia Ref. §. 87. & Theol. rintel. in Epift. apol. p. 9. Sed qualem, quaefo? Nempe illam, quam ex praeconcepta opinione fibi de nobis finxerunt, hoc eft, *phyficam, capernaiticam, dimenfionalem, circumfcriptivam, quaque corpus Chrifti ftatuatur impanari, includi, attenuari, affigi adpanem, detrahi e* coelo, *multiplicari*, pluribusque in locis *diftrahi & expandi*, immo *vera Chrifti humanitas feu caro deftrui*; qualem etiam nos negamus ac pernegamus, ftatuentes unicam in coelis praefentiam corporis Chrifti dimenfionalem, fed fumme gloriofam, ac falvam pariter retinentes humani corporis, quod Chriftus habet, naturam. Nempe *duplex eft praefentia Chrifti:* altera fequitur naturam & conditionem corporis; altera eft myftica & gratiofa, & fequitur conditionem ac qualitatem corporis gloriofi. Priorem appelles *naturalem*, pofteriorem *fupernaturalem*. Num quid aliud fibi volunt Reformati? Nam confitentes, Iefum Chriftum dare nobis fubftantiam fuam cum fymbolis myfticis, confequenter agnofcunt duas praefentiae corporis Chrifti fpecies, naturalem & fupernaturalem; ubi fecundum priorem corpus Chrifti non eft hactenus nifi in coelo, fecundum pofteriorem autem, quae eft myfterium corporis eius, praefens eft inter-

in terra, ubi ſacramentum coenae, ad Domini inſtitutionem, peragitur & celebratur. Vide tom. 1. Diſpp. giſſenſ. p. 243. Caſſandrum in epiſt. ad Guilielmum, epiſcopum monaſterienſem, p. 1081. 1082. & De la Guitonniere dans le Proteſt. pacif. p. 88. Idque videre licet ex obiectionibus, quibus nos petere ſibi videntur. Obiiciunt enim, Chriſti corpus & ſanguinem non eſſe in S. coena ſubſtantialiter praeſentia, quia (1) Chriſtus corpore ſuo aſcendit in coelos, ibique ad diem iudicii usque manſurus eſt, Act. 1, 9. 11. c. 3. 20. 1. Cor. 11, 26. Reſpond. Conſequentia eſt falſa, quia, non obſtante, quod corpus eius maneat in coelo ſupernaturali modo, poteſt eius nos reddere participes pro ea potentia, qua poteſt plus efficere, quam nos ſcimus & capimus. Eph. 3, 20. Et obiectionis imbecillitatem agnoſcit ipſe etiam Guil. Forbeſius p. 387. (2) Veritas & finitas corporis Chriſti obſtat, quo minus ſimul in coelo & in terra eſſe poſſit: nam eſſentia corporis Chriſti, ut cuiusvis alius, conſiſtit in extenſione, adeoque dimenſione, & localitate. Reſpond. Diſtingue inter id, quod fit naturaliter, vel ſupernaturaliter; & inter ſubſtantiam & accidens alicuius rei. Sufficit, Reformatos ſtatuere, ſubſtantiae corporis Chriſti communionem & perceptionem incomprehenſibilem, ineffabilem & miraculoſam. Videſis G. Calixtum diſp. de Corp. & ſangu. Chriſti praeſ. in S. coena §. 45. I. Muſaeum diſp. eadem de materia §. 34. Fabricii Syſt. theol. 514. Guil. Forbeſium p. 387. & ſubtiliorem hac de re diſcurſum illuſtris viri in Pelliſſonii Reflex. ſur les differ. de la relig. part. 4. p. 104. 133.

C. Bergius in Them. theol. a Srimeſio de Pace eccl. p. 78. laudatis bene ſcribit: *Talem praeſentiae modum (quo Chriſtus in S. coena ſpiritualiter*, id eſt, ſecundum ſpiritualem & coeleſtem modum

dum *praesens est*, & in credentibus consolationem & vitam, in infidelibus iudicium efficit, *iuxta. Form. conc p. 755.*) *concedimus. p. 211.* At quae sequuntur, si de nuda secundum efficaciam praesentia intelligenda sunt, dum ait: *Sed non consistit ille in indistantia, sed efficacia substantiae. Estque omnino notandum*, veram praesentiam *non absolute ex gradu distantiae aut propinquitatis substantialis maioris vel minoris, sed ex gradu efficaciae & notitiae, vel saltem non sine ordine ad illam definiendam esse. Quomodo praesentior est, qui maiore corporis distantia in eodem conclavi mecum est, quam qui unius forte pedis distantia sit in alio conclavi, eo, quod praesentia sit talis coniunctio, per quam sufficienter sentias seu cognoscas obiectum, & in promtu habeas ad operandum id, propter quod praesentia desiderari solet; sive quidem distantia aliqua intercedat, sive non:* nequidem thoruniensis confessionis autoribus probantur, ceu videre est in cap. de S. coena §. 11. & 12.

C. Bergii sententia de momento huius controversiae.

Eidem quoque suam de momento huius controversiae relinquimus hanc sententiam: *Quoniam* (Lutherani) *protestantur, se non credere* inclusionem, ascensum aut descensum corporis, *multo minus* diffusionem corporis per loca omnia, * *nonnemo etiam* indistantiam *agnoscere renuit, quid relinquitur denique praeter unionem mysticam, qualis est & Christi cum fidelibus, & fidelium inter sese?* 1. Cor. 10, 17 c. 12. 13. Eph. 5, 32. *Quare si a primo sensu* (*quo quid esse dicitur hoc vel illud, ut* propriissime ipsa essentia rei, & identitas plena *indicetur*) *communiter omnes discedimus, reliquas omnes* (de causatione, similitudine, & inde nata significatione, obsignatione, aequivalentia, & unione seu coniunctione) *admittimus, reiecta tantum* inclusione, & contactu corporali, *cum iis quidem, qui*

Nonnemo etiam indistantiam] Vt Christian. Dreier. in iudicio de Colloq. casell. quod infra exhibebitur.

Qui hunc serio reiiciunt, *nulla nisi* forte de verbis *quaestio remanere potest.* p. 2.0. Sic etiam fere senserunt Helvetii in epistola ad Lutherum responsoria, cuius exceptum legere licet apud Calixtum in Tr. de Toler. Reform. n. 73.

Quid autem de compositione huius controversiae sentiendum? an, & quomodo componi queat? Equidem Theologis rintelensibus, ut scribunt in Epist. apologet p. 87. nulla eius componendae spes affulgere videbatur; Lutherus etiam in Minore sua de sacra eucharistia confessione pro αὐτοκατακρίτοις, seu *suopte iudicio condemnatis* habuit Reformatos, & in articulis, Lovaniensibus oppositis, eosdem *haereticos*, & ab Ecclesia Dei alienos pronuntiavit; sed * mitius senserunt Phil. Melanchthon, & Casp. Cruciger, teste Calixto in Tract. de Toler. Reform. n. 77. aliique post ipsos: quibus merito annumerandi sunt Georgius Calixtus cit. Tract. n. 78. Theol. rintel. in epist. apol. p. 91. & Sam. Pufendorf in Iure feeial. div. p. 225. *Nolumus diffiteri*, inquit l. c. Calixtus, *nobis prae hisce* (durioribus) *illa placere*, *quae A. 1537. ad Helvetios Lutherus scripsit*, *& aliquam partem superius* (num. 74.) *commemorata & producta fuerunt. Si enim tum temporis ad eum*, *qui inde liquet*, *modum tractari potuerunt*, *si contentio & discordia sopiri*, *dextrae & corda iungi*, *cur idem porro non possit*, *quum in sequiores*, *quam tum amplecterentur*, *opiniones*, *postea prolapsi non sint? immo nonnullas etiam emendaverint*, *& in aliquibus ad veritatem aut plane*, *aut propius accesserint. Quod autem ad errorem de eucharistia attinet*, *si is talis ac tantus non est*, *ut propter eum Deus illos* ὑιοθεσία *&*

An, & quomodo componi posse videatur haec controversia.

Xxx 2 *regno*

Haereticos] Reformati, quamvis sententia nostra ipsis videatur erronea, nos non habent pro haereticis. Theologi aberdon. apud Gessel. H. E. part. 2. p. 710. Matth. Bochart. in Dialact. p. 91.

Mitius senserunt] Ipse etiam Lutherus in ep. ad Bucerum apud Crenium tom. IIX. Animadvers. p. 144.

regno coelorum excludat, sed eo non obstante (modo absit malitia, & contra conscientiam nihil adserant aut defendant, ut hic supponimus) habet ut filios, ut haeredes, ut cohaeredes & membra Christi; nos etiam non alio loco, *quam* fratrum & cohaeredum & membrorum eiusdem nobiscum sub capite Christo corporis, *illos habere & tractare oportebit*. n. 78.

* De modo autem tollendae huius controversiae iuvabit audire varia Doctorum iudicia. Et lubet initium facere a M. Antonio De Dominis, quem G. Calixtus in Consid. doctr. Reform. n. 39. *eximium virum*, in Appar. theol. p. 195. *virum ecclesiasticae antiquitatis peritissimum, ingenio iudicioque maximum*, (similia encomia leguntur in Tract. de Arte nova, nec non in Resp. ad Moguntinos §. 22.) Gul. Forbesius in Consid. controv. p. 11. *virum in controversiis sui temporis exercitatissimum, & concordiae inter partes studiosissimum* appellat, quamvis alii, pro hypothesium suarum ratione, aliter sentiant. Is igitur lib. 5. de Rep. eccles. c. 6. n. 20. p. 59. scribit: *Per mille profecto annos ecclesia sancta catholica, sobria divinorum mysteriorum cognitione contenta, & pie credidit, & tuto docuit, in eucharistia legitime consecrata* fideles corpus & sanguinem Christi agnoscere & recipere ac manducare, *& in illo sacro pane sacroque vino corpus & sanguinem Christi mirabiliter exhiberi.* Modum *vero* particularem pie, humiliter, & religiose ignorare voluit, *quomodo Christi corpus & sanguis in sacris hisce mysteriis & sacramentis exhiberetur*

De modo tollendae huius controversiae] Videatur etiam Hoornbeek in Gesselii Hist. eccl. part. 2. p. 817.

Alii] Vt Calovius apud auctorem Operis novi cas. consc. p. 361. & in Dedicat. Harmoniae)c(nec non Spizel. in Infel. literato 376.

retur. Rem ipsam & effectum laeta tenebat, a modo humilis & devota abstinebat. Hoc quasi fundamento posito, pergit n. 169. p. 179. *Dicamus omnes, in eucharistia carnalem & corporalem Christi praesentiam adesse, quoad rem & naturam:* (id est, interprete Calixto in Consid. doctr. Ref. n. 39. quo ad ipsam carnis & corporis substantiam) *negemus etiam pariter omnes, quoad modum carnaliter & corporaliter Christum adesse.* Et lib. 7. cap. 11. n. 8. p. 200. aperte ac sine velo mentem suam explicat his verbis: *Omnes & Pontificii, & Lutheri, ac Calvini discreti sectatores, in eo convenimus, circa sacratissimum eucharistiae sacramentum,* nobis in eo verum ac reale Christi corpus vere & realiter exhiberi. *Cur ergo in hoc non sistimus omnes? Cur hic terminum dissensionum non collocamus? Cur ad modum ineffabilem, mirabilem & occultum, nobisque penitus ignotum, & quem Christus ipse nos latere voluit, tam audacter descendimus, ut, qui cum nostra insipientia non desipiat, eum a caritate & communione religiosa & catholica excludamus? Hic est tam atrocis & periculosae dissensionis facillimus modus sopiendae, ut omnes* veritatem corporis Christi *in sumenda eucharistia exhiberi uno ore fateamur, & circa* modum, *quo fiat haec exhibitio, quippe ineffabilem & inexplicabilem, nobis omnibus silentium perpetuum indicamus, & ex hac dissensione schismata coalita exstinguamus. Cur, dicente Christo,* Hoc est corpus meum, *nos addamus*, Est corpus per transsubstantiationem, * consubstantiationem, figurative duntaxat, & non realiter, fide percipiendum, & non ore? *Hoc est addere sermoni Dei; unde facile arguamur, & mendaces inveniamur. Cur ob ista nostra addita contendamus, ut schismate ecclesiam dividamus? Idem* corpus Christi *omnes comedimus: sed* modum, *quo id fiat, omnes ignoramus.* Ecquid de hoc consilio

Xxx3

* *Per consubstantiationem*] Vide p. 487.

filio videtur * Calixto? num improbat? Minime, sed potius pro recto & aptissimo agnoscit, loco proxime citato scribens: *Rectum sane consilium, cui, si omnes obtemperemus, tolletur tandem, adspirante Dei optimi max. gratia, dissidium & schisma, quod factum esse; & tanto tempore durare omnes gemimus, & aboleri desideramus.* Eundem etiam vide in Responso priore ad ser. Ernestum, Landgr. Hassiae, A. 1651. dato.

Theologi rintelenses in Epist. apolog. p. 96. *Nos utrobique*, aiunt, (videlicet in aeterna Filii Dei generatione, & comestione orali corporis Christi in S. coena) *philosophorum more, ut par est*, conceptum formalem a materiali *distinguimus ac separamus.* — Proprie & vere comedi *dicimus, quicquid ore accipitur, ad nutriendum alteram hominis partem, sive corpus, sive animam. Atque adeo sic habet formalis conceptus, qui omni proprie dictae ac verae manducationi est communis. Sicut autem differunt cibus corporalis & spiritualis, ita etiam utriusque manducationis diversae sunt differentiae, diversique conceptus, qui formalem illum & communem conceptum minime ingrediuntur. Cibus corporalis, qualis est in eucharistia panis, tactu oris, & prout sapidus vel insipidus est, gustu percipitur, manditur, mansusque per gulam descendit in ventriculum & in chylum, & tandem in sanguinem & substantiam corporis abit. Verum quicquid huius est, a natura panis vel alius cibi corporalis pendet: quod absit ad corporis Christi, spiritualis illius cibi, manducationem transferamus. Nihil enim huic est commune cum manducatione panis, praeter conceptum formalem: puta, quod* tam corpus Domini ore accipiatur ad alendam spiritualiter animam, quam panis ad nutriendum corpus, *cum interim corpus*

Calixto] Eiusdem sententiae sunt Pierce in Pacificat. opusc. p. 245. Dan. Sachs in Append. ad confess. dordr. p. 108. Iustus Gesenius in Praxi devot. tr. 2. c. 6. & A. L. theologus consummatissimus.

corpus Domini nec manducetur, nec deglutiatur, nec in chylum, ut panis, convertatur, hisce omnibus ad materiales differentias & conceptus rejectis. Si sic quidem vere ac realis & proprie dicta manducati corporis Christi in eucharistia exponatur, non est, cur magis ab illa Reformati, quam ab aeterna generatione Filii Dei & mysterio Trinitatis, quo nullum est sublimius, abhorreant. Neque enim creditu difficilius est, corpus Domini, per Dei omnipotentiam, ac supernaturali modo, capi ad nutriendam animam, quam tres realiter distinctas inter se personas esse unam & eandem numero essentiam, ita quidem, ut una persona alteri existendi sit principium.

Christianus Dreierus in Iudicio de Colloquio cassellano: *Quoad manducationem corporis Christi proprie dictam, puto nos omnium optime posse concordare*, si modos loquendi in primitiva ecclesia usitatos retineamus, & nova vocabula evitemus: *cuiusmodi est loquendi modus, quod Christi corpus una cum pane comesto in ore uniuscuiusque sumentis* ἀδιαςάτως (i. e. indistanter) *praesens sistatur. Sic veteres non loquuntur, sed verba eucharistiae*, Edite, hoc est corpus meum, *proprie accipiunt, & inde proprie seu vere manducari non solum panem, sed & corpus Christi docent, modo ineffabili & incomprehensibili. In his si acquiesceremus, ac mysterium in verbis Christi more maiorum veneraremur, & inde ab omni curiosa inquisitione abstineremus, in hac certe controversia, quae tantas a tot seculis in ecclesia contentiones dedit, facile conveniremus. Sed* etsi aliquis dissensus maneat, is certe tantus non est, ut fundamentum attingere ac labefactare possit: *id enim si esset, per alterutram sententiam, qua praesentia corporis Christi adstruitur vel negatur, legitimus sacramenti usus a Christo institutus tolleretur & impediretur, quum sint sacramenta propter usum salutarem. Quomodo autem ista praesentia substantialis corporis Christi, in ore*

ore manducantis usum salutarem promoveat aut impediat, *non apparet. Unde recte concluditur, quod*, non obstante illa dissensione, utrobique usus sacramenti, *secundum Christi institutionem, integer & illibatus maneat.*

Et Sam. Pufendorf in Iure fec. div. p. 225. *Circa controversiam de S. coena observandum est*, eam, quatenus circa modum praesentiae versatur, fere plus curiositatis, quam fructus habere, dummodo super ipsa sacramenti substantia, eiusque fine & usu, consentiatur. *Nam modus in physicis & moralibus saepenumero latet, atque ignoratur; & haud eo minus fructus ex rite adhibito eius usu provenit. Deinde & illud pro certo habendum*, ipsam sacramenti substantiam, seu quod in eo exhibetur & accipitur, non dependere a persuasione & credulitate seu fide hominum eo utentium, *sed a dispositione eius, qui illud instituit: adeoque sive veram sive falsam expositionem verborum institutionis, non facere, ut corpus & sanguis Christi praesens sit, vel non sit, sed voluntatem & veracitatem instituentis.— Ex quo consequitur*, ab iis, qui sacramentum hoc integrum, iuxta institutionem Christi celebrant, idem quoad substantiam accipi, *nec plus nec minus, ut ut de indivisibili re diversa sentiant; eoque in S. coena apud Lutheranos non plus, quam apud Reformatos, nec apud hos minus, quam apud istos accipi: Sic ut non opus sit, circa hunc articulum ita acriter disputare, cui, e sententia totius antiquitatis* μυστήριον φρικτὸν *subest, quod sensibus nostris percipi nequit, & sacro quodam cum horrore considerandum & tractandum est.* Confer etiam, quae habet p. 208. 233.

Audivimus hactenus sententiam evangelicorum Doctorum. Iam & Reformatis aures commodemus, & quid ipsis hac de re videatur, percipiamus. E quibus producere lubet auctorem Rationis ineundae concordiae, I. Bergium

um, Thom. Pierce, Guil. Forbesium, & I. Amos Comenium. Primus equidem est anonymus, &, ut videtur, vir politicus, sed doctus, pius, moderatus, & sani iudicii. Quod apparet ex hoc eius consilio, ad tollendam praesentem controversiam suppeditato. Putat enim is, *contentionem istam, secundum multorum sententiam*, (liceat verba germanica in latinum vertere) *sequentem in modum componi posse*, si 1. cogatur in Germanica synodus generalis, *in qua tam Reformati, quam Evangelici compareant, & controversiam in timore Dei ponderent atque examinent.* 2. si abstineatur a factiosis nominibus *Lutheranorum & Calvinianorum.* 3. si publici errores condemnentur, e. g. *in praesente articulo, fideles ac pios in S. coena non vere manducare corpus Domini nostri Iesu Christi, nec vere bibere eius sanguinem.* 4. si articuli fidei ad salutem necessarii, *ab aliis dogmatibus ad salutem non necessariis solicite distinguantur: &* 5. si certa confessionis formula, *utrinque recipienda, formetur ac proponatur, e.g. haec sequens*: Quotiescunque ego, secundum Christi institutionem, in vero Dei timore ac vera fide utor S. coena, toties credo & profiteor, me, dum a ministro ecclesiae panem sacramentalem accipio & manduco, *vere etiam manducare verum Christi corpus*, qui pro me in cruce pependit, passusque & mortuus est, &, dum ex porrecto poculo vinum sacramentale bibo, vere bibere sanguinem Christi, in ligno crucis pro me effusum, ut per hunc cibum & potum fiam os de ossibus eius, & caro de carne eius, adeo ut ego in Christo, & Christus in me sit ac maneat. Quo autem *modo* hoc fiat, non sum solicitus, sed satis est mihi, credere, Christum esse verum Deum, atque id vi spiritus sui in me operari & implere, quod omnibus fidelibus promisit ac pollicitus est. *Aut brevior etiam, simplex tamen & perspicua,*

atque ad salutem sufficiens formula adornetur, sicut ista S. Eusebii emeseni confessio multis piis & doctis viris placuit vehementer, & laudata fuit*: Quando accedere vis, *inquit ille*, ad sacram coenam, age, sanctifica te ad res mere spirituales: aperi oculos fidei, & respice sanctum corpus Dei tui, recipe id in animum tuum, apprehende manu cordis tui, totumque accipe in os & ventrem tuum hominis interioris.

Eusebii emeseni] Qui vulgo, sed falso *emisenus* aut *emissenus* dicitur: fuit enim, ut in Theodoreti Dial. 3. c. 31. edit. Beumleri, p. 143. refertur, τοῦ Ἐμέσης, τῆς πρὸς τῷ Λιβάνῳ πόλεως ἀρχιερέως, *Emesae urbis in radicibus Libani sitae episcopus.* Et quamvis multos, immo, ut Hieronymus in Catal. scriptor. ecclesi. c. 91 narrat, innumerabiles confecerit libros, nullus tamen eorum ad nos pervenit, sed tantum fragmenta quaedam, quae in Catenis graecarum explanationum, & Theodoreti dialogo 3. exstant, adeoque sub eius nomine qui citantur, aliorum autorum esse, iudicandum est. Quo posito, memorata illa confessionis formula, itidem alius, quam Emeseni huius, fuerit. Vide Bellarm. de Scriptor. eccles. p. 115. Baronii Annal. ad A. C. 341. n. 11. Sixti senens. Bibl. S. l. 4. p. 285. Gerhardi Patrolog. 427. Olearii Abac. patrolog. 157. Coci Censur. p. 227. 231. Riveti tom. 2. Opp. p. 1100. Labbei tom. 1. Dissert. p. 310. Königii Biblioth. vet. & nov. p. 288. Placcii Catal. pseudon. p. 192. Cavei Scriptor. eccles. histor. liter. p. 111. la Nouv. Biblioth. des auteurs eccles. de Mons. Du Pin, tom. 2. p. 74. E. S. Cyprianum in Schol. ad B. Hieronymi locum paullo ante allegatum, & Annot. nostram ad Guil. Forbesii Considerat. controvers. p. 231. & 435.

Bergius in lib. de Discrim. & conc. Evangelicorum p. 29. ait: *Si Lutherani dicerent*, 1. nos corpus Christi * mediante pane ore accipere, sicut Christum, mediante verbo praedicato, auribus percipimus; (*quo simili usi sunt quidam*) *ut adeo corporalis & oralis manducatio diceretur* ratione organi seu medii externi, *quoniam oralis manducatio panis aeque, ac exter-*

nus

Mediante pane] Vide p. 488. 489. *Verbo praed.*] Vid. G. Forbes. 386.

nus & corporalis auditus verbi, medium est internae & spiritualis receptionis Christi; aut 2. eo sensu, quo veteres Patres, & ipse Lutherus, dixerunt, nos eum videre oculis nostris, palpare ac frangere manibus nostris, & dentibus ac linguis nostris comminuere, *nempe non in se ipso, sed* in sacramento seu signo, *quia signum sacramentale corporis Christi videmus & sentimus; aut* 3. si manducatio oralis, aut corporalis communio, *cum Cyrillo, Hilario & aliis diceretur* ratione obiecti, *quia communionem habemus non tantum cum spiritu, sed etiam cum corpore Christi, & ita quidem, ut non tantum animae, sed & corpora nostra, cum corpore eius glorificato, per unum illum spiritum, qui in ipso ut capite, & in nobis ut membris habitat, in unum corpus coniungantur, tunc quoad rem consensus inter nos esset.* Confer autoris huius tractat. de Verbis Christi, quod adhuc firm. subsist. p. 12. Atque haec explicatio doctrinae de S. coena videtur probari D. Höe, theologorum electoralium saxonicorum principi, ut scribit autor in praefat. ante cit. libelli ℭ. xi. neque alia est ab illa, quae continetur in Syngram. suevico, (quod ipsi Luthero adeo placuit, ut in germanicam linguam voluerit transferre, nisi ab alio praeventus fuisset) & Brentii Exegesi in Ioh. c. 6. adductis a Calixto in Tractatu de Toler. Reform. n. 56. 58.

Bergio succedat Thomas Pierce, Caroli II. Regis Britann. Sacellanus, & Decanus sarisburgiensis, in Pacificat. corpusc. p. 239. * *Mysteriis coelestibus & divinis hoc plerumque solenne est, ut rem ipsam scriptura exprimat, reticeat modum.* Veritatem rei *agnoscere ex toto corde, nostrae est fidei, obsequii & pietatis;* modum rei *investigare, nostrarum virium non est omnino: neque est nostrae verecundiae, aut humilita-*

Mysteriis coelestibus] Huic paragrapho isthoc appositum est marginale: *Via unica & aperta ad pacem ubique ineundam.*

litatis, eundem anxie indagare, aut assequi velle, quem Deus voluit abscondi, nullaque indagine explorari. Maleferiatorum argutiis omnibus satisfacere aut curiositati, ipsi Deo, qui solus potest, nunquam aut placuit, aut placebit. Homini vere christiano id satis fuerit, quod: quomodo *realiter adsit Christus, atque realiter, licet mystice, a vere credentibus accipiatur, idque in animae alimentum, ignorantibus nobis, novit ipse. Quae tenebris obduxit, quidni libenter ad ea omnia coecutimus?* Nescire velle, quae magister maximus Docere non vult, erudita inscitia est. *Dixit Christus discipulis, quod & discipuli nos credimus*, Hoc est corpus meum: *quo autem modo, quove sensu peculiari, discipulis suis non dixit.* &c.

Guil. Forbesius, sicut pro candore suo fatetur, male doceri a nonnullis Reformatis, *praesentiam & communicationem corporis Christi in S. coena* per fidem *effici; haud aliter nos corpus Christi in eucharistia comedere, quam patres V. T.* qui crediderunt in Christum; *non aliter in sacramento esse Christi corpus, quam* in verbi praedicatione & auditu, *atque res easdem esse*, Christum in baptismo induere, *& ipsius carnem & sanguinem in coena sumere; Christum non esse realiter in S. coena, quia* est in coelo, *loco circumscriptus*; ita cordate ait p. 374: *Tutissima & rectissima videtur* (considerate, quaeso, ac perpendite haec viri pacifici verba, quotquot veritatem aeque, ac concordiam sectamini, nec supra, quam par est, sapere praetenditis) *illorum Protestantium aliorumque sententia, qui* corpus & sanguinem Christi vere, realiter, & substantialiter in eucharistia adesse & sumi *existimant, immo firmissime credunt, sed* modo humano ingenio incomprehensibili, ac multo magis ineffabili, *soli Deo noto, & in scripturis nobis non revelato, non quidem corporali, & per oralem sumtionem*, (quatenus haec denotat modum corporalem, quo cibus naturalis sumitur, atteritur

teritur, & in stomachum deiicitur) sed *neque etiam solo intellectu, ac pura puta fide, sed alia ratione, soli Deo, ut dictum est, cognita, illiusque omnipotentiae relinquenda.* Cui addere possumus duos celebres Samueles, Parkerum & Strimesium. Parkerus, Episcopus oxoniensis, ut recensent eruditissimi collectores Actorum erudit. ad annum 1688. p. 571, ostendere laborat, quomodo *praesentia realis & substantialis non tantum a Patribus ecclesiae, ac postea a Lutheranis, sed Calvinianae etiam sectae antesignanis admissa fuerit, tametsi horum nonnulli sequentibus annis vacillare hac in re coeperint: eandemque diu in Anglia sententiam viguisse* docet, *donec ultimis hisce temporibus, maxime annis inter ultimam rebellionem & restitutionem Regis novissime defuncti interceptis*, alia in eo regno theologorum generatio, *ut inquit*, enata sit, quae non amplius agnoverit Iosephum, *sed principale zeli sui obiectum statuens destructionem papatus, & pro veritatis regula adsumens oppositionem romanae ecclesiae faciendam, praesentiam corporis dominici in S. coena tandem ad meram figuram redegerit. Sententia autem eius haec est*, tenendam esse praesentiam in coena realem & substantialem, licet modo praesentiae non definito*: atque hoc esse conforme ecclesiae anglicanae.* Strimesius, primus Academiae viadrinae theologus, in Epist. iren. p. 106. nomine omnium Reformatorum spondere sustinet, *sinceram hanc & dilucidam eorum esse sententiam*: Omnes credentes, qui accipiunt & manducant benedictum panem, accipere & manducare corpus Christi crucifixum; *consecrati vini eandem esse rationem:* modum *autem, quo id fiat, ut corpus Christi crucifixum & sanguis eius effusus, in coena sacra credentibus realiter praesentia sint, & ab his revera accipiantur, edantur, bibanturque, nos ignorare, esseque modum illum hyperphysicum.*

Denique* Comenius in Annot. ad Lasitium de Discipl. eccles. moribusque & instit. Fratr. Bohem. *De coena Domini*, inquit, *omnes* (Evangelici & Reformati) *fatentur*, carnem corporis Christi, pro nobis in mortem traditi, esse verum cibum, & sanguinem eius, pro nobis in remissionem peccatorum fusum, esse verum potum, *quo cibo, nisi quis cibetur, & potu potionetur, habere non posse vitam aeternam: eos autem, qui edunt & bibunt*, consubstantiari Christo, *ut cum illo unum fiant corpus, unusque spiritus, ut, quomodo Christus vivit per Patrem, ita illi vivant per Christum*. Ioh. 6, 53 55. 56. 57 58. *Atque* hoc coelesti pabulo pasci nos in sacrosancta eius coena, *ubi panis, quem frangimus, est communicatio* (seu communio) *corporis Christi, & calix, cui benedicimus, est communicatio sanguinis Christi*. 1. Cor. 10, 16. *Quin, secundum Christi edictum, panis est corpus eius, & vinum sanguis eius*, Matth. 26, 28. *ideoque mensam hanc esse magnum mysterium, ad quod non nisi magna reverentia & pietate accedendum sit*. 1. Cor. 11. 28. *Ea, ecce, credunt omnes. Vtrum autem assumatur corpus & sanguis Christi* ore tantum fidei, an etiam ore corporis, *quid inquiri, eoque opinionibus distrahi opus? Semel novimus, Christum carnales in hoc mysterio cogitationes contemsisse*. Ioh. 6. 63. *Et confitentur utrinque*, oralem manducationum non salvare, *quia expresse apostolus quosdam sibi*

Comenius] Non alia ratione huius testimonium adducimus, quam in quantum valere & locum obtinere potest. Non enim alioqui sumus nescii, quid de eo sentiat Maresius, quidque scriptum reliquerit in Antirrhetico suo, cuius excerptum dedit cl. Crenius in Parte 4. Animadvers. p. 89. Sed & considerandum, Maresium eius fuisse antagonistam, & Comenium credulitatis suae in evulgandis Drabicii revelationibus seu somniis mox poenituisse; nec novi quid esse, si viris pacis studiosis imputetur mistura & confusio religionum.

sibi manducare iudicium afferit. 1. Cor. 11, 29. *Rursus tamen novimus*, corpora quoque nostra esse membra Christi, & templa spiritus sancti, redemta magno pretio. 1. Cor. 6. 15. 19. 20. *Ah cur frui hoc praedulci mysterio, ad intimas animae suavitates, non sinimus alii alios, quam optime quisque potest*, confratribus nostris, quibuscunque christianis, quomodo sua illi inde hauriant solatia, liberum relinquendo? *Si quis hic in simplicitate cordis aliquanto minus, quam oportet, credit aut sperat*, cur non sufferimus nos, *sicut Christus omnium nostrum infirmitates tolerat? Nemo se constituat alterius fidei magistrum, ne maius iudicium sumat:* In multis enim offendimus omnes. Iac. 3, 1. 2. *Praesertim* in praesenti mysterio offendere alii alios cavere debebamus, *quum illud a communi hominum amatore eo fine, ut amoris vinculum esset, institutum sit. Quod quia satan, scelestus ille & perpetuus contra Deum machinator, ita pervertere, & ex amoris inter nos vinculo dissidiorum causam fabricare potuit, omnes nos ingemiscere, tristari, & ut tandem non satanae maledicta, sed Christi sancta intentio obtineat, omnibus viribus anniti conveniebat, nec tam solicitis esse nobis*, quomodo adsit corpus Christi, *quam dare operam*, quomodo tantum hospitem excipiamus digne, *ne quomodocunque acceptus, indigne tamen acceptus, pro absolutione nobis iudicium, pro vita mortem ferat.* p. 200. Similiter Lutherus monet in serm. de Sacram. altar. tom. 1. ien. lat. p. 329.

Si autem nullo istorum modorum, conciliatio & concordia inter diffidentes sequeretur, contentiones tamen missae sunt faciendae, & tolerantia christiana utrinque colenda est, adeoque neutra pars, ob dissensum hunc, haereseos postulanda & condemnanda. Vide clausulam Colloquii marpurg. Concord. witteb. A. 1536 Melanchth. in ep. ad Fratres waldenses in Bohem. quae extat in Syntagm. confess.

Tolerantia exercenda.

fess. part. 2. p. 11. G. Calixtum Consid. doctrinae Ref. p. 77. Respons. Mogunt. oppos. n. 22. Wiederlegung D. Welieri, M m iii. Tract. de Toler. Reform. (ubi etiam probe notanda Chytraei & Form. conc. testimonia adducit) n. 89 Theologorum rintel. Epist. apol. p. 23. 97. 121. 171. Theol. brand. & hass. in Colloq. lips. p. 64. autorem Rat. ineundae concord. p. 22. Anhang der Außführl. Behaupt. der Verbesserten A. C. p. 57. Guil. Forbes. p. 417. 421. Matth. Bochart. in Diall. p. 94. 106. 111. I. Berg. de Discr. & conc. Evang. p. 33. 38. & de Verbis Christi, quod adhuc stent firmiter. p. 13. item in 3. Concione in ps. 133. p. 31. 32. auctorem Ostens. quid Reform. in Germ. credant, aut non credant, c. 4. & 5. p. 58. 65. Dan. Sachs Append. ad Conf. dordr. p. 132. Mos. Amyraldi Irenicum p. 10. 61. & 258. & Le Protest. pacifique p. 2. Nam *substantialis corporis Christi praesentia, & oralis manducatio, non est creditu ad salutem, aut ad salutarem sacramenti usum absolute necessaria*, ut docent Calixtus de Toler. Ref. p. 63. Theol. rintel. in Epist. apolog. p. 91. & C. Dreierus supra, p. 523. Ecqui haereticos ac damnationis reos vocemus & habeamus Reformatos propter istam doctrinam, *nisi pariter haereseos & condemnationis laqueos iniiciamus Brentio nostro caeterisque Theologis suevicis*, qui una cum ipso suffragia sua dederunt praedicto, & ipsi Luthero probato ac dilecto *Syngrammati?*

De Manducatione indignorum.

Sententia Evangelicorum. DE manducatione indignorum docent ecclesiae nostrae, indignos in S. coena non solum panem & vinum, sed etiam, mediante pane, Christi corpus, & mediante vino Christi sanguinem sacramentaliter accipere, manducare ac bibere. Per *indignos* autem non intelligunt infirmos in fide

in fide, qui magnitudinem huius mysterii non satis digne perpendunt, & quorum fides multis adhuc laborat infirmitatibus, sed *qui non probant se ipsi*, h. e. qui non agnoscunt sua peccata, nec serium de illis concipiunt dolorem, ut hac ratione se ipsi iudicent; qui non habent fidem, nec serium propositum vitam emendandi, & ad normam legis instituendi; qui non reconciliantur proximo ante usum sacrae coenae, atque, ut uno verbo dicam, qui non discernunt corpus Domini a vulgaribus cibis, sed accedunt sine poenitentia & fide. *De qua tamen eorum indignitate non constat:* nam si notoria esset, ad mensam Domini non admitterentur. *Huiusmodi indignis non obtingit spiritualis manducatio*, quae fit per fidem ad vitam aeternam, ac solis vere piis convenit, *sed sacramentalis manducatio*, quae omnibus huius coelestis convivii hospitibus communis est, & indignis in iudicium cedit. Sacramentalis autem manducatio, hic dicitur non ea, qua solus panis, tanquam absentis corporis Christi signaculum, percipitur, sed quando mediante pane benedicto praesens Christi corpus, modo tamen supernaturali & inscrutabili, manducatur, & mediante benedicto vino praesens Christi sanguis, modo iterum supernaturali & inscrutabili, bibitur, a piis & fidelibus ad salutem, ab impiis & infidelibus ad iudicium. Gerh. L. de S. coena §. 232. 233. Cui adde art. 6. part. 2. Art. smalcald. p. 330. Lutheri Catech. mai. 566. Form. conc. 600. 601. 743. 745. 747. 751. Mart. Chemnit. de Fund. S. coenae c. 5. p. 13. c. 10. p. 56. Ioh. Musaei disp. de Corp. & sangu. Christi praes. in S. coena, §. 40. Sculteti Iter. in vit. 417. & Amoenit. nostras theol. p. 540. Reformati autem negant manducationem indignorum. Sic enim profitentur in Confessione anglica art. 29. (Part 1. Syntagm. conf. p. 105.) *Impii & fide viva destituti, licet carna-* *Reformatorum.*

liter & visibiliter (ut Augustinus loquitur) *corporis & sanguinis Christi sacramentum dentibus premant, nullo tamen modo Christi participes efficiuntur, sed potius tantae rei sacramentum seu symbolum ad iudicium sibi manducant, & bibunt.* Et in Confess. dordr. art. 35. (p. 145. Syntagm.) *Etiamsi sacramenta coniuncta sint rei significatae, utrumque tamen simul ab omnibus non accipitur. Impius enim* recipit quidem sacramentum *in suam condemnationem,* sed veritatem sacramenti non recipit: *veluti Iudas & Simon magus acceperunt quidem uterque sacramentum, sed non etiam Christum, qui illo significabatur, qui solummodo fidelibus communicatur.* Idem etiam docetur in Catech. palat. p. 485. 591. in Conf. thorun. art. 7. de S. coena, & in Colloq. lips. p. 16. ubi dicitur, *indignis offerri tantum corpus & sanguinem Christi, non vero ab iis per incredulitatem ipsorum recipi, sed prorsus reiici & contemni.* Quod Calvinus in epist. ad Schnepfium sic exprimit, ut dicat, *impios corpus Domini aliquo modo recipere, non vero intus percipere,* id est, ut in praecedentibus ait, Christi communione non frui, sive, ut c. 18. Instit. n. 3. loquitur, unam cum altera substantiam fieri, seu substantias uniri. Qua ratione non alio sensu negaverint illi manducationem indignorum, quam quo negamus nosmet ipsi, & negarunt auctores Syngram. suev. profitentes: *Impiis absens est* (Deus, & *infidelibus; proinde nec illi Deum edunt, hoc est, in Deum credunt.*

Iudicium de hac controversia, eiusque momento

Parum ergo, aut nihil remanebit in hac controversia, in quo nos inter & Reformatos, si cum Calvino hac in parte sentiunt, realis sit dissensus. Nec sane tanti momenti videtur haec controversia viris iudicio & pacis studio praeditis, ut propter eam vinculum pacis disrumpi, aut disruptum manere debeat. *Quid ad nos illi, qui speciem quidem habent membrorum Christi, revera autem sunt membra satanae,* ac foris h. e. extra ecclesiam sanctam constituti? *Curemus potius*

potius, ut omnes rite praeparati, atque adeo digni, seu fide & caritate ornati, ad sacram mensam accedamus, & usum sacramenti salutarem impetremus, atque ut alii quoque ad eundem dignitatis & fructum & honorem perveniant, memores responsionis, quam Lutherus in Catechismo minore ad quaestionem, Quis utatur hoc sacramento digne? ex vero dat, inquiens: *Ille est vere dignus ac probe paratus*, (non qui corpus & sanguinem Domini secundum substantiam adesse, aut indignos illa accipere credit, sed) *qui habet fidem in haec verba*: Pro vobis datur & effunditur, in remissionem peccatorum. *Qui vero his verbis non credit, aut de illis dubitat*, (utcunque alias corpus & sanguinem Domini vere adesse, & indignos quoque illa sumere credat) *ille est indignus & imparatus*: *quia hoc verbum*, pro vobis, *postulat omnino cor, quod Deo credat*. Scilicet (ut Theologi rintelenses, allegantes verba ista p. 90. Epist. suae apologeticae, observant, non verbum Christi dicentis, *Hoc est corpus meum*, sed τὸ *Pro vobis*, ut vera fide suscipiatur, ad salutem & salutarem eucharistiae usum necessarium esse, magnus ille, & plane divini vir animi dictitat. Videatur etiam Guil. Forbesius p. 421. & Iof. Hall in Iudicio de Colloq. lipf. apud Gessel. H. E. part. 2. p. 649.

De Persona Christi.

Graves quidem videntur circa doctrinam de persona Christi nostrates inter & Reformatos intercedere controversiae, & fundamentum fidei ac salutis concernentes, dum illi hos nestorianismi, hi illos eutychismi accusant; sed moderata atque ab affectibus defecata utriusque partis in genia

Controversiae de persona Christi quales?

genia pridem obſervarunt, illas non reales, ſed * verbales eſſe, atque adeo de rebus ipſis ſuavem inter diſceptantes reperiri conſenſum & concordiam. Videatur Georg. Calixtus Tr. de Toler. Ref. n. 37. qui & in Conſid. doctrinae Reform. controverſias iſtas, tanquam otioſas & nullas, ſicco, quod aiunt, pede praeterit; eique iungantur Theol. rintelenſ. in Epiſt. apolog. p. 10. G. W. M. ſummus nunc theologus, in diſput. inaugur. de Communicat. & praedicat. idiom. quam ob doctrinae praeſtantiam & moderationis uſum meritis laudibus extulerunt l. Lud. Fabricius operum p. 284. & 295. & Heideggerus in Vita huius Fabricii, p. 56. Confeſſio (ut alias omittamus) dordrecht. n. 19. (Syntagm. confeſſ. part. 1.) p. 136. & thorunienſis A. 1645. (in qua ad ſententiam auguſtanae, ſive variatae ſive invariatae, nec non bohemicae & ſendomirienſis provocatur) part. 3. Syntagm. p. 63. Colloq. lipſ. ad art. 3. Aug. conf. (Calixtinae Viae ad pacem) p. 53. autor Oſtenſionis, quid Reform. eccleſ. in Germ. credant aut non cred. c. 6. p. 140. & in Append. p. 124. Dan. Sachs in Append. ad Conf. dordrac. germ. idiomat. p. 133. C. Bergius in Themat. theol. 114. 132. Ioh. Berg. in Diſcr. & concil. Evangel. p. 38.

Nam (ut verbis utar G. Calixti ex Tr. de Toler. Reform. n. 37.) *Credit utraque pars, unum & eundem eſſe verum Deum & verum hominem, unam, inquam, eſſe perſonam, quae & Deus ſit & homo, ſive & divina conſtet natura & humana, ſecundum hypoſtaſin unitis, ita ut veriſſime & realiſſime de Deo enunciari poſſit ac debeat, quod ſit homo, ſit natus, paſſus, crucifixus, mortuus; & rurſus de hoc ipſo homine, quod ſit Deus aeter-*

Verbales] Vir doctiſſimus, D. S. Sculcetus, c. 15. Iter. invit. p. 493. ſcribit: *Fortean tamen in controverſiis de perſona Chriſti quaepiam ſint logomachiae.*

aeternus, immensus, creator coeli & terrae: quodque uni huic & eidem personae divina competant, ratione divinae, & humana, ratione humanae naturae, utraque videlicet, per unam personalitatem, inconfuse, inconvertibiliter, indivulse, & inseparabiliter unita. Atque ita non minus Reformati, quam nostri, Anathematismos ephesini, & Confessionem chalcedonensis concilii recipiunt, & errores Nestorii & Eutychis longissime a se removent. Hinc pergit Calixtus, & non modo sincerum dat iudicium, sed & piam admonitionem subiungit, inquiens: *Plura nosse vel credere, quod hunc articulum attinet, ab homine Deus, ut ad sui commercium, fruitionem, & aeternam gloriam eum admittat, non requirit. Qui itaque nos ab eo, ut ad nostram amicitiam & societatem eum admittamus, requiramus plura?* immo quomodo salva charitate, quam Deo & proximo, & salvo, quod divinis mandatis debemus, obsequio, odisse & reiicere possumus eum, quem D us amat & admittit? *Non tantum tribuamus nostris speculationibus, subtilitatibus & sequelis, quas fundamento, quale modo expositum fuit, inaedificamus, saepe, sicut sunt humana, fallacibus, ut omnes, qui de earum certitudine & veritate ambigant, communione tum fidelium in terris, tum beatorum in coelis excludamus. Non hanc nobis potestatem fecit Deus, non hoc nostri esse voluit libitus & arbitrii: nec placere ei poterit vel probari, si indebitam & illicitam usurpemus.*

At, inquies, contradictorie tamen a Reformatis in hac ipsa doctrina dissentiunt Rintelenses, dicuntque in pag. 11. Epist. apol. se contra eos tueri, 1. humanae Christi naturae in abstracto communicatam esse maiestatem divinam, quae consistat in perfectionibus & attributis divinis & iuribus supremi dominii. 2. omnia attributa divina humanae Christi naturae communicata, eamque 3. recte

omnipotentem, vivificam, omniſciam dici. Verum enim vero, quod bona cum pace virorum praeſtantiſſimorum dictum ſit, contradictio illa non habet fundamentum, *nec abſolute & ſimpliciter omnia haec negant Reformati, ſed tantum ſecundum quid*, & explicatio eorum cum noſtra ſententia plane convenit; ſicut, alios ut taceam, ex l. Ludov. Fabricii Meditatione de controv. circa perſ. Chriſti, & quidem operum eius pag. 275. *276.* ſatis & abunde pateſcit, idque a nobis iam indicatum fuit in Amoenit. theol. p. 461. & ſeqq.

Iudicium Dreieri. Hiſce addere lubet iudicium Dreieri de Colloq. Caſſell. *In articulo de perſona Chriſti*, ait vir doctiſſimus, *conſenſus eſſe poteſt*, * ſi retineantur modi loquendi in eccleſia uſitati, & omnes καινοφωνίαι evitentur. *Duae ſunt in Chriſto naturae ad unam* ὑπόςασιν vel *perſonam unitae, ſalvis manentibus uniuscuiusque naturae proprietatibus, citra confuſionem, mutationem, diviſionem, ſeparationem, ut concludit Concilium chalcedonenſe. Ex unione vero illa fluit* communicatio idiomatum, *ut una natura de altera* in concreto *praedicetur, itemque proprietates unius naturae de altera in concreto. Proprietatem naturae divinae de humana praedicari* in abſtracto, *antiquae eccleſiae incognita locutio eſt, & propterea merito vitanda. Id certum eſt, quod humana natura per unionem perſonalem, & ſeſſionem ad dextram Dei, ſuper omnes creaturas ſit exaltata, & quod filius Dei ea, ut inſtrumento, utatur in omnibus operibus ſuis. Ideo vero* non ſequitur, quod humana natura in abſtracto ſit omnipotens, omniſcia, omnipraeſens: agit *quippe* unaquaeque natura, quod ſibi proprium eſt, cum communicatio-

* *Si retineantur modi loquendi in eccleſia uſitati*] Haec quoque Melanchthoni viſa eſt iuſta & plena eſſe via concordiae. In Reſp. de controverſ. Stancari, ſub initium.

catione alterius, ***ut Leo habet in epist. 10. synod. in concilio chalcedon. probata.*** Danda est opera, ut evitentur nestorianismus & eutychianismus, verbis in materia hac ab antiquo usitatis: *sufficienter enim ecclesia, quomodo loquendum sit in hoc mysterio, determinavit. In id cum utrinque incumbamus, nihil in hoc puncto relinquitur, meo iudicio, quod magnum aliquem dissensum facere possit.* Novae, obscurae, inutiles locutiones, quae plus iusto in hoc tremendo mysterio usurpatae sunt, amputentur & relegentur, ***ut dissensionibus & materia & occasio subtrahatur.***

Ecquid multis? Vel unus Ioh. Ludov. Fabricius, theologus quondam heidelbergensis, & sereniss. Electori Palatino a consiliis ecclesiasticis, vir summae doctrinae, magni iudicii & candidi pectoris, omne nobis dubium adimere potest praedicta Meditatione sua de controversiis circa personam Christi, extante in operibus ab Heideggero collectis editisque Tiguri A. 1698. Vbi Ioh. Gerhardi nostri, *qui*, ut Fabricius ille recte ait, ***in exponendo suorum dogmate nemini hodie suspectus est***, locum de persona Christi sibi tanquam normam proponit, atque ostendit, *eum*, quamvis acriter contra Wendelinum hac de re disputaverit, tamen ***ab ecclesiae reformatae doctrina revera non discedere***, adeoque Reformatos cum Gerhardo, & sic cum lutherana ecclesia, de Christo reapse idem sentire. Quid, quaeso, volumus aut possumus desiderare amplius? Certe, qui contentiones non necessarias oderunt, declaratione isthac contenti sunt & acquiescunt penitus.

Ex abundanti autem hisce subiungimus grave ac pium iudicium Comenii, quod tulit in Append. ad Lasitium, ubi p. 202. ait: ***De persona Christi, communis salvatoris, pie utrinque secundum scripturas creditur***, Deum & hominem esse, *Iudicium Comenii.*

una

una in perfona Immanuelem, θεάνθρωπον, *Matth.* 1, 28. cui data fit omnis poteftas in coelo & in terra, c. 28. 18. ut in nomine Iefu omne genus flectatur. *Phil.* 2, 10. *Vtrique etiam folatio fibi contra fatanan & inferorum portas credunt*, falvatorem noftrum nobiscum effe ad finem usque feculi, *Matth.* 28, 20. totum, *inquam*, Chriftum, *Deum & hominem*, *quia distractum Chriftum nemo cupit.* Vtrum *vero* humanitas aeque, ac divinitas, ubique praefens fit, ea de re cur verba faciamus? Cur, inquam, quaeftiones nobis movemus, quas non movet fcriptura? *Chriftum, Deum illum & hominem, datumque coelo & terrae iudicem, ubique adeffe, omniaque intueri, ac regere, fcriptura docet; fed de alterutra natura feorfim ita loqui, fcriptura non docet*: nec etiam in tremendo hoc unionis hypoftaticae myfterio intelligere omnia noftrum eft, *quia fublimitatem divinae effentiae & profunditatem myfterii manifeftati in carne Dei perfcrutari quis confidat*? Pf. 139. 6. *1. Tim.* 3, 16. Mel comedere multum, non eft bonum, & fcrutator maieftatis opprimetur a gloria. *Prov.* 25, 17. *Vtinam vereri potius ubique praefentis oculos, quam, quomodo praefens fit, litigare, animum inducamus!*

Ad pag. 502.

Confeff. thorunienfis] In cap. de S. Coena §. 3. dicitur de *unione* rerum terrenarum & coeleftium, quod *non confiftat in nuda fignificatione*, (qui rigidus eft zwinglianifmus) *neque tantum in obfignatione*, (quae id diceret, quod vulgo calvinifmus audit) *fed etiam in coniuncta illa & fimultanea rei terrena & coeleftis, quamvis diverfimoda, exhibitione & communicatione*, (quae ipfiffimus eft lutheranifmus fobrius.) Expofitiones iftae parenthefi inclufae, funt infignis reformatae ecclefiae doctoris, qui etiam nunc vivit.

IN

De Praedestinatione

IN doctrina de praedestinatione a nostratium plurimis, & nominatim a Gerhardo in L. de Elect. & reprobat. tribuitur Reformatis, quod doceant, *Deum praedestinasse quosdam ad exitium*, atque adeo *vocabulum* praedestinationis *de reprobatione* recte usurpari. §. 29. Dari *absolutam quorundam hominum reprobationem*, §. 54. 56. 177. 186. Deumque ab aeterno *decrevisse*, *ut primi homines peccarent*, suoque lapsu se & omnes posteros aeterno exitio involverent. §. 56. 103. atq; ita *praedestinasse quosdam ad peccata*. §. 30. 180. *Particularem duntaxat esse voluntatem Dei de salvandis hominibus*. §. 57. Dictum 1. Tim. 2, 4. intelligendum esse *de generibus singulorum*, (hoc sensu: Deus vult ex omni hominum genere quosdam salvos) non autem de singulis generum. §. 58. *nec serio*, §. 57. sed revelata tantũ voluntate velle Deum, ut omnes homines salvi fiant; *occulta* autem *voluntate* velle, quosdam non converti, nec vivere & salvari. §. 71. & dicta 2. Pet. 3, 19. ac Rom. 11, 32. loqui *de solis electis*, sicuti illud Ezech. 33, 11. *de illis, quibus datur conversionis gratia*. §. 63. 64. 68. *Deum absolute & simpliciter nolle quorundam misereri*, prout loquens introducatur Rom. 9, 15. *Miserebor*, *cuius miserebor*: cum tamen haec misericordia Dei, intelligenda sit de poenitentibus & credentibus. §. 97. *Pharaonem* Rom. 9, 17. *a Deo creatum*, *ordinatum*, *& impulsum*, *ut* negando dimissionem populi israëlitici *peccaret*, & temporales ac aeternas *poenas sibi accerseret*. §. 97. *Simile de figulo* v. 21. praedicti capitis sic esse explicandum: Vt figulus ex eadem massa facit

Quid tribuatur Reformatis.

vasa quaedam ad decus, quaedam ad dedecus; ita Deus quosdam absoluto decreto praedestinatos, creat ad salutem; *quosdam vero absoluto decreto reiectos, creat ad damnationem & interitum.* §. 100. *Christi meritum esse particulare.* §. 106. *Mundum* Ioh. 3, 16. sumi pro electis. §. 108. Denique *vocationem ad salutem, esse particularem.* §. 124. Non velle Christum, ut omnes ad se veniant, qui laborant & onerati sunt, sed *ut saltem veniant, qui veniunt;* aut, si de omnibus velis id intelligere, tunc innui saltem *voluntatem signi*, non beneplaciti, §. 126. qui enim absoluto decreto reiecti sunt, illos vel *plane non vocari*, vel *non efficaciter vocari.* §. 132. Deumque hoc fine quibusdam verbum suum proponere, *ut magis indurentur*, non autem ut convertantur. §. 130. *Nec meriti Christi*, §. 150. *nec fidei, quae est in hominibus, intuitum ingredi decretum electionis.* §. 161. *In Christo* enim *eligi, non esse idem, quod per & propter Christum eligi*, §. 150. & *decretum de mittendo filio in salutem hominum, esse decreto electionis posterius.* §. 155. 157. *Ordinem decretorum divinorum*, secundum sententiam Supralapsariorum, aut certe Postlapsariorum, esse concipiendum: *nec decretum & executionem sibi invicem respondere.* §. 16. 17. 175. *Semel renatos & spiritu S. donatos, non posse iterum per peccata contra conscientiam, fidem & gratiosam spiritus S. inhabitationem amittere.* §. 210. Denique etiam dicunt, Reformatorum doctrinam, propter absolutum decretum & particularitatem misericordiae Dei, meriti Christi, & vocationis ad fidem & salutem, *esse solatii expertem*, & gignere modo *desperationem*, modo carnalem *securitatem*, ac temerariam *praesumtionem.* §. 181. 209. 210.

Discrimen faciendum. Verum enim vero, si probe distinguitur inter incommodas nonnullorum scriptorum locutiones, & earum sensum

ſum, inter ſententias * particularium doctorum & confesſiones publicas, inter Supra- & Infralapſarios, inter Particulariſtas & Vniverſaliſtas, inter id, quod Reformati expresſe docent, & ea, quae ipſis per conſequentias, quas tamen non agnoſcunt, ſed reiiciunt, atque ab iis abhorrent, tribuuntur, tunc longe alia doctrinae eorum facies ſe prodit. Quam quidem hodiernis temporibus nemo, quod ſciam, dilucidius, ordinatius & ſuccinctius exhibuit, quam vir clariſſmus, Bartholdus Holzfuſius, S. theol. D. & prof. ordin. in academia viadrina, diſſertatione de Praedeſt. elect. & reprobatione hominum, anno 1702. edita, in qua reformatae eccleſiae illis de rebus dogmata ex publicis confeſſionibus & probatiſſimis autoribus deducit. Hanc itaque diſſertationem in ſeqq. allegabimus, ut opera citandi confeſſiones publicas ſeu ſcripta ſymbolica & meliores reformatae eccleſiae doctores, apud quos ſaniores doctrinae exſtant, ſublevari poſſimus; ſubinde tamen ei etiam alios, ſi videtur, ſuccenturiabimus.

Nimirum, ſecundum hodiernos Reformatos, qui * non ſunt ſupralapſarii, * nec omnes etiam particulariſtae, *praedeſtinationis vocabulum* tripliciter accipitur, (1) *generaliſſime* & improprie, cum de hominum & angelorum tantum ad fines certos, vel exitum praeordinatione, tum de aliis rebus *Sententia Reformatorum.*

Aaaa 2 & quo-

Inter ſententias particular. doctor. & confeſſ. publ.] Iurieu dans le ſugem. des method. rig. & relach. 91. 99. Matth. Bochart. in Dial lact. 110. I. Berg. de Diſcr. & concil. Evangel. p. 252. Ioſ. Hall in lib. Pax terris p. 38.

Non ſunt ſupralapſarii] Vide Holzfuſ. p. 23.

Nec omnes etiam particulariſtae] Vti teſtantur I. Fr. Sturmius in ſermone de Oeconom. ſal. p. 33. & CL. Iablonſki in praefat. in Tract. burnetianum de Praedeſt. n. 10. 11.

& quovis circa res futuras, earumque administrationem & gubernationem decreto. (2) *generaliter*, de praedestinatione angelorum & hominum. (3) *specialiter*, de praedestinatione solorum hominum: atque sic accepta haec vox, vel *latius*, pro destinatione electorum ad vitam, & reproborum ad mortem, vel *strictius*, pro destinatione electorum ad vitam, adeoque pro sola electione usurpatur. In quo strictiori significatu plerique Patres *praedestinationis* vocem, tanquam synonymum grammaticum *electionis*, adhibuerunt, & reprobos non praedestinatos, sed *praescitos* dixerunt. Quos ex Reformatis secuti sunt Petrus Martyr, (cognomine Vermilius) Aretius, Zanchius, & Keckermannus. Holzfus. p. 5. & seqq. edit. primae. Negari tamen nequit, eosdem veteres, videlicet Augustinum, Prosperum, Fulgentium, & alios, quandoque *praedestinationis vocem, ut genus* adhibere, quod sub se, specierum instar, comprehendat electionem ad vitam, & reprobationem ad mortem. p. 10. & Strimesius in Annot. in V. art. Armin. p. 2. Monentque Theologi leidenses in Syn. pur. theol. disp. 24. §. 6. recte quidem hoc nomen ita usurpari, non tamen tanquam genus per omnia synonymum, sed *analogum* tantum, quia, licet ipse reprobationis actus sit a Deo, tamen omnia, circa quae reprobatio versatur, ex reprobatione non sint: nam *Deus neminem ad culpam seu peccata praedestinavit*. p. 11. 42. 122. 137. 150. 158. Quibus religiose observatis, apparet, litem de praedestinationis voce, eiusque usu latiore vel strictiore, *non magni momenti*, ac fere perinde esse, sive praedestinationis nomen electioni aequipollere, sive genus electionis & reprobationis esse putes p. 17. *Decretum reprobationis non est absolutum*. p. 155. Nam subiectum reprobationis sunt homines vocationem divinam malitiose reiicientes. Ergo culpa damnationis non est in

eſt in Deo, ſed in hominibus. p. 42. 158. quum cauſa meritoria damnationis ſint peccata hominum. p. 40. 122 137. I. Frid. Sturm. in Conc. p. 34. Tantum abeſt, ut Deus praedeſtinarit aut crearit homines quosdam *ad peccatum*. p. 11. 33. Id quod etiam ex definitione reprobationis apparet, quae haec eſt: *Reprobatio* eſt decretum divinum, quo Deus ante iacta mundi fundamenta, ex iuſtitia ſua, homines finaliter impoenitentes & infideles, propter peccata, vel contra legem naturae, vel contra evangelium commiſſa, aeternum abiicere conſtituit, in laudem glorioſae iuſtitiae ſuae. p. 121. & Strimeſ. in annot. in V. articul. Armin. p. 4. Et quamvis nonnulli, cum quibusdam Romano-Catholicis, diſtinguant *inter actum reprobationis poſitivum & negativum*, ſeu inter praedamnationem & praeteritionem, *diverſae tamen cauſae meritoriae illis tribui nequeunt*: accurate enim loquendo, uterque actus eſt unus idemque reprobationis actus, neque niſi ſolo nomine differunt, quia v. g. Cainus & Iudas, eo ipſo actu, quo praeteriti & non electi ſunt, praedamnati ſunt: ac proinde his duobus actibus diverſae cauſae meritoriae aſſignari non poſſunt, quaſi Deus praedamnet propter culpam praeviſam, praetereat vero ſeu non eligat ex abſoluto beneplacito. Deinde ille actus prior, ſeu praedamnatio, non magis dicendus eſt poſitivus, quam poſterior, ſeu praeteritio & non electio: *Praedamnare* enim, quoad rem ipſam, eſt in eligendo praeterire, ſeu non eligere; & *non eligere ſeu praeterire*, eſt re ipſa praedamnare: atque adeo hoc ipſum non minus actus poſitivus eſt, quam praedamnatio. Et *affirmatio ſeu poſitivas*, quae hic obſervatur, nominalis tantum, & rationis eſt, cum, quoad rem ipſam, electionis negationem inferat. p. 143. Strimeſ. in V. art. Armin. p. 5. φιλανθρωπία

 ſeu

seu *voluntas Dei salvandi homines, est universalis.* Holzfus. p. 33. 36. I. Frid. Sturm. p. 5. Strimes. in Append. Crit. concionat. auctor epistolae, quae subiuncta est C. Bergii scripto germ. cui titulus Consid. praedestinationis, p. 104. Et Scultetus in Iter. invit. testatur, ecclesiam reformatam nunquam particularismum universali probasse consensu. c. 18. p. 544. Dictum 1. Tim. 2, 4. intelligendum est *de singulis generum*, non de generibus singulorum. Holzfus. p. 37. & Strimes. Annot. in V. art. Armin. p. 18. nec ibide temporali solum, sed *etiam aeterna salute* sermo est. Holzf. p. 36. & Strimes. p. 19. *De voluntate Dei iudicandum ex verbo expresso*, neque in Deum cadit vel *prosopolepsia*, vel *voluntatis contradictio.* Holzfus. p. 75. Ioh. Berg. in scripto germ. de Voluntate Dei salvandi omnes homines p. 21. & in libello de Discr. & conc. Evangel. p. 85. Atque haec Dei voluntas, fuit omnio *seria.* Holzfus. p. 39. 73. 97. Ioh. Berg. de Volunt. Dei salv. omnes homines p. 40. 41. 42. & de Discrim. & concil. Evang. p. 86. Dicta 2. Pet. 3. 9. ac Rom. 11, 32. *non de solis electis* intelligenda sunt; misertus enim Deus est omnium, quos sub peccatum conclusit. Holzfus. p. 36. sicut *nec illud Ezech.* 33, 11. pag. ead. Et notandum, quod ad hoc ultimum exclamet Tertullianus: *O beatos, quorum causa Deus iurat: sed o miseros, si nec iuranti credimus!* Quodq; *vocatis Deus det*, aut certe *paratus sit dare vires veniendi*, sicuti Leo M. dicit: *Qui instat praecepto, praecurrit auxilio.* p. 100. & Ioh. Frid. Sturm. in Conc. 5. 21. In epist. ad Rom. c. 9. agit Apostolus *de Iudaeorum vocatorum, sed praefractae ingratorum, propter obstinatam infidelitatem & evitabilem malitiam, reiectione*, & Gentilium vocatorum vel in illorum locum vocandorum *gratuita per fidem*

dem assumtione, adeoque de massa non solo peccato originis, sed peccatis quoque actualibus, iisque non qualibuscunque, sed contemtu vocationis corrupta. Holzf. p. 47. *Deus miseretur, ex gratuita misericordia*, cuius vult, *& indurat, tanquam iustus iudex, ex iusto iudicio*, propter impoenitentiam, quem vult. Rom. 9, 15. 18. p. 127. *Pharao se ipse obduravit*, donec tandem ad septimam plagam, Exod. 9, 12. iusta ira accensus Deus, cor eius induravit, iuxta praedictionem Exod. 4, 21. i. e. gratiam ei suam subtraxit, p. 129. *Deus figulo comparatur ratione libertatis*, non vero ratione exercitii: quemadmodum enim figulus ex eodem luto aliud vas in honorem, i. e. usum honorificum, aliud in contumeliam, i. e. ad usum vilem & abiectum, v. g. matulam, lasanum, & simile aliud fingere potest; ita & Deo liberum esse docet apostolus, Gentiles iustitiam non sectantes ad gratiam vocare, Iudaeos vero, quamvis iustitiam ex lege sectarentur, reiicere; cum omnes homines sint Dei creaturae, quarum nulli Deus obstrictus sit, sive iudaei sint, seu gentiles. Iudaeos autem nullam causam habere indignandi, cum ex eadem massa cum Gentilibus desumti sint i. e. eorundem gravissimorum peccatorum & criminum rei, immo obstinati, enormes, corrigi nescii, adeoque finaliter impoenitentes peccatores. p. 48. & 129. *Meritum Christi est universale*. p. 38. Strimes. in Annot. ad V. art. Armin. p. 19. I. Frid. Sturm. de Oecon. sal. p. 18. & plures Reformati apud Gerh. L. de Elect. §. 115. Georg. Calixt. C. D. R. 57. *Mundus* Ioh. 3. 16. non solos electos, sed genus humanum denotat. p. 36. Strimes. l. c. ac I. Fr. Sturm. p. 18. *Vocatio ad salutem est universalis*. p. 39. I. Fr. Sturm. 12. & *seria*, non simulata. p. 39. 41. 73. 97 G. Calixt. C. D. R. 57. atque

atque *ex amore*, non ex odio profecta. p. 42. & Christus vult voluntate ordinata ac beneplaciti, *ut omnes ad se veniant.* p. 40. 42. Io. Berg. de Voluntate Dei salv. omnes hom. p. 21. & de Discr. ac conciliat. Evangel. p. 85. *Neque etiam decretum electionis est absolutum*, si absolutum opponitur ordinato. p. 118. Si qui darentur *absolute reiecti*, (quales quidem non dantur) illi ad vitam aeternam cum salutis intentione vocari vix possent. p. 41. quin *decretum vocationis communis, decreto electionis & reprobationis omnino praemittendum est.* p. 42. atque haec vocatio est *sufficiens.* p. 100. eiusque *finis*, est hominum conversio, & aeterna salus; eventus vero sive finis per accidens, est ἀναπολογησία seu inexcusabilitas & mors aeterna. p. 104. Et sicut tanta, tamque profunda est hominum nativa & adventitia corruptio & depravatio, ut gratia vocationis sufficienti, qua mens, seu intellectus & voluntas eorum, de evangelii veritate & officio suo satis superque convincitur & flectitur, donati, nihilominus, sibi relicti, gratiae divinae operationibus, etiam internis, *resistant*, seque ipsi, cum divinitus ad fidem & obedientiam vocantur, inidoneos reddant ad credendum, & divinae voluntati obediendum, idque culpa sua propria, vera, & per eandem gratiam (ut theologi leidenses loquuntur) vincibili; ita Deus, ex impromerita, inexhausta & abundanti sua misericordia, *homines quosdam tam potenter, non violenter tamen, sed suaviter convincit, & ad obsequium flectit*, ut oculos illorum aperiat ad contemplandum mirabilia legis, & cor carneum pro corde lapideo eis det, & faciat eos ambulare in statutis suis. Quae gratiae divinae operatio, Graecis στρεψικάρδιος, i. e. *verticordia*, Scholasticis *intrinsece efficax*, S. Augustino *victrix & triumphans*, Reformatis *specialis, peculiaris & abundans* vocata,

cata, gratiae sufficienti non opponitur, sed sub-vel potius coordinatur. p. 105. Strimes. in Annot. in V. art. Armin. p. 35. 44 Ioh. Frid. Sturm. Oecon. sal. 27 Gerh. §. 17. 161. Scultet. in Iter. invit. 317. Hülsem. apud Iablonskium in praefat. in tract. Burneti de Praedest. n. 13. Quibus adde, quae leguntur in Form. concord. p. 662. 663. 669. 673. 802. 803. G. Calixti Consid. doctr. Ref. p. 73. Fabricii Syst. theol. p. 615. & in Form. concord. argentorat. quae citatur a Sculteto in Iter. invit. d. 3. Estque *vocatio evangelica* duplex, *interna & externa.* p. 44. Strimes. 38. Ioh. Frid. Sturm. p. 13. Sicut autem *utrique eadem operatio, idemque effectus* non debet tribui, ita illae *nunquam per se separatae esse possunt.* Strimes. p. 39. 40. *Meriti Christi intuitus* ita ingreditur decretum electionis, ut Deus Christum respexerit non modo, *ut medium salutis*, & ut causam ministram electionis exequendae, sed etiam *ut fundamentum eius faciendae seu decernendae.* p. 111. adeo, ut electio *in Christo, ceu ratione a priori,* Deum movente, facta sit. p. 109. & Strimes. l. c. p. 3. in Christo, inquam, id est, *per & propter Christum.* p. 109. item 34. 45. 46. & *decretum de mittendo Christo, praecesserit* decretum electionis p. 45. Quod ad *ordinem decretorum* seu actuum decreti praedestinationis attinet, *Ecclesia reform. nunquam addicta fuit sententiae Supralapsariorum*, p. 32. *neque hodie universa tenet sententiam Postlapsariorum*, p. 32. sed magna, si non maxima, eius pars sic statuit, & quidem, secundum ipsius sententiam, scripturae sacrae, ecclesiae primitivae, atque ipsi etiam S. Augustino, eiusque sequacibus convenienter: Deum ter. opt. max. *decrevisse genus humanum iustitia originali & dotibus ad perseverandum in statu innocentiae necessariis, sufficientissime instructum creare*, illudque *ad obedientiam Deo creatori debitam obligare*, sub promissione omige-

 nae

nae felicitatis ac vitae, si obtemperaret, & sub comminatione mortis aliarumque gravissimarum poenarum, si legem latam violaret, & creatori in re tam facili inobediens esset: praevidisse vero Deum in infinito lumine intellectus, protoplastos a serpente tentatos, eius dicto auscultaturos, eidemque voluntarie obtemperaturos, & legem a Deo latam, observatu tam facilem, *libere transgressuros*, adeoque foedus operum violaturos esse; quem eventum ipse, lucem e tenebris producturus, *permitttere* constituit. Quamvis ergo Deus genus humanum universum, in Adamo tam foede lapsum, ex iustitia sua in aeternum abiicere potuerit, ex inexhausta tamen misericordia sua *pepercisse* lapso generi humano, neque eadem severitate peccatum hominum seductorum, qua seductoris diaboli, ultum esse, e contrario Deum φιλάνθρωπον, ex ineffabili sua gratia, totius lapsi generis humani misertum, decrevisse, *foedus gratiae cum lapso genere humano inire*, eumque in finem *filium suum unigenitum in mundum mittere*, qui soluto pro omnium peccatis lytro sufficientissimo, praestitaque pro omnium peccatis satisfactione, remissionem peccatorum, gratiam, iustitiam, & vitam aeternam ea lege omnibus acquireret, ut, si in hunc mediatorem, per vires gatiae, huic foederi indivulso nexu coniunctas, *vera & viva fide crederent*, remissionis peccatorum, adoptionis cum Deo, & aeternae salutis participes redderentur. Ne vero quis ignorantiam, impotentiamve suam praetexere posset, statuisse Deum, omnem creaturam rationalem, Marc. 16 15. 20. πάντας πανταχοῦ, omnes ubique, non hypocritice, nec sub conditione impraestabili, sed serio & sufficienter, ad amplectendam hanc salutem, per ministros suos, Prophetas, Apostolos, illorumque successores, cum resipiscentiae & fidei mandato *vocare*, & pathetice invitare; praevidis-

vidisse autem Deum, homines promiscue hunc mediatorem & salutem in eo ipsis oblatam *repudiaturos*. Ne itaque genus humanum beneficio redemptionis aeque, ac beneficio creationis, excideret, Deum singulari amore & misericordia motum, decrevisse certos quosdam ex humano genere homines, reliquis nec meliores nec digniores, per & propter Christum *eligere*, speciali ec efficaciori *gratia & fide donare*, per fidem *iustificare, sanctificare & glorificare*; reliquos propter peccata evitabilia, contra legem naturae & evangelium commissa, inprimis propter incredulitatem & impoenitentiam finalem, ex iustitia sua, *abiicere & damnare*, ita, ut reprobi non habeant, de quo conquerantur, nec electi habeant, unde glorientur: reprobi communi ac sufficienti auxilio instructi *venire possint*, evitabili autem sua malitia & culpa *venire negligant*, electi vero nullo suo merito, sed abundantioris & efficacioris gratiae largitate & ubertate *certo & infallibiliter veniant*, atque ita perditio hominum ex ipsis sit, salus vero hominum ex Deo, Hos. 13, 9. Secundum hanc sententiam, si res in pauca conferatur, Deus gloriam suam illustraturus decrevit, 1. mundum, & in eo hominem, cum iustitia originali & dotibus ad perseverandum in statu innocentiae necessariis, *condere* 2. *lapsum hominis permittere*. 3. *mediatorem*, qui pro culpa universale & sufficientissimum lytrum solveret, mittere. 4. omnes ad mediatorem hunc amplectendum serio & sufficienter *vocare*. 5. vocatorum & relapsorum aliquos, per & propter Christum *eligere*, viva & radicata *fide donare*, per hanc fidem *iustificare, sanctificare & glorificare*, reliquos sua culpa, propter peccata, originale & actualia, adeoque evitabilia, inprimis propter contemtum mediatoris, *reprobare & damnare*. p. 33. Sed & *executio decreto respondet*. p. 43, 76. *Fidem hominum* in tantum intuitus est Deus, ut

praedestinarit seu elegerit ad vitam aeternam omnes in Christum credentes, inque fide illa ad vitae finem perseverantes. p. 117. 155. Sed illa fides negatur (a Reformatis) esse causa aut conditio, quae Deum eligentem moverit a priori. De quo postea. Ipsi etiam *renati, quoties in peccata contra conscientiam recidunt, in iisque aliquandiu perseverant, nec fidem vivam, nec Dei gratiam iustificantem, nedum eius certitudinem, aut spiritum sanctum pro illo tempore retinent*, sed novum irae ac mortis aeternae reatum incurrunt, ac propterea, nisi speciali Dei gratia excitante (quod in electis fieri nullum est dubium) ad resipiscentiam iterum renoventur, re ipsa etiam damnandi sunt. Conf. thorun. c. 4. de Gratia n. 11. Quando autem in Declar. Syn. dordr. c. 5. art. 8. dicitur, *conversos ex gratuita Dei misericordia id obtinere, ut nec totaliter fide & gratia excidant, nec finaliter in lapsibus maneant aut pereant*, explicandum id est ex praecedentibus 5. 6. 7. articulis, item ex Vossii Hist. pelag. l. 6. thes. 13. & Guil. Forbesii Consid. controvers. p. 122. hoc modo: Relapsi, *totaliter* fidem & gratiam iustificantem amittunt, *ratione actuum salutarium*, qui e potentia sive habitu fidei emanant: & *non amittunt totaliter, ratione potentiae seu habitus fidei:* potentia enim haec in electis nunquam omnino tollitur, sed ex immensa & impromerita Dei bonitate semper in illis relinquitur fidei quasi semen, unde per externum Dei verbum & internam spiritus sancti cooperationem, salutaris fidei actus postea eliciatur. Strimes. cum S. Augustino hoc ita effert: *Perseverantia est eorum, in quibus est fides radicata.* In Annot. in V. art. Armin. p. 48. Confer cum hisce G. Calixti Consid. doctr. Ref. p. 62. & Theolog. rintelens. Epist. apolog. p. 143. quorum ille *laetatur professione Thoruniensium*, & toti Protestantium ecclesiae hoc nomine gratulatur; hi *Re-*

hi *Reformatos suam de gratiae perseverantia sententiam saniori interpretatione restringere* fatentur. Quibus adde Hildebr. Theol. dogmat. p. 362 Denique uti extra dubium est, Reformatorum doctrinam de universali Dei gratia, merito Christi, & vocatione hominum, illinc *superbiae, securitati & praesumtioni*, hinc *ignaviae*, *& desperationi hominum* obviam ire; Holzfuf. p. 164. Ioh. Berg. in Praeparat. ad concion. poenit. C 4. item de Discr. & conc. Evang. 205. 208. Theol. brand. & hass. in Colloq. lips. (edit. Calixt.) p. 66. & G. Calixt. in Consid. doctr. Ref. 76. ita * *nec sententia Particularistarum, extrema illa* per se *parit atque inducit*. Syn. dordrac. in conclus. Declar. (Part. III. Syntagm. conf.) p. 46. Vide etiam Theolog. rintelens. Epist. apol. p. 170. 171. Heiddeg. in Manud. in viam. conc. P. I. §. 64. Burnet. in tract. de Praedest. n. 68. Iablonski in Praef. in hunc tractatum n. 20. Strimes. in Ep. iren. n. 12. p. 46. Admon. neostad. 25. & Amoenit. theol. nostras p. 558.

Nec sententia Particularistarum] Gratiam ab aequis & moderatis lectoribus videor mihi inire posse, si celeberrimi Herm. Conringii, & I. Fabricii, parentis mei, hac de re iudicia, hactenus ἀνέκδοτα, occasione sic ferente communicavero. Conringius suum illud perscripsit A. 1670. die 29. Augusti ad M. I. I. S. Initium epistolae sic se habet:

Reverende Clarissimeque vir, Amice honorande.

Simul atque tuae mihi sunt redditae, curae fuit tollere statim illam, quae te cogebat, dubitationem: eoque in chartam illico conieci: quae iam tamen denique mitto, quod hactenus non obtulerit sese commoda mittendi occasio. Tuum iam erit, expendere, bene an secus sese habeant, quae respondi. Quin imo poteris illa, si quidem ita videbitur, etiam aliorum, cumprimis clarissimi Fabricii (quem salvere plurimum opto) iudicio, quod scio & aequum pariter & accuratum esse, submittere.

Sequitur iam ipsum Conringii iudicium.

CVm aliis multis nominibus, tum hoc etiam, reprehendi solet *dogma de gratia divina non universo hominum generi communi*, quod *homines in desperationem salutis facile coniiciat.* Verum haec quidem accusatio videtur esse abs ratione. (1) *enim usus & experientia* docet, non magis Calvini sectatores, quam nostros, ad desperationem adigi. Frequentissime autem id contingeret, si cum illo dogmate desperatio nexu quodam arcto aut insolubili coniuncta foret. (2) *Calvini cum nostra sententia de ipsa salvatione aut electione ad salutem*, ratione particularitatis, aut universalitatis, reapse est eadem. In id enim consentimus: Omnem credentem salvatum iri, & solos credentes esse ad vitam aeternam electos. (3) *Eadem illi, qua nos, ratione fiunt & sunt certi aut dubii, de salute sua aeterna.* Reddimur enim nos certi ex ea, quae in nobis est, constante in Christum fide: dubii vero, deprehensa lubricitate aut exiguitate fidei salvificae. Eodem modo & illi. Saltem hactenus, inquam, nihil est, quod illos ad desperationem magis possit adigere, quam nos. Dixeris forte: *Illos, si nullius aut exiguae sint fidei, incertos esse, utrum vere fide salutari & plena sint instruendi: nec ne.* At vero idem & nobis contingit. Nec enim vel de finali perseverantia in fide undique exquisita nos certi sumus: tantum abest, ut, cum peccatis indulgemus, simus certi, nos receptos vicissim iri in gratiam, plena aliquando donatos fide. Dixeris iterum: *Illi incerti sunt, num possint ad fidem pervenire: nos certi.* Nego, ex illorum dogmate sequi istam incertitudinem. Vtique enim iuxta nobiscum profitentur illi, posse Deum misereri peccatoris. *Forte de voluntate Dei dubitare coguntur, nos autem certi summus.* At nego, nos semper certos esse de volunte illa divina, quamdiu quidem sumus impoenitentes. Si poenitentiam autem egimus, tum demum certi sumus. Idem autem & illi sibi sperare, a dogmate quidem suo, haud prohibentur. Nam & illi affirmant, poenitentem peccatorem velle Deum salvare. Vtrumautem futura sit poenitentia, nec ne, ignoramus perinde omnes. In eo diversitas est, quod causam impoenitentiae, praeter humanam malitiam, illi statuant absolutum Dei decretum, nos solam malitiam. Quae nostra sententia quin sit longe verissima prae altera illa, non equidem dubito: ne-

to: nego tamen, hinc ad desperationem redigi quem posse. Simul ac enim quis poenitentia ductus peccatorum, incipit in Christum credere, illico etiam ipsi hoc indicio est electionis suae ad gloriam. Si autem manserit quis impoenitens & sine fide, etiam, secundum nos, ille certo condemnabitur, adeoque illi nulla salutis spes superest. Dixeris forte: *Gratiam tamen divinam esse universalem, & velle Deum omnes salvos.* Nec ego ignoro, solere nimium saepe talia pessimis etiam & impoenitentibus nebulonibus in solatium occini. Verum id profecto impium est evangelium, perinde atque illud de universali merito Christi, nulla adiecta conditione fidei. Vt scholae utamur dictione: *Deus vult omnes salvos, voluntate antecedente*: at voluntate consequente solos, qui credunt in Christum, adeoque non omnes. Sic *meritum Christi est universale, ratione pretii in se spectati*: est particulare, ratione efficaciae vel applicationis. Postremo animadvertendum est, quod, si forte ex illo de absoluta praedestinatione dogmate possit deduci necessitas aliqua desperandi, quoniam tamen, id qui statuunt, *non agnoscunt illam consequentiae vim*, per iniuriam illis imputari desperationis aliquam professionem. Non possum non adiicere: *Ex illo absolutae praedestinationis dogmate, longe magis firma consequentia studium omne fidei & pietatis in discrimen adduci.* Verum aeque firma sequela idem malum metuendum est ex nostratium permultorum illo de conversione peccatoris placito, quasi homo hac in re habeat sese (ut in scholis loquimur) *mere passive, & velut truncus agitetur, nec libero arbitrio ullus, aut certe non alius, quam ad resistendum, sit locus.* Quam tamen vim sequelae nec isti Praedestinatiani, nec illi nostrates liberi arbitrii omnisque συνεργιῶν eversores, intelligunt. Quo nomine merito debemus gratias misericordiae divinae. Hoc nomine autem solis Calvinianis dicam scribere, iniquum fuerit, quum & nostrates plerosque eaedem sordes collutulent.

Biennio post, hoc est, A. 1672. die 12. Septembris, parens meus sententiam suam insigni huius Iuliae theologo, D. Gerhardo Titio, cum quo ipsi frequens literarum commercium intercedebat, sequentibus exposuit:

Iam

Iam demum IV. ad Reformatos mihi transeundum: quibus esse solemus infensi eam maxime ob causam, quod negata meriti Christi universalitate nihil sit, quo erigi in hora tentationis possit conscientia, & fides peccatoris afflicta. Et vehementer id passim urgent plerique omnes nostri Theologi. At enim vero (quod eorum pace salvaque existimatione dictum velim) facile mihi videtur res expediri posse, si ex alio principio cum eiusmodi tentato agere instituens, in hunc forte modum procedam: *Quicunque seria peccatorum poenitentia ductus, credit in Filium Dei, fide non mortua & cassa, sed cum pietatis ac vitae melioris affectu coniuncta, is habet vitam aeternam. Atqui tu ita credis. E. habes vitam aeternam. Qui autem habet vitam aeternam, is habet remissionem peccatorum. Qui habet remissionem peccatorum, is Deum habet propitium & benignum. Qui Deum habet propitium & benignum, pro eo Christus est mortuus. Ergo & pro te est mortuus.* Vel ita: *Si professus fueris ore tuo dominum, Iesum, & credideris in corde tuo, quod Deus eum excitarit a mortuis, salvus eris*, Rom. 10, 9. *Atqui hoc tu ore ac corde tuo profiteris & credis.* * *Ergo, secundum effatum apostoli, salvus eris. Pro salvandis autem certo certius Christus est mortuus. Igitur & pro te.* Vel ex illo Christi Ioh. 17, 3. *Haec est vita aeterna, ut cognoscant &c. Atqui hoc tu cognosti in prima iuventute tua, & tali adhuc gaudes notitia mente indubia. Ergo cognitionem Dei tenes salutarem, perque eandem es salvandus. Quod si autem salvandus, quid dubites, Christum pro te esse mortuum?* Vel rursum e Rom. 10, 13. *Qui invocaverit nomen Domini, salvus erit. Hoc tu facis. Ergo.* Quae omnia eo spectant, ut appareat, opus haud esse, principium universalitatis meritorum Christi, secundum se alias firmissimum, omnique assensu ac veneratione dignissimum, huc accersere, ut quis credat in tentatione, Christum pro se esse mortuum: cum aliunde haec conclusio aeque firmiter elici possit, prout mihi quidem videtur. Adiicio his ex 1. Ioh. 4, 15. *Quisquis professus fuerit, Iesum esse Filium Dei* (servatorem mundi, ut est comm. praeced.) *Deus in eo habitat, & ipse in Deo. Tu hoc profiteris. E. Deus in te habitat, & tu in Deo. Quod si in Deo, etiam in Christo*: quia Pater est in Filio, & Filius in Patre. Porro *si in Christo habitas, oportet eum*

* *Ergo*] Id est, hactenus ergo, caeterisque paribus.

eum pro se esse mortuum: moriendo enim in cruce, omnes traxit ad se ipsum, sibique univit, quos ei Pater dedit. Ioh. c. 12, 32. 17, 24. In cumulum addo & illud S. evangelistae epiphonema c. 20, 31. *Haec scripta sunt, ut credatis, Iesum esse Christum, filium illum Dei, & ut credentes*, (hoc scilicet ipsum credentes, quod Iesus sit Christus filius Dei; quo credito Petrus quoque mox *beatus* ab ipso Christo audiit Matth. 16, 17.) *vitam habeatis per nomen eius*: ubi salvificum fidei obiectum non Christus, pro omnibus ac singulis mortuus, sicuti nec Rom. 10, 9. aut Ioh. 11, 25. 26. 27. aut 1. Ioh. 4, 2. & c. 5. 1. sed Iesus, qua Christus & filius Dei, nobis proponitur. Quae fides homini tentato non deest, eumque de sua salute certum reddere sufficienter potest, si probitate nimirum non sit vacua: improbum namque & poenitere nescium, nihil horum, neque quod Iesus sit Christus, filius Dei, neque quod pro omnibus mortuus sit, quantacunque firmitate creditum, iuvabit quidquam. Vtut enim mortuus sit pro omnibus sufficienter, pro tali tamen, quatenus & quam diu talis est, non est efficaciter mortuus. Ac proinde satius esset, *bona opera, tanquam ad salutem necessaria*, publice ad ipsam plebem cum Reformatis urgere, quam identidem contra eosdem universalitatem meritorum Christi ingeminare: ut homines posthac non sibi viventes, sed ei, qui pro ipsis mortuus & suscitatus est, hoc ipso vitae suae testimonio edocti, Christum vere & efficaciter (non sufficienter solum) pro se mortuum esse, fide quam firmissima statuerent. Videntur profecto *tentationes istae maximam partem oriri e fide mortua*: cui universalitas ista sufficientiae mortis Christi, quanta quanta est, mederi neutiquam valet, ut, quo usque scilicet mortua fides perdurat, beneficio huius universalitatis homo eluctetur & salvetur. Omnibus, *Iesum esse Christum, Dei filium*, credentibus, ac serio poenitentibus, Deumque timentibus, & nomen eius pie invocantibus, omnibus his, inquam, ac singulis patere Christi morte salutis ianuam, haecce illa est demum universalitas, quae simpliciter procedit & fallere non potest. Altera illa, quam iactamus, *quod Deus misereri velit omnium, & Christus bono omnium mortuus sit*, vereor, ne multis imponat, eam absolute intelligentibus: cum sit restricta ad poeniten-

tiam, fidem & conversionem nostram. Certe cruda & inefficax fuerit consolatio, si afflictum peccatorem hoc argumento velim erigere: *Pro quocunque Christus est mortuus, ille est salvandus. Atqui pro te Christus est mortuus. Igitur tu es salvandus.* Maior enim vacillat, & contrarium eius habetur in verbis S. Petri, quibus pernicies & damnatio iis ipsis, quos Dominus, fuso sanguine, moriens pro iis, mercatus est, annunciatur, 2. ep. 2, 1. Valet autem inversa, pariter immutatis minore & conclusione, nempe: *Quicunque est salvandus, pro eo Christus est mortuus. Tu es salvandus. Pro te ergo est mortuus.* Vbi maior nullius probationis eget. Minorem autem satis, nisi fallor, probatam dedi in prioribus, supposito hoc, quod homo, cui solator adsum, non sit hypocrita & impoenitens. Et haec puto sufficere mitigando rigori, qui communiter adversus Reformatos obtinet, ceu solatium omne conscientiis afflictis surripientes. Cui effato insuper ipsa reclamat experientia: quam una cum Augustini & Lutheri autoritate, hoc pronunciato haud parum laesa, (quod recte & valide omnino Rintelenses inculcant) maxime hic urgendam censeo: compertum namque est, non deesse * Reformatis Dd. solatia satis firma, desperationi arcendae facientia; alioqui sane plurimi ecclesiae eorum addicti desperarent: iam autem frequentius forsitan in nostris ipsorum coetibus tales inveniuntur. Et placent etiam, quae vir optimus & meritissimus, D. Henichius, b. m. ex Agendis cassellanis luculento inseruit tractatui suo de Grat. & Praedest. p. 64. unde eos nobiscum loqui in consolandis tristibus, liquido apparet.

Reformatis Dd.] Vt Neubergero & Wollebio, citatis in Amoenit nostris theol p. 560 nec non I Bergio de discr. & concil. Evang. 205. 208. Landtage-Pred. IV. A in Vorbereit. zu den Passion-Pred. C 4. & Heideggero in Manud. in viam concord. P. 1. §. 64.

De praevisione fidei.

REmanet igitur, inter controversias huius doctrinae, quaestio de praevisione seu intuitu fidei, nempe an fides finalis quorundam hominum in tempore extitura, fuerit causa, vel conditio, aut ratio Deum movens, ut eos ad salutem eligeret? Reformati negant: nam *subiectum electionis* (ut ait Holzfusius) *sunt homines vel immediate vocati, ut adulti,*

adulti, vel mediate vocati, ut infantes. Nibil tamen in hominibus * *causa Deum externe ad eligendum movens esse potest, neque generis praerogativa, neque ingenii dotes, neque potentia, neque bonus usus liberi arbitrii, neque velle paedagogicum, neque opera, neque fides praevisa; idque ob sequentes rationes:* (1) * ob scripturae loca. *Eph.* 1, 3. 4. *Act.* 13, 48. *Eph.* 2, 8. (2) *quia* electio facta est ex benevolo affectu voluntatis divinae. *Eph* 1, 5. 11. *Matth.* 11, 5. 26. *Luc.* 12, 32. *Rom.* 9, 11. 16. & *cap.* 11, 6. 2. *Tim.* 1, 9. (3) *sequeretur, non Deum homines, sed* homines Deum elegisse. (4) *quia* subiectum electionis sunt homines lapsi & peccatores, atque in peccatis mortui, *quorum vita spiritualis, & actus vitales, e. g. fides & bona opera, a spiritu S. profecta, sine gratia praeveniente, excitante & operante fieri & praevideri non possunt.* (5) *Quamvis praedestinationis obiectum statuatur homo vocatus, adeoque gratia vel praeveniente tantum, vel praeveniente & praeparante simul, & sic potentia credendi donatus, actualis tamen fides ex gratia operante & discriminante elicitur. Neque fides hic, vel ut conditio praevia, vel ut instrumentum praevideri potuit.* Non ut conditio, *puta antecedenter & a priori, quia* 1. *nihil po-*

Nihil tamen in hominibus causa &c.] Verum hoc est de causa proprie & stricte, seu causa formaliter causante accepta, quae scilicet id, cuius causa dicitur, in aliquo causarum genere, vere & realiter causat, & proinde ab eo realiter distinguitur; at non item de causa minus proprie dicta, seu causa virtualiter causante, & ratione a priori, quae id, cuius causa vel ratio dicitur, in nullo causarum genere vere & realiter causat; secundum nostrum tamen concipiendi modum ad instar causae se habet, ita ut, si id efficeret, re ipsa & vere in illo genere causa eius existeret. I. Musaeus disp. de Decreto elect. §. 4. 5. 6. 70.

Ob scripturae loca] Contrarium ostendit Musaeus in disp. cit. §. 9. Sic & ad reliquas rationes ab eodem respondetur.

hil potest habere vim impulsivae & meritoriae causae ad consequendam electionem, & foederis gratiae beneficia, praeter meritum Christi. 2. conditio fidei non est naturalis, sed supernaturalis & divina, ex viribus gratiae specialis elicita & praestanda. Non ut instrumentum, *quia fides non a se ipsa, sed a gratia Dei accensum est instrumentum. Si ergo ut talis conditio & instrumentum spectetur, Deus fidem in electionis decreto non aliter praevidere potuit, quam quatenus illam in hominum cordibus accensurus, daturus, & ad amplectendum doctrinam & promissa evangelii elevaturus erat.* Huc usque Holzfusius p. 115. & seqq.

Quomodo haec controversia componi possit. Sed haec controversia facile, ut videtur, conciliari potest, si omisso termino *causae* (quem & Gerhardus repudiat in L. de Elect. & reprob. §. 170. 174. & Form. conc. pag. 621. 821. Quique finalem *fidem* aiunt *fuisse causam impulsivam externam minus principalem decreti electionis*, ut Ioh. Musaeus in dissert. de Decreto elect. c 1. §. 4. itemque Declarat. Ienens. theol. p. 485. & Baierus in Compend. p. 953. fatentur pariter, eam esse *saltem virtualiter causantem*, seu rationem a priori, instar causae se habentem, quoad nostrum concipiendi modum. Musaeus §. 5. Baier. p. 947. 949. Fabricius Syst. theol. 611.) dicatur, *Deum elegisse finaliter seu perseveranter credituros* Sic enim loquuntur divus Ioh Sigismundus, Elector brandenburgicus, Christoph. Pelargus, Lud. Crocius, & C. Bergius apud Holzfusium p. 117. 118. 72. Sic etiam Gerhardus l. c §. 17. 50. 161. 166. 175. 217. & Saxonici in Colloq. lipf p. 67. immo & S. Augustinus apud eundem Gerhardum §. 166. Nec dissentit Formula concord. p. 6 0. 812. Quanquam has locutiones, *intuitum fidei subesse decreto electionis*, vel *Deum elegisse quosdam ex praevisione fidei*, (quarum postremam tamen aeque, ut istas, *propter fidem*, vel

vel *propter praevisam fidem*, ipse Gerhardus reiicit §. 52. 172. 173. 175.) non amplius improbent Reformatorum doctissimi, ut Theologi leidenses, Ios. Hallus, & Ioh. Bergius apud Holzfusium p. 118. *modo firmum hoc maneat*, (quod sane omnes Evangelici profitentur) *fidem esse donum Dei, & quicquid boni in electis est*, *ex mera liberrima Dei gratia*, quae illis in Christo Iesu ab aeterno data fuit, originaliter provenire. *Nihil profecto* (inquit porro reverendissimus & summi aequissimique iudicii Episcopus, Hallus) *esse potest periculi in illa praevisionis sententia. Praeviderit ab aeterno Deus, quod ipse ab aeterno dare decreverit in tempore credituris. Tuta sunt istic omnia: nec est, quod iste contentionis funus ultra protrahatur.* Quod etiam antehac, allegatis in hanc sententiam aliis quoque autoribus, indicavi in Amoenit. theol. p. 549.

Possemus hic finem facere controversiae de Praedestinatione; sed utile erit, subiungere virorum, in quibus moderatio cum eruditione certat, de ea* iudicia, ut rigidiores animi mitius sentire discant. G. Calixtus in Tract. de Toler. Ref. n. 12. statuit, *Deum ab homine non requirere, ut aeternum illud praedestinationis sive electionis decretum intelligendo penetret, & exacte capiat*, sed servari posse hominem, modo ordinem, per quem in tempore ad salutem nos perducit, sequatur & servet, caetera de decreto in aeternitate facto minime solicitus: *nempe evangelium audiat & admittat, in Christum credat, desideriis carnis repugnet, & obsequium subtrahat.* In eamque sententiam citat nonnulla ex Formula concor- *Eruditorum de hac controversia iudicia.*

Cccc 3 diae

Iudicia] Conringii & parentis mei iudicia supra communicata sunt p. 554. 556. Huc etiam suo modo referatur id, quod scribit Mos. Amyraldus in Iren. p. 221. *In controversiis* de absoluto reprobationis decreto, & de providentia Dei in malo, *si quid est in nostra doctrina, quod eos* (Augustanos) *offendat, id in eo consistit, quod sententiam nostram non satis comprehenderunt.*

diae (cuius doctrinae de praedestinatione plane adstipulantur Reformati, teste cum aliis I. Bergio in Praefat. tract. de Volunt. Dei salvandi omnes homines p. 2. & 5.) p. 806. 811. 812. 820. & num. 36. ait: *In hac perquam difficili & perplexa materia qui ita versantur, ut ab una parte* Deum peccati & exitii auctorem non faciant, *ab altera* necessitatem gratiae agnoscant, *etiamsi in caeteris nonnullis accuratius explicandis & inter se combinandis, utpote ab imbecillitate captus nostri remotioribus, dissideant, se nihilo minus invicem mutua aequanimitate & caritate, ut Christianos decet,* tolerare atq; amare & posse & debere.* Idem in C. D. R: *Haec omnia* (de Christi merito universali, & seria ac sufficiente Dei vocatione, in Conf. thorun.) *recte & praeclare dicuntur, meque inducunt, ut mihi persuadeam, quum docent, nos non ex ullo praeviso fidei aut operum merito, sed ex mera & indebita gratia electos esse*, non excludere praescientiam, quae pro obiecto habeat fidem, *non a viribus naturae, sed a mera & indebita gratia, sive initium, sive progressus, sive consummatio & perseverantia spectetur, profectam, nec aliud trahentem meritum, quam quod gratuito Dei proposito & promissione nitatur: praeterea* gratiam divinam, per quam homines convertuntur, *intelligere talem, quae facultatem quidem impertiat, sed necessitatem non imponat, sive, ut loquuntur, irresistibilis non sit.* p. 57.

Theologi rintelenses in Epist. apolog. putant, *etiam illos ex Reformatis*, * qui statuunt particularitatem voluntatis Dei, *non*

Tolerare] Sic etiam sentit Burnet. in Tract. de praedest. n. 67. immo & S. Augustinus. De quo vide Ioach. Hildebrandum in Theol. dogmat. p. 366.

Qui statuunt particularitatem volunt. Dei] Sic etiam Burnetus, qui tamen & ipse est universalista, in Tract. de Praedest. n. 60. & seqq. & Iablonski in praef. in hunc tract. n. 16.

non deflectere a fundamento fidei. p. 140. Controversiam de operatione gratiae, *non esse fundamentalem.* p. 142. 156. *Quomodo fides in hominibus extitura, se habuerit ad electionem Dei,* num ut causa, aut ut conditio, aut ut effectus, *id a fundamento salutis longius abesse.* p. 140. Denique *Reformatos non esse haereticos.* p. 162. *eosque merito diligi caritate christiana.* p. 173.

Dreierus in Iudicio super Colloquio cassell. haec habet: *Praedestinationem quod attinet, occurrunt sane sententiae satis diu ventilatae* : An Deus velit omnium ac singulorum hominum salutem? An Christus pro omnibus ac singulis sit mortuus? An Deus omnes & singulos per verbum vocet eo fine, ut convertat, regeneret, salvet? An Deus, quos in Christum credituros, & in fide perseveraturos praevidit, ad vitam elegerit, & quos non credituros vel non perseveraturos praevidit, reprobaverit? *In quibus nos omnibus affirmativam tenemus.* * *Reformati negativam.* Nos pro sententia nostra habemus antiquos doctores *in graeca & latina ecclesia usq. ad Augustini tempora*: Hi pro sua habent * Augustinum, & multos in ecclesia latina doctores praestantissimos, Augustinum sequentes: qui sicut propter istam non sunt reiecti aut damnati, sic nec damnari etiam nunc possunt, qui eorum insistunt vestigiis. *Sane quidem in Gallia seculo V. & IX. duriter tractabant eos, qui sic de praedestinatione sentirent, sed nunquam rem eo adegerunt*

Reformati negativam] At non omnes, sicut ostendit Holzfus. 33. 104.. 117. 118. & D. S. Scultet. in praefat. Iteratae invit. d 6.

Augustinum] Sed & hic universalitatem Dei gratiae, meriti Christi, & vocationis docet, ut ipse indicat Holzfusius. p. 49. 53. 65.

runt, ut istum rigorem omnes probarent, quia plerique Augustino adstipulabantur, & libertatem sentiendi in eiusmodi difficili & intricata materia unicuique relinquendam putabant, inprimis quum utraque sententia suos haberet magni nominis patronos & defensores. Quin Celestinus, Episcopus romanus sec. V, ad quem Prosper & Hilarius has controversias deferebant, quum multum contra Pelagianos & Semipelagianos egisset, epistolam ad Galliarum Episcopos tandem concludit his verbis: Profundiores vero & difficiliores partes intercurrentium quaestionum, quas latius tractarunt, qui haereticis restiterunt, sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus adstruere. Quoad conficiendam gratiam Dei, cuius operi & dignitati nihil penitus detrahendum est, satis sufficienter credimus, quicquid secundum praedictas regulas Apostolicae sedis nos scripta docuerunt, ut prorsus non opinemur catholicum, quod apparuerit praefixis sententiis esse contrarium. *Haec ille Regulae autem istae sunt*, quod vitandus sit *pelagianismus*, quo gratiae necessitas, sicut & *manichaeismus*, quo liberum arbitrium destruitur. *His observatis eiusmodi* subtiles disputationes, *quas Augustinus primus coepit, & alii continuarunt, non adversantur catholicae ecclesiae; praeterea* in nullo symbolo doctrina de praedestinatione tractatur, *quia scilicet ecclesia non putavit, ita eam comparatam esse, ut omnibus necessario sit proponenda. Quod iterum argumento est*, dissensum in hac materia non esse fundamentalem. *Ne iam dicam, quod* Lutherus, Melanchthon, & alii nostrates theologi, initio Augustini doctrinam in hac parte fuerint amplexi. *Quae causa est, quod* * de fide praevisa nihil in Formula concord. reperiatur. *Alia hinc nata est quaestio*: An, qui fide iustificante est praeditus, & in statu gratiae, per peccata gravia,

* *De fide praevisa nihil in Form. conc.*] At vide p. 620. 812.

via, ea prorſus excidere poſſit? *Quod nos cum antiquis affirmamus, Marpurgenſes cum aliis ſuis theologis negant: non quod abſolute id fieri non poſſit, ſed ex hypotheſi divinae gratiae, quae ſit* ἀμεταμέλητος, *ut loquuntur. Hac in parte primo habent Auguſtinum adſtipulantem, quippe qui exinde gratiam Dei contra Pelagianos adſtruebat, quod quidam in fide perſeverent, quidam autem deficiant: id enim aliunde, quam ab abſoluta Dei gratia non provenire putabat, donum perſeverantiae quibusdam concedente, quibusdam non. Attamen ex ſententia Auguſtini de abſoluta praedeſtinatione, haec doctrina fluxit, ut quidam ex lectione Auguſtini, inter quos Godeſchalcus fuit ſeculo IX, tale quid hauſerint. Certum eſt, quod Auguſtinus interdum* veram fidem *appellet quae perſeverat, &* veros filios Dei, *qui non deficiunt: unde ſequitur, quod, qui perſeverantem fidem non habent, nec omnino fidem habeant, & conſequenter, quod* fides vera, quae *ſcilicet* perſeverat, amitti poſſit. — *Puto autem, quod, qui in hoc puncto nobis contradicunt, omnino* fidei gradus faciant, *& non de omni, ſed* de radicata, *ut loquuntur,* fide *id velint intellectum, quae amitti non poſſit totaliter. Nos, quod* ab electis finaliter non amittatur, *ipſimet defendimus. Interim utrique dicimus, quod* adhortationes, increpationes, comminationes, non fruſtraneae ſint, *& cavemus, ne ulla affectione* carnalis ſecuritas *gignatur. Quare hic iterum convenimus in eo, quod,* qui credunt, laborare teneantur, ut fides in ipſis radices agat & perſeveret, *quum eiusmodi fides hominem tantum ſalvum faciat, & quod* hoc diligenter populo ſit inculcandum. *Proinde & hic fundamentum manet.*

Guil. Forbeſ. p. 122. ſcribit: *Finaliter electos deficere non poſſe, conſentiunt omnes, qui electionem deſcribunt vel* a priori *i. e. ab abſoluto quodam Dei decreto, vel* a poſteriori, *i. e. a finali in fide gratia & perſeverantia.* E quibus verbis, quid iudi-

iudiciosissimus vir ille senserit de controversia praevisionem fidei attingente, qui non videt, nae is talpa est coecior.

Ad eundem modum auctor Colloquii inter duos peregrinantes, postquam ostendisset, Deum quidem fidem hominum eligendorum ab aeterno praevidisse, sed non ut causam, propter quam eos eligeret, ac Lutherum profiteri, fidem ex electione fluere, non vero electionem ex fide, p. 237. ait: *Sic tantum manet quaestio*: Praecedatne electio ad salutem, an ordinatio & praevisio fidei? *Sed haec quaestio rudi ac simplici populo nullam affert utilitatem.*

Matth. Bocharti verba haec sunt: *Praeter dissidium in sacramento eucharistiae, est & aliud inter nos, quod non minus exercet ingenia curiosa & contentionum amantia, nimirum* quaestio de praedestinatione, seu de causa impulsiva electionis, num illa sit fides praevisa, an merum Dei beneplacitum, *quorum prius tuentur Augustanae conf. fratres, nos posterius. Et hinc nascuntur quidem aliae quaestiones, v. g.* Num Christus sit mortuus pro omnibus hominibus, an tantum pro electis? Num ad vitam electi, & regenerationis spiritu donati, possint excidere salute & damnari? *Sed istae quaestiones prima illa proprie continentur, adeoque idem de iis omnibus iudicium ferendum est. Ad id vero notandum est, 1.* Doctrinam de electione & praedestinatione, ad fundamentum quidem fidei seu doctrinae coelestis referri, non tamen de eo esse, eius, inquam, partem directe non esse 2. Veritatem quidem in his quaestionibus maximae consolationi esse animis, & maximo ad amorem Dei, & per consequens ad sanctificationem seu ad studium bonorum operum incitamento; attamen non ita, ut absque eius notitia fidelis hos fructus ex doctrina fundamentali non abunde percipiat. 3. Plurimos martyres de praedestinatione ne verbum quidem audivisse, *quin*

se, *quin immo praecipuos, post Apostolos & Apostolorum discipulos, ecclesiae doctores, si aliquid de ea olfecerunt*, valde confusam eius intelligentiam habuisse, *parumque animadvertisse, quid scriptura in hac materia nos doceat, priusquam haereticorum contradictio fideles ad scripturam serio super his scrutandam impulit.* In Diallact. p. 103. 104.

Vltimum, quod hic afferre lubet, iudicium, est Comenii, qui in Annot. ad Lasitium: *De praedestinatione*, inquit, *eo minus homines litigare conveniebat, quo inperscrutabilior abyssus sunt iudicia Dei, Ps. 36, 6. Nam cogitationes eius de nobis mirabiles sunt. Ps. 40, 7. Quoniam tamen illa etiam abyssus in Christo detecta est, recte hic etiam atque unanimiter utrinque confitentur, quod secundum scripturas credunt. Nempe* (1) omnes in Adamo esse lapsos, Rom. 5, 1. (2) Deum omnium misertum, Rom. 2, 32. (3) misisse filium, per quem sibi reconciliaret mundum, 2. Cor. 5, 19. (4) ut, quicunque in eum credit, ne pereat, sed habeat vitam aeternam, Ioh. 3, 16. (5) eoque solos credentes, omnes tamen credentes, salvari. (6) fidem autem esse donum Dei, Eph. 2, 9. *& quoniam Deo opera sua nota ab aeterno*, Act. 15, 18. praevidisse Deum ab aeterno, quinam futuri sint credentes. (8) Quos itaque praescivit, eos praedestinasse *conformes fieri imagini filii sui, Rom. 8, 29.* (9) dedisseque Christo, ut oves pastori, *ut ne quis eorum periret, Ioh. 6, 39 & cap. 10. 15.* (10) horumque nomina scripta esse in coelis, Luc. 10, 20. in libro vitae, *Phil. 4, 3. Apoc. 3, 5 & c. 21, 27. Haec, ecce, omnes credunt. Duae tantum supersunt quaestiones controversae. Prima*: Absolutane voluntate Deus elegerit, quos voluit, & praeterierit, quos voluit; an vero in hominibus ipsis differentias observarit, cur hi eligendi, illi reiiciendi forent? *Atque hic alii respondetis cum Christo*: Confiteor tibi, Pa-

ter, domine coeli & terrae, quia abscondisti haec a sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis. Ita, Pater: quoniam sic placitum est ante te. *Matth. 11, 25.* *& cum Paulo*: Non volentis est, nec currentis, sed miserentis Dei. *Rom. 9. 19.* illum *autem*, cui vult, misereri, & quem vult, indurare. v. 18. *quia*, sicut figulus potestatem habet in lutum, ut ex eadem massa faciat, aliud quidem vas in honorem, aliud in ignominiam, v. 21. ita Deus in nos. Ier. 18. 6. *Alii rursus cum apostolo respondetis*: Deum nolle aliquos perire, sed omnes ad poenitentiam reverti, 2. *Pet. 3.* 9. & salvos fieri, *1. Tim.* 2. 4. *& cum Christo*: Ierusalem, quoties volui congregare filios tuos! & noluistis, *Matth.* 23, 37. *item ex ore Dei*: Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem impii, sed ut convertatur & vivat. *Ezech.* 33. 11.

Altera quaestio est: Possintne semel electi, & libro vitae inscripti, gratia Dei finaliter excidere, & e libro vitae deleri, nec ne? *Ubi rursum diverse respondetis*; *alii cum apostolo*: Qui stat, videat, ne cadat. 1. *Cor.* 10. 12, *item*: Cum timore & tremore operandam esse salutem, *Phil.* 2, 12. *& quod David inimicis suis optet*, ut ex libro deleantur. *Psal.* 49, 33. *alii rursum cum eodem apostolo*: Firmum stat fundamentum Dei, habens signaculum hoc: Novit Dominus, qui sint sui. 2. *Tim.* 2, 19. & Deum donorum suorum, & vocationis non poenitere. *Rom.* 11, 29. *item ex ore Christi*: Ego ovibus meis vitam aeternam do, & non peribunt in aeternum, nec eas quisquam rapiet de manu mea. *Ioh.* 10, 28. Haec enim voluntas eius est, qui misit me, (Patris) ut omne, quod dedit mihi, non perdam. *Ioh.* 6. 39. electosque, virtute Dei, per fidem, custodiri ad salutem. 1. *Pet.* 1, 5.

In

In hoc, ecce, articulo dissensio *videtur maxime notabilis;* videtur tamen magis, quam est. *Scripturae enim sic in utramque partem loquuntur: vere autem loquuntur, dictante ubique illo veritatis spiritu, qui a se ipso dissonare nunquam potest.* Si *ergo* dissonantiae aliquid esse videtur, id culpa caliginosae mentis nostrae, *quae illa velut opposite sibi dicta reconciliare nescit, ita videri statuendum est. Quum itaque utraque pars, quod ad praedictas quaestiones respondet, ex scripturis respondeat*, possent id in se invicem ita tolerare, *quomodo utraque illa dicta in codice sacro utraque pars tolerat*: si modo charitas esset, & bona de invicem persuasio, *non scienter volenter nimirum dissentire aliquem a veritate*, nec data opera adulterare verbum Dei, sed ex sinceritate, sicut ex Deo, coram Deo, in Christo loqui, quod loquitur. 2. ep. ad *Cor.* 2, 17. *Me quod attinet, de utrisque id sentio ex sinceritate, & tanquam ex Deo, & coram Deo*, ita quemque sentire & loqui, uti sentit & loquitur, *quia in utrisque finem bonum, cur potius sic, quam sic, sentiant & loquantur, video: si quid alter alicubi se habet, iudex & vindex erit Deus. Etenim qui locutiones illas*, Deum simpliciter, quos vult, electione praeterire, *audire horrent, manifestum est*, facere id metu, ne misericordia Dei blasphemetur: *malunt itaque sentire & loqui, paratum fore Deum omnes admittere, homines autem nolle.* Alteri rursum audent ita loqui, *quia, quomodo a tot apertis scripturae dictis dissentire liceat, non vident. Vident potius adaperiri nobis in horrorem inscrutabilis iustitiae, sapientiae, & disponendi de creatura sua absolute liberi arbitrii divini impenetrabilem abyssum,* metuentes *ab altera parte*, ne, si electionem suam non misericordiae Dei transcribant, ingrati reperiantur in eandem, *quoniam expresse dicat scriptura*: Praedestinatos esse nos in adoptionem filiorum, per Iesum Christum, in ipsum,

 secun-

secundum propositum voluntatis suae, in laudem gloriosae gratiae suae, in qua gratis sibi acceptos effecit &c. *Eph.* 1, 5. 6. *item*: Nos gratia salvari per fidem, & id non ex nobis, Dei enim esse donum; non ex operibus, ne quis glorietur. *Eph.* 2, 8. 9. *& quia denique* efficacius pietatis incitamentum videtur, *adeoque praxi deprehenditur, si statuatur, Deum in nobis, quos elegit, nihil prae illis, quos dereliquit, videntem*, elegisse tamen, ideo quia sic complacitum est illi, *Matth.* 11, 26. ad ostendendum divitias gloriae suae in vasa misericordiae, praeparata in gloriam. *Rom.* 9, 23. *Vide plura Eph.* 2, 11. &c.

Similiter se res habet cum responsionibus ad alteram quaestionem. Alteri metuunt, ne se & alios in perniciosam praecipitent securitatem: *alteri*, ne sibi & aliis solatium, *a Christo contra omnium a satana, mundo, carne venientium tentationum procellas datum*, (electos seduci non posse, *Matth.* 24, 24. Oves suas sibi neminem rapturum de manu sua. *Ioh.* 10, 28.) *eripi patiantur: tenent itaque ut anchoram animae tutam ac firmam.* Hebr. 6, 19. Omnino igitur patet, *utrosque id, ne gloriae Dei, ne certitudini salutis suae & proximorum aliquid decedat, providendo, scripturisque se defendendo, id, quod in se ipso pium, bonum, Deo gloriosum, ecclesiaeque salutare est, agere.*

Dicat quis: Necessario tamen alterutra pars veriorem defendit sententiam, *quia contradictoriarum utraque, simul vera esse nequit. Respondeo*: Forsan. *Ego tamen eo tendo, ut in hac dissensione (circa articulum hunc)* nihil adeo atrox, absurdum, impium, blasphemum, occurere appareat in hac vel illa parte, quod iure christianam concordiam, tolerantiamque & mutuam dilectionem tollere debeat, aut possit. *Plus dico*: Vtrorumque locutiones vero sensu ve-

ras,

ras, bonas, utiles esse, *quia utraeque ex scriptura desumtae sunt, & utraeque salutarem usum habent, suo loco recte adhibitae. Nempe in pharmacopolio diversissima, adeoque sibi invicem opposita venundantur medicamenta, depromunturque, dum his opus haec, illis illa.* Cur e myropolio Dei, utuque ecclesiae, spiritualium illorum medicamentorum alterutrum sublatum, alterumque duntaxat relictum vellemus? ***Potius cogitare conveniebat, quo casu hoc, quo illud, usurpare conveniebat. Si me urgere pergis***: Quomodo igitur utraque contradictoria vera erit? ***respondebo cum Augustino***: Tu rimare, ego mirabor. Deum nolle perire quenquam, credo: neminem tamen perire, quem pater traxerit, & filio, ne eum perire sinat, donaverit, scio: Cur autem non trahat omnes, cum possit, nescio; id enim si quisquam mortalium scire posset, potuissent Apostoli, primitias spiritus habentes. Nescierunt autem: si enim scivisset Paulus, non toties illa reconciliare pertentans cap. 9. 10. & 11. ad Romanos, tandem exclamasset: *O profunditas*! nec in illa profundiate velut absorptus, istis solum verbis terminasset: ***Illi honor & gloria!*** Si quis se Paulo sapientiorem credit, disputare pergat. Nos, maiorum exemplo, a profunditatibus illis nos retrahimus, vosque, o mortales, hortamur, ***cavete scrutari maiestatem, ne opprimamini a gloria.*** Quae obscondita sunt, domino Deo nostro sunto, nobis manifesta sufficiant: quae manifestata sunt ideo, ut faciamus ea, Deut. 29. 29.

Neque dico, scripturam contrarios continere sensus. Coram *tamen* intellectu nostro apparenter contradictoria continere, *certum est, & utile est, diversis in casibus. Ideo* Augustinus *primo, quando illi cum Manichaeis, coeca quaedam fata fingentibus, negotium erat,* electionem fidei superstruebat. *Quan-*

Quando vero cum Pelagianis, omnem in homine ad bonum aptitudinem naturalibus viribus adſcribentibus, res illi fuit, e profundiſſimis aeternae praedeſtinationis, ſecundum merum beneplacitum Dei, & fidem & ſalutem & omnia deducebat, potenterque ex ſcripturis demonſtrabat. *Quis illi propterea inconſtantiam, aut blasphemiam, impingere praeſumet?* D. Luthero contrarium evenit. *Primum quippe cum Sophiſtis ſemipelagianis congrediens*, a ſola nuda praeſcientia & praeordinatione Dei, ſalutem & damnationem omnium hominum pendere *docebat, idque cum magna vehementia & acrimonia, duriter etiam alicubi, ex ſcripturis in libro de Servo arbitrio commonſtrabat: poſtea vero, abuſum videns, mitigabat ſententiam*, periculoſumque eſſe cum Deo nudo, extra Chriſtum, congredi, *demonſtrabat in libro ſuper Geneſin. Similiter* Melanchthon *duriter primum de praedeſtinatione ſcripſit, in Locis communibus anno 1523. editis. Videns autem infirmiorum ſcandala, mutavit loquendi formulas, ſatis eſſe exiſtimans*, homines ad Chriſtum, vitae librum, deduci, potiusque, quomodo vocationem & electionem ſuam firmam faciant, quam quomodo de ea diſputent, docendos. 2. *Pet.* 1, 10.

Sed & ipſe apoſtolus, *in eadem ipſa ad Romanos epiſtola*, utroque docendi modo utitur. *Capite nimirum octavo* alte orditur ab ipſa aeterna praedeſtinatione, deſcendensque veluti per gradus, a cauſis ad effecta, per vocationem ad iuſtificationem, (quae per fidem fit) in ultimam glorificationem deſinit. *Rom.* 8, 29. 30. *Capite autem decimo*, prohibet eos, qui ſalutis certitudinem quaerunt, in coelos aſcendere, aut deſcendere in abyſſum, quia illud foret Chriſtum de coelo deducere, hoc revocare a mortuis: ſed ut attendamus verbo illi, quod prope nos eſt, in ore noſtro, & in corde noſtro. *Hoc eſt verbum illud fidei, quod praedica-*

dicatur. Rom.* 10. *6. 7. 8. eoque via contraria incedens, ab effectis ad causas, ***dicit***, salutem venire ex invocatione nominis Christi, invocationem ex fide, fidem ex auditu, auditum per verbum Dei, verbum autem Dei pertingere ad illos, ad quos mittitur, & efficaciter operari in cordibus eorum: quibus inveniendum se gratia sua dat Deus, v. 9. &c. caeteros excoecari, cap. 11, 7. &c. *ubi tandem in praedestinationis profunditatem desinit. Hic ergo videre est mirabilem illam* Iacobi scalam, *per quam ascendunt & descendunt angeli Dei: non aliter tamen, quam per scalam, quae est Christus. Sive enim* ex electione fidem *deducimus; electio non nisi in Christo facta est, Eph. 1. 5. 6. sive* per fidem ad electionem *ascendimus, fides non nisi Christum habet basin. Ioh. 3. 16. O aperiat oculos nostros Deus, ut, undecunque scalam banc catenamve salutis nostrae spectamus, nihil nisi Christum, & ex illo nobis venientem salutem, videamus!* Hactenus Comenius pag. 203. & seqq.

De Causa peccati.

Reliquae controversiae sunt minoris momenti, quippe quae vel consistunt in ***imputationibus sententiae***, quae ab adversa parte negatur & reiicitur, vel sunt ***verbales***, vel ***in theoria sunt compatibiles***, in praxi vero propter prae occupatos & alienatos animos unionem actualem hactenus impediunt. Theologi rintel. in Epistola apolog. p. 109. Pufend. in I. F. D. 256. (implicite hoc etiam fatente G. Calixto, dum eas ne quidem attingere voluit, sed silentio praeterivit in Consid. doctr. Reform. & in Tract. de Toler. eorundem) Matth. Bochart. in Diall. 105. I. Berg. de Discrimine & concil. Evangelicorum p. 225. & seqq. Nam certum est, Reformatorum dogmata, cumprimis si ex confessi- *Controversiae post 3. illas potissimas quales sint.*

onibus publicis, uti par est, considerentur ac iudicentur, & distinguatur inter id, quod quis expresse docet, & quod alteri inde consequi videtur, non ita esse comparata, ut iis doctrina de Dei veritate, iustitia, misericordia & omnipotentia laedatur aut evertatur. Sic e.g. minime omnium docent, *Deum esse causam peccati.* De quo videatur Confess. helvet. c. 8. (in Parte 1. Syntagm. conf.) p. 11. gallicana n. 8. p. 79. scoticana n. 2. p. 111. belgica n. 13. p. 134. bohemica art. 3. & 4. (part. 2. Syntagm.) p. 179. Consensus ecclesiarum polonicarum (qui non minus approbat Confessionem augustanam & saxonicam, quam bohemicam & helveticam) p. 216. 217. 219. 222. 227. 231. 233. 235. 241. Brandenburgici & Hass. in Colloq. lips. (in Via ad pac. calixtina) p. 117. Conf. thorun. n. 3. Ostensio quid Ref. eccles. in Germ. cred. aut non credant c. 1, 2. & 7. & in Append. p. 38. Calv. Instit. c. 21. §. 2. Bochart. in Diall. 109. Amyrald. in Iren. 221. 368. C. Berg. in Themat. theol. 29. 30. 81. I. Berg. de Discr. & concil. Evang. 125. Baxter Stimme Gottes 109. Alsted. Turr. babel destr. 806. Heidegg. Med. theol. christ. 170. Pierce in Pacif. O. T. corp. p. 102. Nec diffitentur id ex nostratibus Gerh. L. de Provid. n. 136. Fabricius in Syst. theol. 263. Hildebr. in Theol. dogm. p. 315.

De Baptismi efficacia.

Reformatorum sententia, ex recensione Evangelicorum.

IN doctrina de baptismo reprehenduntur Reformati a nostratibus, quod cum Calvino statuant, *sacramenta esse tantum sigilla, gratiam iam ante collatam, vel postmodum conferendam & significantia & obsignantia*, ideoq; negent, sacramenta esse causas instrumentales gratiae, remissionis peccatorũ, & salutis. Gerh. L. de Sacram. §. 56. porro quod *alium externum baptismum* aquae, *alium internum* spiritus credant, illum-

illumque afferant nihil facere ad peccatorum ablutionem, cum tamen non nisi unus & unius generis sit baptismus, Eph. 4, 5. neque de adultorum tantum baptismo ita abiecte sentiant, verum ipsis quoque ***infantibus parentum fidelium nihil conferre eum velint, nisi signum regenerationis acceptae, & signaculum foederis gratuiti***, in quod iam ante recepti sint, dum in in uteris matrum essent: quandoquidem ***ex sanctis nascantur sancti***, ex foederatis & Dei filiis foederati ac filii & amici Dei, vi promissionis divinae, Gen. 17, 7. *Ero Deus tuus & seminis tui post te* ; verborumque apostoli tenore: *Nunc autem filii vestri sancti sunt*, 1. Cor. 7, 14. (vid. Fabricii Syst. theol. 498.) ac denique ***negent, infantes, cum baptizantur, imbui fide, spe & charitate*** a spiritu S. adeoque credere in Christum, sed solos adultos. Dan. Sev. Scultetus in Iterat. invit. c. 10. p. 405.

At Reformati aiunt, se credere & docere, prout extat in ecclesiarum suarum Confessionibus. Sic autem extat (1) in Confess. helvet. c. 19. (Syntagm. conf. Part. 1.) p. 44. *Sicut quondam sacramenta constabant verbo, signo, & re significata*, ita nunc quoque iisdem veluti partibus absolvuntur. Nam verbo Dei fiunt, quae antea non fuerunt sacramenta. — In baptismo signum est elementum aquae, ablutioque illa visibilis, quae fit per ministrum. Res autem significata, est regeneratio, vel ablutio a peccatis. Et c. 20. p. 46. ***Vnus est duntaxat baptismus in ecclesia Dei***, & satis est, semel baptizari, vel initiari Deo; durat enim semel susceptus baptismus per omnem vitam, & est perpetua obsignatio adoptionis nostrae. Etenim ***baptizari in nomine Christi***, est inscribi, initiari, & recipi in foedus atque familiam, adeoque in haereditatem filiorum Dei, immo iam nunc nuncupari nomine ***Dei***, i. e. appellari filium *Ex confess ipsorum Reformatorum.*

 Dei

Dei, purgari item a sordibus peccatorum, & donari varia Dei gratia, ad vitam novam & innocentem. Baptismus ergo in memoria retinet & reparat ingens Dei beneficium, generi mortalium praestitum. Nascimur enim omnes in peccatorum sordibus, & sumus filii irae. Deus autem, qui dives est misericordia, *purgat nos a peccatis gratuito*, per sanguinem filii sui, & in hoc *adoptat nos in filios*, adeoque *foedere sancto nos sibi connectit*, & variis *donis ditat*, ut possimus novam vivere vitam. *Obsignantur haec omnia baptismo.* Nam intus *regeneramur, purificamur & renovamur* a Deo per spiritum S. foris autem *accipimus obsignationem maximorum donorum in aqua*, qua etiam maxima illa beneficia repraesentantur, & veluti oculis nostris conspicienda proponuntur. Ideoque baptizamur, i. e. abluimur, aut aspergimur aqua visibili: aqua enim sordes mundat, deficientia & aestuantia recreat, & refrigerat corpora; *gratia vero Dei haec omnia praestat, & quidem invisibiliter vel spiritualiter.*

(2) In Confess. gallicana n. 34. & 35. p. 85. *Fatemur, talia esse signa haec exteriora, ut Deus per illa, sancti sui spiritus virtute, operetur*, ne quicquam ibi frustra nobis significetur. Arbitramur tamen, omnem illorum substantiam & veritatem esse *in Christo Iesu*, a quo si separentur, nihil sint, quam inanes umbrae & fumi. *In baptismo inserimur Christi corpori*, ut eius sanguine abluti, simul etiam ipsius spiritu ad vitae sanctimoniam renovemur.

(3) In Confess. anglica p. 94. *Agnoscimus, baptismum esse sacramentum remissionis peccatorum, & eius ablutionis, quam habemus in Christi sanguine.*

(4) In Confessione argentin. c. 17. p. 192. *De baptismate confitemur id, quod passim scriptura de illo praedicat:*

cat, eo ſepeliri nos in mortem Chriſti, coagmentari in unum corpus, Chriſtum induere, eſſe lavacrum regenerationis, peccata abluere, nos ſalvare. Rom. 6, 1. 1. Cor. 12, 13. Gal. 3, 27. Tit. 3, 5. Act. 22, 16, 1. Pet. 3, 21. Haec vero omnia ſic intelligimus, ut ea D. Petrus interpretatus eſt, cum ait: *Cuius figurae nunc reſpondens baptiſma, nos quoque ſalvos reddit, non depoſitio ſordium in carne, ſed conſcientiae bonae in Deum profeſſio.* Absque fide enim impoſſibile eſt placere Deo, & gratia ſalvamur, non noſtris operibus.'

(5) In Confeſſ. Comitis palatini ad Rhenum (Part. 2) p. 150. *Sacramenta non notae tantum & ſymbola quaedam ſunt Chriſtianorum, & publicae in conſpectu Dei & hominum profeſſiones foederis & gratiae Dei, verum etiam primum & praecipue certa ſigilla & teſtimonia voluntatis & gratiae Dei erga nos.* Et p. 151. *Credo & confiteor, liberos noſtros*, quia in hoc foedere (quod Deus cum ſancto Abrahamo, omnium fidelium patre, pepigit) etiam ipſi (eo quod regnum coelorum eſt parvulorum, Marc. 10, 14.) includuntur, cum in articulos antiquae noſtrae & catholicae chriſtianae fidei baptizantur, ſicut in iis ipſis educari & inſtitui debent, *etiam cruentae mortis domini noſtri I. C. omniumque eius bonorum, quae ille morte ſua acquiſivit, una participes fieri*, idque hoc modo, quod, quemadmodum externum ſigillum, ſacroſanctum ſacramentum, nempe elementarem aquam, a miniſtro verbi divini, extrinſecus in corpore recipiunt, ita quoque ſimul a Chriſto ipſo, effuſo illius ſanguine, in animabus ſuis, hoc eſt, *interne baptizantur*, & per ſpiritum ſanctum de integro, ſeu in novas creaturas *regenerantur.* Quemadmodum enim elementaris aqua, ſacrum videlicet in baptiſmo ſymbolum, non eſt ipſe ſanguis Chriſti, neque ipſe ſpiritus ſanctus, ita quo-

 que

que & nihilo magis spiritus sanctus aut sanguis Christi est in sacramento, elementari videlicet aqua. Ac quanquam elementaris illa aqua, sua virtute & efficacia nihil praestare potest amplius, quam ut externe corpus purget & abluat, ad animam vero ipsam non pertingit; tamen certum est, *animam sanguine Christi intrinsecus ad vitam aeternam purgari.*

(6) In Confess. bohemica art. 11. p.142. *Docent, sacramentaex Christi instituto, suam perpetuo retinere efficaciam*, testificandi scilicet & confirmandi, dignis quidem praesentem gratiam & salutem, indignis autem peccatum & condemnationem. Et art. 12. *Docent item, quod baptismus sit salutaris administratio, a Christo instituta, & evangelio adiecta, per quem ipse ecclesiam suam purificat, in morte & sanguine suo, ut Paulus dicit*: Christus dilexit ecclesiam, & semet ipsum exposuit pro ea, ut illam sanctificaret mundatam lavacro aquae per verbum.

(7) In Confess. dordr. n. 33. (Part. I. Syntagm.) p. 143. *Credimus, benignum illum Deum nostrum sacramenta nobis instituisse, ut promissa sua in nobis obsignaret, utque divinae erga nos benevolentiae ac gratiae essent pignora. Quin etiam ad fidem nostram fovendam & suscitandam.* — Sunt enim symbola & sigilla visibilia rei internae & invisibilis, *per quae, ceu media, Deus virtute spiritus sancti in nobis operatur.* Signa itaque minime vacua sunt & vana, ad nos decipiendos ac frustrandos instituta: Iesum Christum enim pro sua veritate habent, sine quo nullius prorsus essent momenti. Et num. 34. *Baptismi sacramento in Dei ecclesiam recipimur*, & a cunctis aliis gentibus ac peregrinis omnibus religionibus segregamur. — Mandavit itaque (Christus,) ut omnes, qui sui sunt, in nomine Patris, & Filii, & Spiri-

Spiritus S. * pura puta aqua baptizentur, ut eo significet, quod sicuti aqua in nos effusa, & super corpus baptizati conspicua, ipsumque aspergens, sordes corporis abluit, sic & *sanguis Christi per spiritum S. idem praestet interne in anima*, adspergens eam, & a peccatis suis mundans, nosque ex filiis irae in filios Dei regenerans. *Non quod aqua materialis id efficiat, sed aspersio preciosi sanguinis filii Dei*, qui nobis est, ceu mare illud rubrum, per quod transeundum est, ut e tyrannide Pharaonis, i. e. diaboli, egredi, & in spiritualem terram Canaan ingredi possimus. Ac proinde *ministri quidem, quantum ad se attinet, praebent nobis sacramentum & rem visibilem, Dominus vero noster donat id, quod sacramento significatur*, dona nempe & invisibilem gratiam, abluens, purgans, mundansque nostras animas a cunctis sordibus & iniquitatibus, renovans item corda nostra, eaque omni consolatione replens, veram fiduciam paternae suae benignitatis nobis largiens, novoque homine nos induens, vetere autem cum omnibus factis eius exuens.

Pura puta aqua] Bezae igitur sententia, statuentis in ep. 2. ad Tilenum, *in defectu aquae alium liquorem posse adhiberi*, pro privata habenda, ipsique relinquenda est. I. Lud. Fabricius operum p. 399.

Haec iam conferantur cum Augustana & Saxonica confessione, quas ipsi etiam Reformati admittunt (vid. Syntagm. part. 2. p. 216. 219. 223.) immo & cum Articulis smalcaldicis, (part. 3. art. 5.) & sermone Lutheri de Sacram. baptismi, habito A. 1519. nihil enim a binis hisce scriptis alienum docere ecclesias reformatas, asserit auctor Ostensionis, quid reform. eccl. in Germ. credant, aut non credant. c. 9. Nempe Augustana art. 9. docet: *Sacramenta &* *Collatio dictorum cum nostris Confessionibus.*

ta & verbum, propter ordinationem & mandatum Christi esse efficacia, etiamsi per malos exhibeantur. Et art. 9. *Baptismum esse necessarium ad salutem*; quodque *per baptismum offeratur gratia Dei.* Saxonica (Syntagm. Confess. part. 2.) p. 17. *Discernunt ecclesiam*, inquit, *a caeteris gentibus & ritus quidam divinitus instituti, qui nominantur usitate* sacramenta, *ut baptismus & coena Domini: quae tamen non sunt tantum signa professionis, sed multo magis (ut vetustas dixit)* signa gratiae, *i. e. sunt ceremoniae additae promissioni evangelii de gratia, i.e. de gratuita remissione peccatorum & de reconciliatione, & de toto beneficio redemtionis; quae ita instituta sunt, ut singuli eis utantur, quia* sunt pignora & testimonia, quae ostendunt, ad singulos pertinere beneficia in evangelio promissa. *Baptismus est integra actio, videlicet mersio, & verborum pronunciatio:* Ego baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. *In his verbis summam doctrinae evangeli comprehensam saepe enarramus.* Ego baptizo, *id est*, ego testificor, hac mersione te ablui a peccatis, & recipi iam a vero Deo, *qui est pater domini nostri Iesu Christi, qui te per filium Iesum Christum redemit, & sanctificat te spiritu sancto. In huius veri Dei nomen, i. e. invocationem, te baptizo, quem agnosces & invocabis, & discernes ab omnibus commentitiis numinibus, & certo statues, tibi tribui beneficia, quae in evangelio promisit, te esse membrum ecclesiae Dei, quae per filium redemta est, & sanctificatur a spiritu sancto.—Et Petrus docet*, baptismum esse stipulationem bonae conscientiae erga Deum, per resurrectionem I.C. qui est ad dextram Dei. *Nominatim ait*, esse stipulationem, qua Deus tecum foedus facit, *& te, sanatis vulneribus tuae conscientiae, recipit*, & tu vicissim cum Deo facis foedus, *ut hunc verum Deum invoces, & credas, te per filium Dei resuscitatum ex morte & regnantem salvari. Ita efficax est in te hic filius Dei, sedens ad dextram aeterni patris.*

Quan-

Quantum autem quaeso, haec distant ab illis, quae ex Reformatorum Confessionibus paulo ante citavimus? An frustra scripserit I. Bergius de Discr. & concil. Evangel. p. 225? *Controversiam de necessitate & virtute seu efficacia baptismi non esse nisi verbalem:* utrinque enim convenire Ecclesias, (1) *S. baptismum non quidem in & per se, propter externam ablutionem, sed propter mandatum Christi, necessarium esse ad salutem, tanquam ordinatum sacramentale medium*, ita ut nemo damnetur ex carentia baptismi, cuius non poterat fieri particeps, sed ob contemtum, & quia eius particeps fieri noluerat. (2) Quamvis aqua ipsa non habeat virtutem occultam mundandi a peccatis, eam tamen non esse nudum & vacuum seu inefficax signum, sed *Deum, mediante illo externo sacramentali signo, secundum verbum promissionis, tam vere & certo, sanguine Christi interne a peccatis mundare, & spiritu sancto sanctificare*, atque in filios suos recipere, quam externe lavamur aqua: nec tamen propterea duplex, sed *unicum duntaxat baptismi sacramentum esse*, quamvis duae lotiones in baptismo coniungantur. Eph. 4, 5. Confer Amoen. nostras theol. p. 533. & Heideggeri Medull. theol. christ. XXV. 29. (3) *Huius salutiferae gratiae omnes illos in baptismo participes fieri, quibus illa in verbo divino promissa est*, videlicet fideles & eorum liberos, & hosce, quamvis ratione aetatis nondum habeant actualem Christi notitiam, (nempe ut adulti) tamen propter foederalem promissionem, non in infidelium & damnandorum, sed fidelium & salvandorum numero censendos, ideoque in talem promissionem baptizandos esse. Hinc & apostolum de liberis fidelium pronunciare, quod *sint sancti*, 1. *Cor.* 7, 14. *non quidem, quod illis* interna *quaedam sanctitas a parentibus annata sit, sed quod ipsi, utut in peccatis concepti & nati, & natura existentes filii irae,* ex gra-

Bergii sententia de momento huius controversiae.

ex gratia, intuitu promissionis in Christo, ad foedus sanctificationis & communionem sanctorum pertineant, atque in illa publice per baptismum recipiantur, Denque in ipsius cultum inaugurentur. De hac sanctitate infantum parentum fidelium ante baptismum, videantur praeter Amoenit. nostras theol. p.533. CL. Benthemii Stat. eccles. & schol. anglic. p.143. Conr. Bergius Themat. theol. 193. & Holzfusii disp. de Praedest. 162. & * de fide infantum baptizatorum rursus Amoenit. nostrae theol. 531.

De fide infantum baptizatorum] Bucerus non impugnat hanc doctrinam, *quod Deus pro sua misericordia & omnipotentia, per verbi sui & baptismi mysterium, fidem in pueris accendat.* Wigandus in libr. 12. Catal. haeret. Schlüsselburgii p. 544.

Eruditorum iudicia de hac controv. Sed aliorum quoque iudicia audiamus. Theologi rintelenses fatentur, *per eas, quas Reformati de baptismo fovent opiniones, neque corrumpi sacramenti usum, neque inhiberi, adeoque iis fundamentum fidei non labefactari.* Epist. apolog. p.111. *Ratione necessitatis ad salutem dari quosdam gradus inter verbum cum fide, & sacramenta: nam* verbum & fidem (*loquendo de eo, quod fit ordinarie*) *esse necessaria ad esse simpliciter*, sacramenta *ad bene esse. p. 145. 147. Litem de fide infantum** in meram abire λογομαχίαν: non enim negare Reformatos, operationem illam, quam Spiritus S. instituit in baptizatis infantibus, *aliquo modo fidem dici posse*, sed negare duntaxat, fidem in illis esse *talem, qualis adultorum;* quod etiam cum Mart. Chemnitio concedant Lutherani. p. 114. *Illam spiritus sancti in infantibus operationem, esse nobis plane incognitam & inexplicabilem.* p. 115. S. Augustinum non plus baptismo, quam *vim instrumentariam* tribuere, cum interea *Spiritum*

In meram λογομαχίαν] Eandem sententiam tenet Hildebrandus Theol. dogmat. p. 676. & I. Ludov. Fabricius p. 391.

tum S. velut causam principem intrinsecus per baptismum operari, nisi expresse semper, tacite tamen agnoscat, p. 117. Eundem *Augustinum, & Fulgentium, negare in infantibus eam tantum fidem, quae adultorum est*, & poenitendi affectu, credendique voluntate aestimatur, cum interea *baptismo, velut sacramento fidei, fideles reddi* dictitantes, *non excludant spiritus sancti per id intrinsecus operantis coniunctionem*, quae quasi anima sacramenti est. p. 118. Et tandem his verbis dissertationem obsignant: *Quanto rectius faciunt, qui, cum spirituales motus infantum incogniti atque inexplicabiles sint, an & quomodo iis* fidei *aptari nomen ac ratio possit, percontari desinunt*! p. 119.

Dreierus in Iudicio de Colloq. cassell. circa hanc controversiam sic pronunciat: *Doctrinam de baptismo quod concernit, Theologi* (evangelici & reformati in illo colloquio) *conveniunt in eo, quod* infantes non solum sint baptizandi, sed etiam per baptismum Christo inserantur, & regenerentur: *item quod* baptismus sit necessarius, *si addatur, quod* non privatio, sed contemtus damnet. *Unde necessario sequitur, quod itidem utrobique in confesso est, infantes omnes nasci cum peccato originali, quod ipsos irae & damnationi obnoxios faciat. Theologi marpurgenses quidem, infantes* sanctos *dicunt ante baptismum ratione foederis, quod Deus cum parentibus eorum iniit, sed addunt, quod* habitualis aut inhaerens ea sanctitas non sit, quippe quae demum per baptismum ipsis communicetur. *Hoc fundamento salvo manente, in caeteris disputari potest*, quousque negligentia parentum salutem infantum impediat? & anne baptismus in casu necessitatis sit probandus? *Quicquid hic statuatur, consensui non praeiudicabit. Quanquam sine dubio illa sententia melior fuerit, quae ab ecclesia magis est probata: ideo* & hic fundamentum a neutra parte everti, *recte concluditur.*

Denique Comenii in Append. ad Lasitium haec sunt verba: *De baptismo utrique* (Reform. & Evangelici) *secundum scripturas fatentur*, esse lavacrum regenerationis, Tit. 3, 5. per quem consepelimur in mortem Christi, ut, quemadmodum ille resurrexit a mortuis per gloriam patris, ita nos in novitate vitae ambulemus. Rom. 6, 34. *atque sic* nos per baptismum induere Christum, ut, simus filii Dei per fidem, Gal. 3, 27. 36. omnes unum corpus in Christo, 1. Cor. 12, 13. & quod nos baptismus salvos faciat, non carnis ablutione de sordibus, sed conscientiae bonae stipulatione coram Deo, 1. Pet. 3, 21. *Quid hic deest, si non ad curiosas quaestiones*, qua occulta virtute baptismus id in nobis agat? *descendendo, potius ut agat, solicîti simus?* O quam praestaret operam dare, ut virtus baptismi se exserat in omnibus nobis, *ut sacrati Christo, & abluti a sordibus, immaculatos nos conservemus a mundo, indutique Christum, ambulemus in novitate vitae omnes unum corpus in Christo!* Quod etiam Ioh. Bergii votum ac desiderium est l.c. p. 228.

De Ritibus ac ceremoniis.

De Ritibus ac Ceremoniis.

DE hisce quid attinet multa verba facere? Sufficit enim consentire in doctrina & sacramentis, aut certe mutuam tolerantiam colere in illis, de quibus, fundamentum fidei & salutis non violantibus, placidus adhuc dissensus est. *Nec necesse est, ubique esse similes traditiones aut ritus ab hominibus institutos*, ut docet Augustana confess. art. 7. & 15 nec non art. Abus. 5. & Apologia horum articulorum. Vbiquoque videatur Cassander in Consultatione, & Grotius in Annot. ad eandem. Sic etiam Lutherus in praefat. in Confessionem Fratrum Bohemiae, & Melanchthon in epist. ad eosdem (part. 2. Syntagm. conf.) p. 211.) Meisner. tract. de Legib. p. 662. Walenburchii tom. 1. part.

1. part. 2. p. 30. Pufendorf in I. F. D. 257. Bucerus in Iudicio germ. de Vnione relig. 141. autor Ostension. quid Ref. eccles. in Germ. cred. aut non cred. c. 10. p. 297. Conr. Berg. in Fundamento & summa veri christianismi p. 80. Theologus anglus apud Gessel. in H. E. part. 2. 759. seqq. Pastores quidam gallicani apud eund. p. 660. I. Berg. de Discr. & concil. Evangel. p. 225. Conc. 1. Hypotypos. ℨ 4. Dan. Sachs in Append. ad Conf. dordr. germ. idiomat. p. 153. & Consensus polon. (part. 2. Syntagm. confess.) p. 170. quippe qui *non vult removeri ritus, nisi superstitiosos.* p. 224. 231. Et quamvis * nonnulli inter Reformatos ritibus sint iniquiores, non desunt tamen alii, qui moderatiores de iis fovent sententias. Horumque vestigia legere, & aequiora eorum iudicia recensere iuvabit, praeteritis durioribus illis, utpote quibus transigendum est prius cum fratribus suis: tantum abest, ut nos cum iis sive velimus, sive debeamus, serram disputationis reciprocare. Nam in omni disquisitione, quae cum dissentientibus instituitur, dimidium operae, ni fallor, conficies, si ridigiores sibi res suas habere sinas, & moderatiorum mitiorumque duntaxat sententias sub examen voces atque consideres. Potissimum autem de V. ceremoniis videtur esse nos inter & Reformatos differentia, videlicet 1. de baptismo laicorum. 2. de exorcismo baptismali. 3. de fractione panis & oblatis in S. coena. 4. De confessione & absolutione privata, & 5. de imaginibus & distributione praeceptorum decalogi. I. Berg. de Discr. & concil. Evang. 229.

Disputandum cum mitioribus.

Nonnulli inter Reformatos ritibus sint iniquiores] Vt Transylvani pastores & professores apud Gessel. H. E. part. 2. p. 689.

I. Quod ad baptismum attinet, non quidem probant Reformati, ut ille a laico aut muliere administre-tur,

De baptismo, qui a laico vel muliere administratur.

tur, quia baptizatio, est actus ecclesiasticus, nec ab alio debet fieri, quam cui ministerium docendi & sacramenta dispensandi ab ecclesia delatum est; interim non negant, *baptismum talem, in casu necessitatis, a laico vel muliere peractum, verum esse baptismum.* Ioh. Berg. 231. Voss. disp. 10. de Bapt. §. 9. I. Lud. Fabricius 403. qui etiam pro hac sententia citat Zanchium, Abotum, Gisb. Voetium, Ecclesiam anglicanam, immo & Zwinglium & Gualtherum. Neque etiam Confessiones Reform. adversus eiusmodi baptismum fulmen *condemnationis* vibrare solent. Quid? quod Calvinus ipse, uti Remonstrantes in Apol. confess. c. 23. p. 234. observant, diserte in Instit. l. 4. c. 15. sect. 20. affirmet, *multis abhinc seculis, adeoque ab ipso fere ecclesiae exordio, usu receptum fuisse, ut in periculo mortis laici baptizarent, si minister in tempore non adesset.*

Reform. sententia de exorcismo.

II. Exorcismum, seu adiurationem diaboli, quae in baptismo fit, reiiciunt, quia (1) quanquam infantes in peccato originis nati sunt, tamen * ***nec corporaliter, nec spiritualiter obsessi sint a diabolo.*** (2) exorcismus non habeat virtutem expellendi satanam. (3) Deus nunquam praeceperit, ut diabolus in spiritualiter obsessis, nedum in infantibus adiuretur, & per imperium inde eiiciatur. Consultum vero esse putant, si ille vel omnino, uti fit in quibuspam ecclesiis Evangelicorum, ***omittatur***, vel ***in precationem***, qua doctrina de peccato originis & efficacia baptismi clarius

Nec corporaliter, nec spiritualiter obsessi] Nemo Evangelicorum ita delirus est, ut credat, infantes ante baptismum corporaliter, aut spiritualiter, phrasi proprie accepta, a maligno spiritu esse obsessos, & hunc ista adiuratione expelli. Pufend. in I. F. D. 258.

rius indicetur, convertatur, vel *cuivis, qui eo uti nolit, sua relinquatur libertas.* I. Berg. de Discr. & concil. Evangel. 232. Cui addi possunt Petrus Mart. Vermilius, & Bucanus, apud Gerh. L. de Bapt. n. 266.

Nec sane Helvicus Garthius in praefat. in V. tomum Operum Aeg. Hunnii negare potest, * Hunnium ecclesiae commodum atque utile esse existimasse, si ritus exorcismi, quantum ad pronunciationem verborum & moderationem gestuum, praeeunte necessario consensu ordinum ecclesiae, & legitima insuper plebis informatione, in administratione baptismi *omitteretur*, & *in locum eius vel commonefactionis vel precationis formula* de peccati originalis atrocitate, satanae in filios Adami nondum renatos regno & potestate, infinita sanguinis Christi virtute, & spirituali baptismi ad regenerationem efficacia, (quam exorcismum alioquin sano sensu significare & testari, ecclesiae augustanae uno ore profitentur) ipsis scripturae verbis concepta substitueretur. *Æg. Hunnii & aliorum Evangelicorum,*

Hunnium] In Thesibus theol. de Exorcismo. Quarum tamen autographum nondum lucem adspexit, cum interim editio erfurtensis re ipsa ab illo non differat.

Gerhardi quoque verba digna sunt, quae hic adducantur. Sic autem ille: *Quod rem ipsam per exorcismum adumbratam, itemque explicationem verborum in hac ceremonia adhibitorum attinet, quod videlicet sit commonefactio & testimonium de spirituali captivitate infantis in regno satanae de miserabili statu, in quem per lapsum primorum parentum redacti sumus, de salutari efficacia baptismi &c. ea cum fidei sit analoga*, non potest simpliciter improbari: *interim tamen*, cum verba sint duriora, ac, seposita illa explicatione, prae se ferant obsessionem quandam infantis, *a qua per illam ipsam ceremoniam fiat libe-*

liberatio, *ideo*, *ut loquitur D. Chemnitius part. 3. Locor. theol. p. 178. habet ecclesia libertatem*, *ut doctrinam illam de peccato originis*, *de potestate & regno satanae*, *& de baptismi efficacia*, aliis verbis, *scripturae magis consentaneis*, *proponat & explicet.* L. de baptismo §. 265. Et paullo post addit: *Hanc libertatem abrogandi ceremoniam adiaphoram*, ut ipso facto ecclesia in exorcismo demonstraret, *forte non fuerit inutile*, *propter causas non contemnendas.* Mox tamen cautionem hanc subiungit, *non esse abrogandum in gratiam eorum*, *qui praefracte abrogationem urgeant*, & ex falso fundamento; *nec illam privatim* absque consensu ecclesiae, a ministro *suscipiendam*, aut a Magistratu (absque sufficiente ratione) *edictis imperandam*, verum *praecedere oportere diligentem ex verbo Dei de hac ceremonia informationem*, *ac orthodoxae ecclesiae consensum.* §. 266.

Rintelenses theologi: *Non est*, aiunt, *cur ea iam excutiamus*, *quae de exorcismo ultro citroque disputari solent*; *cum hic in controversiis fundamentalibus occupemur*, *quarum in censum haudquaquam venire debet illa de exorcismo*, *vehementer quantumvis agitari solita*, *quaestio. Duriuscula quidem priore auditu videntur esse verba*, *quam ut sanam scientiam* audientium animis ingerant: sed ea tamen, qua a nobis capiuntur, explicatione, fatentibus * multis diversae partis, *nihil ab-*

Multis diversae partis] Quo etiam pertinet M. Buceri iudicium germanicum, quomodo tolerabile initium fieri queat unionis religionum. Lipsiae A. 1534. 4. ubi & G. Wicelius praesens fuit, & in omnia consensit: Die alten exorcismi & exsufflationes, chrisma, Alben / gläubigs Segnen des H. Tauff-Wassers / und was andere bräuch die Alten bey der H. Tauff geübet haben / wo man die noch in wahrem Glauben auff die Zusag und Werck des Herrn / ohn einigen aberglauben auff solche Dinge an ihnen selbst / oder von wegen menschlichen wercks an ihnen / gebraucht / sol man lassen gute und gottseelige übungen seyn.

bil absoni aut incommodi habent. ***Quanquam*** ut huic verborum formulae pervicaciter inhaereamus, nihil tantopere nos movet, quam & antiquissima priscae ecclesiae consuetudo, & exaggerandae infantum ante regenerationem miseriae pia intentio: *eum enim ritum iam tum aetate Optavi milevitani in usu fuisse, & ad explicandam peccati originis vim ac quasi tyrannidem, non vero ad corporalem denotandam obsessionem, comparatum esse, negari nequit. Vide* S. Augustinus, infantes peccato originis, & ob id potestati satanae, aeternaeque damnationi subditos esse probaturus contra Pelagianos, inter alia ex exorcismo argumentum nectit, *ut videre apud ipsum est lib. I. de Nupt & concup. c. 20. & lib. 2. c. 8. Verum ita commendat nobis hunc ritum tam pia antiquitas, quam optima eius intentio, ut tamen* nulla subsit necessitatis opinio. *Quin potius, qua libertate olim est invectus, eadem, si nostris ecclesiis inter se conveniat*, aboleri, aliis verbis afferri, & in preces converti, *aut quomodocunque* mutari potest, *nisi quod huiusmodi mutatio non nisi gravi de causa, praemissaque, qua infirmorum scandalo prospciatur, sufficienti informatione, iniri debet. Vt taceamus*, in multis confess. nostrae consortibus, iisque amplissimis ecclesiis, exorcismum nunquam obtinuisse. *Paucis ut rem complectamur, ritus ecclesiasticus & humanus, adeoque, absque sanctione ecclesiae fit*, in adiaphoris est, *de quibus ut nos dissentientibus* nunquam dicam scripsimus, *ita, qua sunt moderatione*, vicissim non magnopere litigabunt nobiscum Reformati, *certe bellum indicere desinent, quod hactenus indixerunt, si modo caeteris super dissensionibus virulentae condemnationes & intentata haeresium fulmina, quibus nimium dissociantur animi, silescant tandem, nec unquam amplius audiantur.* In Epist. apol. p. 109. 110. & seqq.

Quaestio tantum est, scribit Pufendorfius, ***Annon praestet***

commodiore & minus borrida formula hanc ipsam rem exprimi. Vbi si per temperamentum aliquod ad concordiam profici quid possit, non video, quare difficiles esse debeamus, modo sensus iste, quem dixi, retineatur. In I. F. D. 259.

Audiendus quoque nobis est Dreierus: *Exorcismus,* inquiens, *cum baptismo coniunctus*, in nostris ecclesiis retinetur, quia sic placuit catholicae ecclesiae *iam inde fere a temporibus Apostolorum. Constat, quod Augustinus peccatum originis in infantibus inde probet inter alia contra Pelagianos, quod universa ecclesia ubique exorcismos baptismis parvulorum praemittat: ad quod certe illi respondere non poterant, ritum illum non ubique receptum, aut aliquid in eo improbandum esse. Audiamus* * *Augustinum ipsum, qui lib. 6. contra Iulianum c. 2. ait:* Verum est, quod antiquitus veraci fide catholica praedicatur & creditur per ecclesiam totam; quae filios fidelium nec *exorcizaret* nec *exsufflaret*, si non eos de potestate tenebrarum & a principe mortis erueret, quod in libro meo, cui velut respondes, a me positum est: sed id tu commemorare timuisti, tanquam ipse ab orbe toto exsufflandus esses. *Haec ille. Quod ecclesia a tot seculis probavit, & in usu babuit, quomodo improbari possit, non video. Id quoque clarissimum est ex verbis Augustini & aliorum, quod* exorcismus non sit nuda ceremonia, nec simplex oratio, sed exercitium pietatis, qua Christus cathol. ecclesiae potestatem in daemonem dedit, *dum imperat satanae, eumque adiurat in nomine Christi, cui homo per baptismum inserendus est, ut illum dimittat, nec in bono spirituali impediat. Neque inde sequitur, quod infantem corporaliter obsessum statuamus: nam* & spiritualis datur potestas sata-

Augustinum] Similia leguntur apud eundem l. 2. de Pecc. orig. c. 40. lib. 1. de Nupt. & concupisc. c. 20. & l. 2. c. 18. & 29. tom. 7. opp. & pluribus in locis, quos allegat Vossius l. 2. Hist. pelag. 156.

satanae in hominem, *quamdiu extra regnum Christi est*: & *ut haec potestas frangatur, exorcismus adhibetur antiquitus. Porro non sequitur*: Non biti fuerunt exorcismi ad eiciendos daemones ex corporaliter obsessis; ergo non poterunt adhiberi ad frangendam potestatem daemonis spiritualem, quam ob peccatum sibi vindicat in hominem. *Sicut non sequitur*: Christus sanavit verbo corporaliter obsessos vel aegros; ergo verbo non sanavit, nec sanat spiritualiter satanae subiectos, & quoad animam aegros. *Haec propterea adiicio, ne nos aliquis ob exorcismum aversetur: sicut enim* non damnamus eos, qui illum non adhibent, sic nec nos damnabunt, qui cum ecclesia catholica adhibemus, *nec aliter adhibendum putamus, quam illa eum adhibuit. Neque, ut puto, nobis fas est, ex ecclesiae exorcismis simpliciter preces facere.* Haec Dreierus. Cui adde, quae de huius ritus antiquitate, pia significatione, & libertate seu indifferentia tradunt Cassander in operibus p. 749. G. I. Vossius in Hist. pelag. lib. 2. p. 157. Fabricius System. theol. 483. 679. 686. Pastores norimb. in Respons. (cuius auctor est citatus parens meus) ad Ministerium berolin. data A. 1664. Hildebr. in Theol. dogm. p. 690. & in disput. de Ritibus sacris, n. 17. ac Brunnemann. in I. E. 179.

III. Oblatas, *hostias* dictas, *reiiciunt*, quia ortum suum habeant ex papatu, nec usum verum panis, quali Christus in S. coena usus est, commode praebere possint: interim *non damnant eos, qui illas pro vero pane & habent*, & ad celebrationem eucharistiae adhibent. *Fractionem* autem *panis observant retinentque* (1) propter exemplum Christi & Apostolorum, quoniam ille instituens S. coenam, panem fregerit, hique inter illa, quae acceperunt a Domino, etiam fractionem commemorent, (2) propter

De Oblatis seu hostiis & Fractione panis

pter Christi mandatum, ut faciamus id, quod ipse fecit, quamvis enim mandatum hoc non respiciat circumstantias temporis & loci, porrigere se tamen ad totum opus & ceremonias tunc adhibitas. (3) in memoriam fracti pro nobis corporis Christi, & quod nos multi, debeamus esse unum corpus, sicut omnes de uno participamus pane. (4) propter doctrinam apostoli 1. Cor. 10, 16. *Poculum benedictionis, cui benedicimus, nonne communio sanguinis Christi est? Panis, quem frangimus, nonne communio corporis Christi est?* Sicut igitur non omittitur benedictio, ita nec fractionem panis omittendam esse. (5) quia ab apostolica ecclesia, tota liturgia S. coenae de hac ceremonia fuerit appellata *fractio panis*, Act. 2, 42. 46. (6) quia fractio haec, in ecclesia christiana, usum suum habuerit, in millesimum usque unum. Neque tamen aliam eius significationem & necessitatem se statuere aiunt, quam quod Christi corpus pro nobis fractum, i. e. crucifixum & occisum, debeat repraesentare, & securius sequi liceat exemplum Christi, Apostolorum, & primitivae, quam posterioris & recentioris ecclesiae. *Sed nec condemnare nos volunt ob fractionis omissionem, modo liberum eius usum ipsismet permittamus, nec eius causa controversiam faciamus,* Ioh. Berg. de Discr. & conc. Evangel. 235. 237. & Bucerus, Zanchius, Martinius, item Beza, Steinius, & Crocius apud Gerh. L. de S. coena §. 24. & 158. Et sunt inter Reformatos integrae ecclesiae, in quibus fractio panis omittitur, referente eodem Gerhardo ibidem.

Sententia Evangelicorum. Ecquid vero alii de duobus praesentibus punctis iudicant? Theologi rintelenses cum Marpurgensibus fractionem panis usualis, *utilem & pium esse ritum* agnovere, adeoque in illis ecclesiis, in quibus hactenus non obtinuit, *commode introduci posse, si consensus earum impetrari queat.*

Et

Et quamvis Marpurgenſes uſualem panem orbiculari in parte diverſa uſitato praeferrent, *orbicularem tamen iſtum ſe ita non habere, ac ſi verus panis non eſſet*, declararunt. In Brevi Relat. colloq. caſſell. p. 6. Hildebr. in Theol. dogm. *malle ſe*, ait, *ut ſub initio reformationis* ritus fractionis in eccleſiis noſtris retentus fuiſſet, *non ſub ratione neceſſitatis ad confectionem eucharistiae, ſed ideo, quod Chriſtus ipſe in inſtitutione eum adhibuerit, inque eadem expreſſa eius mentio fiat, quodque, ſi non univerſa eccleſia, maior tamen eius pars, ab initio uſque ad tempora haec noſtra, in celebratione eucharistiae uſurparit.* p. 734. Similiter Dreierus in Iudicio ſuper colloq. caſſell. ſcribit: *Bene convenit inter partes, quod* fractio panis communis & uſitati, ſit pius ritus, & utilis, adeoque optandum, ut poſſet in eccleſias illas introduci, ubi non obtinet. *Cum enim verba inſtitutionis, regulae ſint adminiſtrationis eucharistiae, dubium non eſt, quin ille modus optimus ſit, qui proxime ad verba accedit. Praeterea conſtat*, ſemper in eccleſia fractionem panis uſitatam fuiſſe & in oriente & in occidente, *adeo, ut ipſi Pontifices, poſtquam panes nummularios introduxerunt, unam grandiorem hoſtiam ad frangendum ſervarent. Id quoque certum eſt*, *quod* veteres hunc ritum ad memoriam ſacrificii pro nobis in cruce oblati *plurimum facere putarint*, *ſed* quomodo convenienter introduci poſſit, *non apparet. Interim ad concordiam facit, quod* Marpurgenſes noſtras orbiculares hoſtias verum panem agnoſcunt, nec in noſtris eccleſiis aliquid eſſentiae ſacramenti detrahi fatentur, *licet, ex mandato Chriſti, ad integritatem ſacramenti, fractionem neceſſariam putent:* quod nos non putamus, *quia ſcilicet mandatum Dei ſubſtantiam ſacramenti reſpicit, non accidentia*. Inter accidentia autem refertur fractio, *quia eſt modus actionis, non actio.*

De confess. & absolut. privata. IV. Privatam confessionem & absolutionem ***non absolute reiiciunt***, dummodo utraque ad verum suum scopum dirigatur, nempe in solatium tentatorum, in rudium informationem, in admonitionem securitati deditorum, & in poenam eorum, qui aliis praebent scandala. ***Abusum duntaxat reiiciunt***, si putatur esse opus operatum, aut nuda ceremonia, quasi remissio peccatorum consisteret in recitatione formulae confessionis, & privata pastoris absolutione; aut si pastor magis respicit nummum confessionis, quam consolationem & resipiscentiam confitentis. I. Berg. de Discrim. & conc. Evang-l. p. 238. *Nos* autem *retinemus confessionem privatam, non sub opinione necessitatis de iure divino, sed propter gravissimas causas*, quarum aliae respiciunt confitentes, aliae absolventes, ita tamen, ut plures ecclesiae evangelicae eam haud male mutarint in publicam. Vide Gerhardi L. de Poenit. §. 99. Hildebr. Theol. dogmat. 477. & Amoenit. nostras theol. 490.

De Imaginibus V. Quoad imagines, aegre quidem ferunt, quod non Iudaeos & Patres ecclesiae veteris, sed Augustinum & Scholasticos secuti, praeceptum de imaginibus in Catechismis nostris omittamus, & imaginibus locum in ecclesiis nostris concedamus. Sed audientes explicationem nostram, nos illam imaginum prohibitionem non pro peculiari praecepto, sed *pro declaratione primi praecepti* habere, *neque imaginibus cultum adorationis, utpote a Deo prohibitum, exhibere*, mox ita se declarant, *non se nobis amplius controversiam facturos, modo* 1. secundum distributionem illam praeceptorum decalogi augustinianam, ***integrum retineamus decalogum***, atque adeo etiam prohibitionem imaginum. 2. ***contenti simus imaginibus historicis***; superstitiosas autem & idololatricas exterminemus, eosque, qui imagines,

gines, ut putant, vi praecepti divini & auctoritate superiorum e templis eiiciunt aut eiecerunt, alioquin autem ab omnibus omnino imaginibus non abhorrent, *non damnemus aut reiiciamus.* I. Brg. 243.

Quodsi libet aliorum his de rebus audire iudicia, I. Fabricius, parens meus, in Syst. theol. *Citra adorationis cultum*, ait, habere licet imagines seu pictas, seu sculptas. *Et pictas quidem habet nobiscum etiam Graeca ecclesia: sculptas autem non habet, quod eae propius ad idola gentium accedant.— Nos autem in nostris ecclesiis sculptilia ut ut habeamus*, minime tamen veneramur & colimus, sed tantum illorum intuitu memoriam Sanctorum recolimus. *Quodsi ipsius etiam* Dei imago *quandoque efformatur, non eo illud fit, quod Deum corporeum putemus, qui imagine corporea exprimi possit, sed quatenus Deus semet ipse sub forma humana & corporea Prophetis videndum exhibuit, Spiritusque sanctus columbae specie super Christum apparuit: quidni enim ea specie Deum possimus exprimere, qua se ipse conspiciendum aliquando praebuit?* pag. 347. Adde etiam Grotii Annot. ad Consult. Cassandri, art. 21. p. 313.

De distributione praeceptorum decalogi.

Praeceptorum decalogi vero enumerationem (augustinianam, qua praeceptum de non faciendis imaginibus omittitur, & ultimum de concupiscentia in duo dispescitur) nos quoque in ecclesiis nostris sequimur, *& indifferenter* quidem, ita ut per nos aliis liceat aliter facere: nec enim nostram divisionem cuiquam alteri, tanquam necessariam, obtrudimus, modo &, qui ordinem numeralem a nostro diversum tenent, *eius generis hanc rem esse meminerint, in qua liberum cuique iudicium esse debeat, ob quam non sit contentiose cum dissentiente pugnandum*: quod ingenue agnoscit Calvinus Institut. cap. 3. n. 14. Idemque observavit

vavit Zach. Vrſinus, in Explicat. catech. p. 686. ſcribens: *Si modo doctrina & ſententia de vero Deo & vero Dei cultu integra retineatur, de verborum numeratione non odioſe pugnandum eſſe.* Quae iterum verba ſunt parentis mei p. 344. Sapienti etiam ſat dictum eſt, quando Spenerus in Explicat. catech. Lutheri, ad quaeſtionem 38. & 41. reſpondet, ad primam tabulam pertinere tria prima praecepta, *aut ſi appendix primi praecepti de prohibitione cultus imaginum ſeorſum numeratur*, prima quatuor: ad ſecundam vero ſeptem ultima, ***aut, ſi nonum & decimum contrahuntur in unum***, ſex ultima. p. 27. Addam quoque verba I. B. Carpzovii: ***Haec res***, (de diviſione decalogi, qua Lutherus primae tabulae tria, ſecundae ſeptem praecepta fecit) ait ille, ***non fidei, ſed quaeſtionis eſt***, &, ut beatus Hunnius tom. 1. art. de Lege fol. 375. ait, ***inter adiaphora reponenda***, nec, ut B. Chemnitius part. 2. LL. theol. p. 28. monet, multum refert, ***quomodocunque praecepta numerentur***, modo illud retineatur, ad primam tabulam pertinere, quae praecipiunt immediatum cultum erga Deum. Vnde & *utraque diviſio in argentinenſi eccleſia, vere & ſincere lutherana, hodie retinetur;* altera quidem in Catecheſi & informatione germanica, noſtra vero in ſcholis & catecheſi latina, prout Agenda eccleſiaſtica argentinenſia p. 79. teſtantur. Iſag. p. 954.

Plura de his ſimilibusque ritibus vide apud Puſendorf. in I. F. D. 258. autorem Oſtenſionis, quid eccleſiae Ref. in Germ. cred. aut non cred. c. 10. ac D. S. Scultetum in praefat. in Iteratam eccleſ. reform. invitat. & notetur, quod ex Steinii Fraternitate recenſetur, *ad ceremonias, ab quarum diſparitatem neutra pars alteram damnare debeat, pertinere imagines, & crucis ſignum, exorciſmum, baptiſmum muliercularum, confeſſionem & abſolutionem privatam, oblatas, omiſſionem fra-*

ctionis

ctionis panis, & aras. Quod sane conforme est Recessui Statuum Imperii francofurtensi de anno 1559, quo transactum & decretum fuit, ne quis Status alteri propter ceremonias, dummodo illae verbo Dei sint consentaneae, molestiam creare, dicam impingere, aut damnationis notam inurere, subditisve suis talem exorbitantiam permittere debeat.

In referendis eruditorum de Reformatis eorumque doctrinis iudiciis, parciores esse possumus, postquam eorum nonnulla a nobis supra sunt allata, ut pag. 519. 522. 531. 536. 538. 554. 556. 565. Quibus iam addi possunt alia; inter quae primum merito locum sibi vindicat illud, quod extat in praefat. Formulae concordiae, ubi Principes & Status S. rom. imperii protestantes, qui Formulae concordiae subscripserunt, conceptis verbis dicunt: *Ad condemnationes, reprobationes & reiectiones impiorum dogmatum, & praesertim quod de S. coena exstitit, quod attinet, nequaquam consilium & institutum nostrum est, eos homines, qui ex quadam animi simplicitate errant, nec tamen blasphemi in veritatem coelestis doctrinae sunt, multo vero minus totas ecclesias, quae vel sub imperio nationis germanicae, vel alibi sunt, damnare.* Similiter David Chytraeus, non minus singularis prudentiae, quam summae doctrinae encomio ornandus theologus, in Epistolis p. 1007. *abesse a se* iubet, *ut ullas ecclesias, Principes aut populos* (in doctrina de S. coena) *dissentientes, propterea condemnandos, aut diabolo tradendos, aut minus Turcis & Scythis ferendos, aut propter evangelii confessionem interfectos, diaboli martyres esse statuat.* Ioh Hülsemannus in disp. de Dogmatib. ad sal. cred. necessar. (quae subiuncta est Calvinismo irreconciliab.) §. 16. de eo, qui persuasus est, verborum Christi in S. coenae institutione eum sensum non esse, ut cor-

Eruditorum de Reformatis iudicia.

poralis eius praesentia inde adstrui possit vel debeat, quia cum ascensione in coelos & veritate humanae naturae pugnet, ait, *quod erret, dubium nullum esse, an exitialiter erret, maximum.* Ioh. Meisnerus in disputationum de Articulis fidei tertia, n. 8. docet, *quum creditur*, Deum omnium hominum misereri, iisque fidem & salutem dare velle, *id dogma pertinere quidem ad finem ultimum hominis, sed non ita immediate, ut illud*, quo creditur, Deum nobis propter Christum mediatorem propitium futurum esse, & daturum vitam aeternam, *verum mediante hoc*, Deus mei vult misereri, & dare fidem ac salutem aeternam. Integra dictorum auctorum verba videantur sive in citatis eorum scriptis, sive in F. V. Calixti Respons. ad Theses antisyncret. p. 14. Sed Ioh. Val. Andreae, itidem Theologis pie & eleganter doctis, sed & cordatis ac prudentibus (quibus dotibus nisi praeditus fuisset, neutiquam eum constituisset consiliarium ecclesiasticum sapientissimus Augustus, Dux Brunsv. ac Luneb.) annumerandi, quae exstant in Menippo eius c. 16. integra dabimus, cum quod in dialogo exhibentur, tum quod memoratus libellus in paucorum est manibus, dignus tamen, qui a plurimis legatur. Sed arrigite aures, & auscultate sic colloquentibus: A. *Velles tamen tuae religionis libros omnibus & ubique prostare?* B. *Non licet sperare: tantum veritatis odium est.* A. *Reliquos omnes exstingui?* B. *Saltem librorum officinis prohiberi.* A. *Atqui nec lectos, nec visos, nec emendatos condemnas alieno ac temerario saepe iudicio.* B. *Non otium est legere, de quo certus sum.* A. *Nec illis otium est tua legere.* B. *At quae absurda de illis dicuntur!* A. *De te longe absurdiora* B. *Ego scripturae consensum habeo.* A. *Illi aeque dictitant.* B. *Sed falluntur, & fallunt.* A. *Idem in te accusant.* B. *Iniuriam faciunt.* A. *Quid si tu illis? fateris enim, nunquam auditos abs te aut lectos esse.* B. *Mibi*

Doctri-

Doctrinae corpus *est, scriptura undique roboratum, & contra adversarios omnes munitum: ei immoriar.* A. *Eos tamen ne damna, qui fortasse inscii tecum consentiunt, nomine tantum, aut opinione divisi.* B. *Quin ergo nobis accedunt?* A *Non licet, posteaquam religio civile obsequium odiumque factum est, & violentia regitur* : interim in omni religione viros bonos reperias, qui aliquid desiderent, ac inprimis mansuetudinem praesidum; sed praesente statu contenti, magna patientia sustinent, si quid videtur molestum. B. *Itaque puccianam religionem introductam velis.* A. *Nequaquam, sed qualem Acontius suadet, quae nulla commixtione adversam partem benigne, diligenter, patienter, devote audiat, non victoriam ubique & plausum, etiam violentum, affectet.* B. *Satis est, me conscientiam habere pacatam.* A. *Scilicet quae* confessionis *alicuius pulvinari suaviter indormiat.* B. *Quis mare controversiarum enaviget?* A. *At is unus de diversis religionibus optime iudicabit.* B. *Illorum esto, quibus exinde census.* A. *Interim facile est tibi innocentem sanguinem fundere, his instigantibus flabellis.* Christoph. Donauer, ecclesiastes sub initium superioris seculi ratisbonensis, mansuetudinis & modestiae pastoralis speculum purissimum, libellum edidit germanicum, quo exponit sonticas rationes, cur pro suggestu & in facie ecclesiae, Reformatos nequeat accusare haereseos, eosque condemnare, & secundo loco adducit hanc rationem, quod illi *nobiscum unum idemque habeant fidei & salutis fundamentum.* Videatur etiam Valentini Schüzii, inter pie eruditos locum occupantis, Apolog. p. 21. & Ioh. Brunnemanni Ius ecclesiast. p. 120. Neque est, quod mihi quis ogganniat, Brunnemannum non esse sacris nostris initiatum, sed ICtum, adeoq; citari Saulem inter Prophetas; nam mihi (& cui non,

Hhhh 2 dum-

dummodo ab invidia & praeiudiciis liber sit?) satis est, deprehendi in eo praeclaram rerum theologicarum notitiam, pietatem haud fucatam, singularem prudentiam, & eximiam moderationem: quae dotes in quocunque reperiantur, eum ego praetulerim multis aliis, qui, etiamsi *Theologorum* nomen ac titulum gerant, superciliosi tamen sunt, imperiosi, contentiosi, iniusti, imprudentes, impudentes, temerarii, rigidi, & lupinam saevitiam pelle ovina obtegentes. Quid igitur vetat ingenui illius iustitiae sacerdotis verba referre ac recitare? *In his tribus religionibus*, ait vir egregius, *quae in romano Imperio tolerantur, fundamentum hoc salutis commune reperitur, quod filius Dei carnem humanam adsumserit, & in ea passionem & mortem subierit, ut pro nostris peccatis satisfaceret, Deum placaret, & vitam aeternam nobis promereretur; & propter hunc Iesum, filium Dei, nobis remitti peccata, quando eum fide apprehendimus.*

Huc etiam suo modo referri possunt sequentia: *Controversiae inter Protestantes agitatae, non sunt annumerandae ἀπαιδεύτοις* apostoli *ζητήσεσι, sed ad scholas theologicas relegandae, ut ibi discutiantur, salva interim manente pace & concordia christiana.* Ios. Hall in Sent. decolloq. lips. apud Gessel. Hist. eccl. P. 2. 648. Disputatio de S. coena *concernit modum praesentiae Christi; altera* de Christo, *& tertia* de Praedestinatione. *falsas imputationes, seu non satis recte perceptas sententias Reformatorum.* Mos. Amyrald. in Iren. 221. *In dogmate de S. coena, nostra* (Reformatorum) *sententia talis est, ut in ea nihil vituperare queant, nisi quod non ea omnia credimus, quae ab ipsis* (Evangelicis) *vera esse putantur.*

Scripta Reformatis opposita. Reliquum est, ut scripta Reformatis opposita commemoremus: quod si praestitum fuerit, tractationi huic, immo & toti operi, finis poterit a nobis imponi. Talia sunt, Marr. *Lutheri* tractatus, Daß die Worte Christi noch fest stehen / tom. 3. ien. germ. p. 336. & tom. 7. witteb. lat. p. 380.

item

item Dehortatio a scriptis carolstadianis, tom. 3. ien. germ. p. 103. Aliud scriptum contra Carolstadium. p. 155. Confessio de S. coena. 438. & tom. 8. 174. Seria adhortatio de cavenda doctrina Schwermerorum. p. 533. Epistola ad Argentinenses. p. 501. Alia ad ser. Philippum, Landgr. Hassiae, tom. 4. 465. Refutatio aliquot argumentorum Carolstadii. 376. Dehortatio a doctrina & doctoribus zwinglianis. tom. 6. 110. Vrb. *Regii* Dehortatio a doctrina Carolstadii, P. 4. oper. germ. p. 117. Tilem. *Hesbusii* lib. de Praesentia corporis Christi in S. coena, & huius confessionis Pia defensio; Refutatio Consensus orthodoxi per Theologos *wirtenbergenses*; *Eorundem* Wiederlegung des Staffortischen Buches / item Examen und Gegen-Bericht / was die Reformirte Kirchen in Teutschl. glauben oder nicht glauben; Theologorum *saxonicorum electoralium* Gründl. historia von der Augsp. confession contra * Ambrosium Wolffium; Phil. *Nicolai* Fundamentorum calvinianae sectae cum veteribus Arianis & Nestorianis communium detectio, Responsum ad duos Sadeelis libros, Methodus controversiae de omnipraesentia Christi secundum humanam eius naturam, Omnipraesentiae I. Christi mysterium, Grundfest und richtige Erklärungen des streitig. artickels von der Gegenwart unsers Seeligmachers Jesu Christi nach beyden Naturen / Bericht von der gantzen calvinisch. religion / Bericht von der Calvinisten Gott und ihrer religion, Abtreibung des wehrlosen Entsatzes / welchen die Calvinisten zu Unna in dem streitig. articktel von der Ubiquitet haben ausgehen lassen / Die erste victoria über des calvinisch. Geistes niederlage / Verantwortung der evangel. Kirch. in Holland wieder Petrum Placium, Warnung für M. Iohann Cuno wegen

* *Ambrosium Wolffium*] Id est, Christoph. Hardesianum.

gen der calvinisch. Dünsten / Examen Examinis pieriani, Freudige widerkunft / item Sieg und Freuden-Tritt der Wahrheit / contra eundem; Petri *Piscatoris* tr. de Praedestinatione contra Sam. Huberum & Calvinistas; Ioh. *Forsteri* Status controversiae de panis eucharistici fractione, & Trias controversiarum theol. de Induratione, absoluto decreto, & electione Sam. Huberi; Leonh. *Hutteri* Sadeel elenchomenus, seu tractatio pro maiestate humanae naturae Christi, Concordia concors, Irenicum vere christianum, Calvinista aulico-politicus, Antwort auf das Gespräch Hans Knorren und Bened. Haberechten / und auf die 2. Sacrament-Spiegel Salom. Fincken / Examen des Glaubens-bekäntnis der Reformirten Kirchen / Widerlegung des Gesprächs Harminii de Mosa, und Gregorii Brandenburgers; Iac. *Hailbronneri* Schwenckfeldio-calvinismus, Synopsis doctrinae calvinianae, Widerlegung des Berichts der Theologen zu Heidelberg vom H. Abendmahl; Conr. *Schlüsselburgii* liber III. catalogi haereticorum, Theologia Calvinistarum, Theologia calvinistica, Erklärung und Antwort wider Christoph. Pelargum, Widerlegung und Antwort contra eundem; Ioh. *Affelmanni* Examen concionis rhuelianae vom Abendmahl des Herrn / Calvinische Heuschrecken; Ioh. *Winckelmanni* Responsio ad conciliationem pugnae sacramentariae, contra Anton. Sadeelem, Consideratio tabulae Raph. Eglini, controversiam de coena Domini concernentis, Errores Calvinianorum de baptismo, coena Domini, persona Christi, & electione contra Paulum Tossanum, & Responsio ad Apologiam huius Tossani; Balth. *Meisneri* Philosophiae sobr. pars I. Unterricht / daß man sich vor der calvin. Lehre hüten soll / & Apologeticus huius scripti, Probe der calvinisch. religion; Balthas.

Men-

Menzeri Collatio aug. conf. cum doctrina Zwinglianorum & Calvinistarum, contra Vrb. Pierium & Ludov. Crocium, Anticrocius seu contra Apologeticum Lud. Crocii pro aug. confessione, Examen censurae crocianae, Abstersio calumniarum I. Crocii, Responsio ad defensionem secundae partis Conversationis prutenicae I. Crocii, Elenchus errorum Ant. Sadeelis, Responsiones contra Matth. Martinium, Martinius ἐλεγχόμενος, Dispp. antisteinianae, Examen Responsionis Ioh. Appelii, Trias dispp. in Synodum dordrechtanam; Wolfg. *Franzii* Syntagma controversiarum; G. *Rostii* Anticrocius de autore peccati, & Examen Apologetici felgenhaueriani; Casp. *Finckii* Schediasmata, & Apologia schediasmatum, Dispp. antigocleniane, Prodromus modestae responsionis ad Theses apologeticas Rud. Goclenii, Hyperaspistes pro abstergendis calumniis Neomarpurgensium; Pauli *Tarnovii* Praelectiones de sacramentis contra Bened. Aretium; Polyc. *Lyseri* Harmonia Calvinianorum & Photinianorum in doctrina de S. coena; Dan. *Crameri* Tractatio de distinguendo catalogo quoad praeceptorum numerum, Sana doctrina de praedestinatione, Unterricht von den fürnehmsten Streiten zwischen den lutherischen und Calvinischen / Bericht des colloquii mit D. Christ. Pelargo; Lucae *Osiandri* Enchiridion controversiarum cum Calvinianis; Lucae *Bacmeisteri* Bekant- und Bezeugnis vieler vornehmen calvinisch. Lehrer und Scribenten / daß man bei der Lutherisch. religion garwol könne selig werden; Georgii *Zeaemanni* Papismi Sacramentariorum, seu sylloge errorum clinglio-calvinisticorum in articulo de verbo Dei scripto & praedicato; Aegid. *Hunnii* Assertio sanae doctrinae de persona & maiestate I. Christi adversus Pezelium, item de Praedestinatione & Sacramentis, Calvi-

Calvinus iudaizans, Antipareus, & Praefatio, commentario in epist. ad Ephes. praemissa, in qua doctrina de persona Christi defenditur contra Pezelium & Grabium; Barthol. *Batti* Vindiciae veritatis de probabilitate apostasiae sanctorum, contra Synodum dordrechtanam, ac in specie Seb. Benefeeldum, & de Possibilitate apostasiae sanctorum; Bartholdi *Krakevvicii* Illecebrae sacramentariae, Disquisitio theologica de coena Domini, Consultatio theologica, Christl. Ursachen; G. *Weinrichii* Problema theologicum de sacramento initiationis; Henr. *Eckardi* Fasciculus controversiarum, Scopae dissolutae Nic. Arnoldi, Tractatus triplex; Nicolai *Hunnii* Controversia de universalitate meriti Christi, Διάσκεψις theologica de fundamentali dissensu doctrinae luther. & calvinianae; Ioh. *Steuberi* Dissertationes de controversiis inter Lutheranos & Calvinianos motis; Ioh. *Behmii* Εκτας theol. dispp. de differentia evangelicarum promissionum, contra Crocii & Bergii sophisticationes; Ioh. *Himmelii* Collegium anticalvinianum, & Calvino-papismus; Iac. *Martini* liber de communicatione proprii contra Keckermannum, Libri 2. de loco contra quosdam neotericos, Praelectiones extemporaneae in Systema logicum Barth. Keckermanni, Collegium anticalvinianum, Lutheranismus pro defensione catechismi, Anatomia particularis contra Christoph. Massonium; Ioh. *Cothmanni* Duellum eucharisticum de coena Domini contra Bergium, & Tractatio theol. de Praedestinatione contra Wendelinum; Alberti *Graueri* Analysis quaestionum de localitate, illocalitate, & omnipraesentia corporis Christi contra Keckermannum, Bellum Calvini & I. Christi, Colloq. cum Wolfg. Amlingo, Antipareanum propugnaculum, Absurda absurdorum absurdissima calvinistica absurda, Harmo-

Harmonia praecipuorum Calvinianorum & Photinianorum, Antilubinus, Abfertigung der vermeinten Wiederlegung Sebast. Lamii; Ioh. *Schröderi* Tractatus duo anascevastici, 1. de orali corporis Christi in S. coena communicatione & ritibus ecclesiasticis, 2. de reali communicatione idiomatum in doctrina de persona Christi, Problema de communicatione proprii, Tractatus de nestorianismo & entycheismo contra Ioh. Grabium, Thronus regalis Christi seu de sessione Christi ad dextram Dei, Sceptrum regale Christi sive defensio Throni regalis Christi, Gegenbericht vom Verstand der Worte des hochwürdigen Abendmahls contra Iodocum Naum, Unterricht von den streitigen Artikeln / Erklärung des artikels von dem Sitzen zur rechten Hand Gottes / Bedencken über Barthol. Meyers Bekänntnis; Georgii *Dedekenni* Fürnehmer religionsstreit der Lutheraner und Calvinianer / Beantwortung des tractätleins M. Ioh. Lampadii von der Gnadenwahl; Theodori *Thummii* Μυσαιθεωπία calvinistica in articulo de praedestinatione, Scultetus iconoclastes, πολυτρωπία calviniana in doctrina de coena Domini, Maiestas Iesu Christi, Synopsis praecipuorum articulorum fidei; Matthiae *Höe* ab Hönegg Solida detestatio Papae & Calvinistarum, Vera Calvinistarū descriptio, Tractatus Gnomoni apologetico Wencesl. Budowetz, Baronis a Budova, oppositus, Antwort auff das calvinische Büchlein / dessen titul ist / Etliche Sprüche aus den Schrifften D. Lutheri vom heil. Abendmahl / Bericht auff die calvinische supplication, Discurs von der calvinischen Lehr / Ablehnung zweyer calvinischer unwahrheiten contra Paulum Tossanum, Antwort auff Dissertationem monitoriam, Nachricht und Verantwort wider das Gespräch von Gottes Wort und Gott selbst / Erinnerung wider die Brandenburg. Confession, Iudicium seu vindici-

ae libelli der Ableinung/ Prodromus der Gegenantwort ad Responsum solidum, Kurtzer Beweiß/ was von den calvinischen Lehrern für grausame Reden und Puncten in 17. Hauptartikeln fürgebracht worden / Probe wie die Calvinisten in 99. Puncten mit den Arianern und Türcken übereinstimmen/ Ableinung 50. unerweislicher ertz-und hauptlügen/ Erklärung auf die ausgesprengete delineation, Frage und Antwort/ob die Evangelische dem Calvinismo zum Besten / die Waffen ergriffen; Ioh. Höpfneri Warnung für der teutschen Postill Abr. Sculteti; Severini *Sluteri* Antithesis philanthropiae divinae & misanthropiae calvinianae circa aeternam hominum salutem; Coelestini *Mislentae* Discussio Disquisitionis de communicatione idiomatum, a Carolo Sachsio institutae; Iac. *Fabricii* Gründl. widerlegung des Verdachts der calvinisterey / in welchen Hopfius Gustavum Adolphum, Regem Sueciae, hat bringen wollen; Iusti *Feurbornii* Responsio ad disp. M. Phil. Caesaris de ultimo Christi adventu, Responsio ad Raph. Eglini Assertionem doctrinae (ut ait) orthodoxae de peccato in spiritum sanctum, Examen confessionis I. Combachii de persona & officio Christi, Dissertationes de divinae maiestatis in Christo usurpatione, Fasciculi 6. dissertationum, Epitome errorum calvinianorum, Erklärung des H. Abendmahls in 17. Predigten / Außführung und special Widerlegung der casselischen Wechselschrifften; I. *Micraelii* Heterodoxia calviniana in quaestionibus de salute hominum, contra Ioh. Bergium; Ioh. Georg. *Dorschaei* Dissertationes de S. coena contra Theod. Zvvingerum, V Dissertationes de voluntate Dei contra Iac. Triglandium; Ioh. *Scharfii* Collegium anticalvinianum primum & secundum, Exercitationes XII Ioh. Bergio, utrique Crocio aliisque oppositae; Ioh. *Hülsemanni* Calvinismus irreconciliabilis, Disputatio in confessionem Calviniano-

nianorum thorunienſem; Mich. *Waltheri* Anticluto de ῥητῶν verborum S. coenae; I. Conr. *Dannhaueri* Hodomoria ſpiritus calviniani, Iconothetes chriſtianus, Nuntius Nuntio britannico Ioh. Duraeo miſſus; I. *Maukiſchii* Maledicentia mareſiana in diſp. de perſeverantia ſanctorum, Nihil ſani mareſiani; Hieron. *Kromayeri* Loci antiſyncretiſtici, Theologia poſitivo-polemica, Scrutinium religionum; Balthaſ. *Cellarii* Diſpp. V. & peculiaris Diſputatio de praedeſtinatione; Mich. *Havemanni* Eris eucharistica, Antiwillius, Streit vom Nachtmahl / Abfertigung eines calvinisch. Medici zu Bremen; Ioh *Mülleri* Menschlich Gedicht von Verstoßung des grösten theils der Menschen / item Widerlegung des Dordrechtisch. abſoluti decreti; Chriſtiani *Groſſii* Tract. de diſſenſu Calvinianorum & Lutheranorum; Caſp. *Mauritii* Exercitationes anticalvinianae; *Wittebergenſium* theologorum ἐπίκρισις de colloquio caſſellano, & Antapologia ad Rintelenſium Epiſtolam apologeticam, Gründl. Beweis der calvin. irrthumen / Warnung an alle Lutherische Christen in Böhmen; Abr. *Calovii* ad Mareſii de Colloquio caſſellano obſervationes irenicas Hypomnemata, Δοκιμασία ſpiritus ſyncretiſtici diſſertationis J. Hoornbeckii de conſociat. Reformatorum & Aug. confeſſionis, Synopſis controverſiarum potiorum, Collatio pſeudapoſtolorum & Calvinianorum; G. *Calixti* Conſideratio doctrinae Reformatorum, & Tractatus de eorum tolerantia; Petri *Haberkornii* Syntagma diſſertationum, Tractatus de erroribus Calvinianorum fundamentalibus, Vindiciae articuli primi ſectionis ſecundae Ἐπικρίσεως wittebergenſis, ſyncretiſmo caſſellano oppoſitae de S. coena, Demonſtratio quod hodierni etiam Calviniani errorem manichaicum, pelagianum, meſſalianum, ſchwenkfeldicum &c. committant; I. Chriſtoph. *Seldii* Topica calviniana, & Scrutinium mediorum

religionis dissidia componendi legitimorum; Ioh. *Musaei* liber de Vsu principiorum rationis & philosophiae in controversiis theol. contra Nic Vedelium, Dissertatio de S. coena contra I. Vorstium, Differt. de aeterno electionis decreto, Collegium controversiarum; Gerh. *Titii* Repetitio doctrinae Protestantium de S. coena contra I. Vorstium, & Responsum ad I. Vorstii verbosam epistolam; Ioh. *Meisneri* Examen quaestionum aliquot Catechismi palatini, & Irenicum duraeanum; Aug. *Vareni* Anticalvinismus orthodoxus, & Collegium theologicum controversiarum; I. Adami *Scherzeri* Collegium anticalvinianum; Ioh. *Olearii* Synopsis errorum Calvinianorum; Aug. *Pfeifferi* Anticalvinismus; Christoph. *Franckii* Exercitationes antiwendelinianae; Dan. Severini *Sculteti* Consultatio de Pace inter Protestantes ineunda, Iterata ecclesiae ref. invitatio, Amica disceptatio cum Bened. Picteto, Assertio amplissimae gratiae divinae, ad responsionem Bened. Picteti. Ecquis omnia eiusmodi polemica scripta enumeret? tantus enim illorum numerus est, quantus muscarum, cum caletur (si Plauti verbo uti licet) maxime. Vt de Scarga, Resc'o, Bellarmino, Cano, Perronio, Stapletono, Gregorio De Valentia, Ant. Arnaldo, Walenburchiis, Augustino Gibbone De Burgo, Volusio, Marcellio, Bossueto, Le Févre, Arminio, Corvino, Bertio, Episcopio, Curcellaeo, Limborchio, aliisque sive Pontificiis sive Arminianis, qui itidem contra Zwinglianos seu Calvinianos (ut vocant) scripsere, iam nihil dicam, sed eos potius sicco, quod aiunt, pede praeteream.

Nos autem hic finem facimus considerationis controversiarum, quae nos inter & Reformatos agitantur, rogantes Deum pacis atque concordiae, ut afflictae & dilaceratae ecclesiae suae misereatur, & cum Principum, tum Theologorum animos ad salutare acceptabilis unionis studium flectat atque disponat, faxitque, ut (sicut * doctissimus auctor praefationis in Burneti tractatum de Praedestinatione latine versum loquitur) *quod schisma seculum reformationis primum peperit, secundum aluit, tertium tollat atque contumulet.*

Doctissimus auctor) Qui est Dan. Ern. Iablonski, S. Reg. in Boruss. Maiest. a concionibus aulicis, ac Vnitatis Fratrum confess. Bohem. per maiorem Poloniam Borussiamque polonicam Senior, elegantiorum & sacrarum literarum peritissimus.

SOLI DEO GLORIA.

NO-

NOMINA

Eorum, qui more academicc respondentes egerunt, & dissertationes huius voluminis contra oppositiones commilitonum probe defenderunt, quibusque debetur, quod liber hic in publicum prodire potuerit, eo ordine locati, quo munere suo functi sunt.

I. Ioh. Christianus *Busmannus*, Helmstadiensis.
II. M. David *Algöwer*, Vlma-Suevus.
III. Ioach. Henricus *Eichholz*, Helmstadiensis.
IV. Ioh. Christophorus *Trautmann*, Northeimensis.
V. Sigismundus *Lambertus*, Wolffenbüttelensis.
VI. Augustus *Cleve*, Hannoveranus.
VII. Ioh. Fridericus *Boden*, Einbeccensis.
IIX. Bernhardus *Trinius*, Gerda-Hannoveranus.
IX. Ioh. Andreas *Ladius*, Hadmerschlebia-Magdeburgicus.
X. Franciscus Georg. *Geislinger*, Bückeburgo-Schavmburgicus.

INDEX

Materiarum, prout secundum ordinem hoc in libro tractantur.

In Controversiis cum Atheis.

In Controversiis cum Gentilibus.

In Controversiis cum Iudaeis.

Scri-

 rigo

INDEX

Dictorum ſcripturae expoſitorum.

Index dictor. ſcripturae.

5. 14

INDEX

Auctorum, qui vel laudantur, vel notantur, vel deteguntur.

Hun-

INDEX RERVM

Dreieri

Satis-

ERRATA

sic sunt corrigenda.

Pag.	Lin.		Pag.	Lin.	
2	15	autem	29	26	caeteris
	30	neque cum quidquam	46	3	notitiam
21	28	*Post vocabulum* theologiae *adde*: & tractatus de Veritate religionis christianae,	48	*In tit. col.*	Contra Iudaeos
			54	8	נגיד
			56	23	chiliarcha
			59	In marg.	*affirmative*
			63	19	Sed & in psalmis
			69	17	Messias appellatur *David*
24	20	invocari, vocari	71	7	lex oralis

ERRATA

75	16	Prodromô	271	8	carnis
78	25	*Pro* Ioh. 1. *pone*		11	*ἀνομία*
		Matth. 3, 4. & Mar.		26	ita ut non
		1, 6	272	19	reliquiae
86	26	Iſmaële		22	*gratiam*
93	16	Omnia	273	1	loquuntur
95	24	gazaei	275	25	ſed reſpectu
		Hamed (quem alii	293	17	Bernhardus
		vocant Achmed)	295	6	Apoc. 22, 11
96	22	paradiſus ſaraceno-	304	17	ſola fide
		iudaicus	311	11	ut ſit
107	12	*ἐνέργειαν*	315	19	c. 8. & 9.
114	9	Act. 7, 37	317	21	parochor.
135	15	creditus	323	15	illae
140	8	*Dele* ſimul	324	17	& Wa-
141	23	Matth. 28, 18. Phil.	331	17	caeſarauguſtano
		2, 9	336	27	enerv. T. 3
158	1	poteſt	344	14	quae non invalidae
175	19	Pag. 184			ipſis videbantur
192	15	*hyperbolica*	345	2	*ſecr.*
197	5	maieſtatis	351	18	Pro
198	22	*rem ipſam*	354	26	impu-
201	ult.	pacifici	364	ult.	cios.
229	18. 19. 20.	*Dele* omnia	367	6	eorum
	21	10. Chriſtus	370	24	ſub finem
242	6	partem	371	18	ſit
245	28	tenuit & tenet	378	11	rere
	29	vero ſenſu	365	5	interpellat
249	5	decrementi	406	*ult.*	[illegible]
251	ult.	quidem	424	23	Sanctorum
252	25	important	439	13	permiſſione
253	20	aliquem	441	12	omnino
259	26	quaedam	442	2	caſtitatem
262	16	de V. D.		17	illum 19 *hominibus*
266	2	concupiſcentiam	444	19	latam *nullum*
269	19	guori			445. 7

ERRATA

445	7	ſupererogatione	458	5	poſſe
	15	imperatum	460	9	ſtabiliri
446	21	*Deleatur* cum	465	10	apoſtolicum, in numerum
447	12	appetenda			
	15	*evangelica*	474	24	advenerit
	23	Sfortia	517	11	in coelo, ſupernaturali modo poteſt
448	20	tendere			
452	22	gubernandi		23	Vide ſis
	30	quemadmodum	525	8	Germania
454	16	*Deleatur* illud	536	8	quem
	17	ariſtocraticum	540	27	*terrenae*
	23	Matth.	597	11	563
455	16	ſuccedere			

FINIS.

